BIBLIOTECA DE LA RIOJA


NO SE PRESTA

LECTURA EN SALA

Ll.III
E:1

T.541.198
FRI
R
17325

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI



23E

INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

AUCTORE

RDO. P. MARIANO AGUILAR

E CONGR. MISSIONAR. FILIORUM I. C. B. M. V.

UTRIUSQUE JURIS DOCTORE

AC IN MAJORI NOSTRO CALCEATENSI COLLEGIO

JURIS PROFESSORE

Editio altera locupletior atque emendatior



La Rioja
Cultura, Turismo, Deporte y Juventud
Dirección General de Cultura
Biblioteca de La Rioja

SANCTI DOMINICI CALCEATENSIS
TYPIS JOSEPHI SÁENZ
1904.

R-363-501

APPROBATIONES

REIMPRIMATUR

Romae, kalendis januariis a. 1904.

CLEMENS SERRAT, C. M. F.
Moderator Generalis.

REIMPRIMATUR

Burgis, idibus Januarii a. 1904.

† FR. GREGORIUS MARIA,
Archiepiscopus Burgensis et Administrator Apostolicus Dioecesis Calagurritanae et Calceatensis.

SALVO JURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

CANONISTARUM ATQUE THEOLOGORUM

ELENCHUS

QUIBUS PRAE CETERIS UTOR

Acta Pontificia et Decreta SS. RR. Congregationum, Pustet, Romae, 1903 sqq.

Acta SS. D. N. Leonis P. XIII.

Acta SS. D. N. Pii P. IX.

Acta Sanctae Sedis, Romae.

Aertnys.—*Theologia Moralis,* Tornaci, 1898.

Aguirre Card.—Collectio Conciliorum Hispaniae.

Aguirre J.—Curso de Disciplina Ecclesiástica, Madrid, 1871.

Alberghini.—Manuale qualificatorum Sanctae Inquisitionis.

Alphonsi S.—*Theologia Moralis,* Bassani, 1836.

Analecta Juris Pontificii.—Romae.

Analecta Ecclesiastica.—Romae.

Anales de la Congregación de Misioneros Hijos del I. C. de M.

André De la Pastora.—Diccionario del Derecho Canónico, Madrid, 1847 sqq.

Angelus a S. C.—Manuale Juris Communis Regularium, Gandae, 1899.

D[i] Annibale Card.—*Summula Theologiae Moralis,* Romae, 1896.

Antonius Augustinus.—Epitome Juris Pontificii-De emendatione Gratiani.

Armellini M.—Lezioni di Archeologia Cristiana, Roma, 1898.

Avanzini.—Acta Sanctae Sedis in compendium redacta.—De Const. Apostolicae Sedis.

Azevedo.—Consilia Alfonsi Azevedo.

Azpilcueta.—Opera omnia.

Bail.—Summa Conciliorum omnium, Patavii, 1723.

Ballerini-Palmieri.—*Opus Theologicum Morale,* Prati, 1892.

Barbosa.—Opera omnia.

Battandier.—Guide canonique pour les constitutions des sœurs à vœux simples.

Benedictus XIV.—Opera omnia.

Berardi Ae.—De Sollicitatione.

Berardi C.—Opera omnia.

Bizzarri.—Collectanea S. Cong. EE. et RR.
Billuart.—Summa S. Thomae.
Bouix.—Opera omnia.
Bucceroni.—Constitutione Apostolicae Sedis «De»-*Institutiones Theol. Moral.*, Romae, 1900.
Busquet.—*Thesaurus Confessarii*, Barcinone, MCMII.
Cadena.—Código Procesal Canónico, Madrid, 1895.—Procedimientos Eclesiásticos, Madrid, 1894.
Cartagena.—Enchiridion Juris utriusque.
Cavagnis Card.—Institutiones Juris Publici Ecclesiastici, Romae, 1888.
Collectanea.—V. Bizzarri, de Martinis.
Constitutiones pro Missionariis Congr. Filiorum I. Cordis B. V. M.
Corradus P.—Praxis dispensationum Apostolicarum, Neapoli, 1641.
Covarrubias.—Opera omnia.
Craisson.—Elementa Juris Canonici.
De Angelis.—Juris Canonici «Praelectiones» Romae, 1874 et 1891.
De Camillis. —Institutiones Juris Canonici.
De-La Fuente.—Ecclesiasticae Disciplinae Praelectiones.—V. Salazar.
De Luca Card.—Opera omnia.
De Martinis.—Collectanea S. C. de Prop. Fid. 1893.
Devoti.—Jus Canonicum universum.
Devoti-Fort.—Institutionum Canonicarum, Matriti, 1853.
Duchesne.—Origines du culte chretienne.
Engel.—Collegium Juris Canonici.
Elías de Molins.—Derecho administrativo, Barcelona, 1880.
Fagnanus.—Opera omnia.
Fernández Concha.—Filosofía del Derecho.—Derecho público eclesiástico.
Ferrante.—Elementa Juris Canonici.
Ferraris.—Biblioteca canónica.
Gallemart.—Concilium Tridentinum.
García.—De beneficiis.
Gasparri.—De Matrimonio.
Gautrelet.—Traité de l' état religieux.
Génicot.—*Theologiae Moralis Institutiones*, Lovanii, 1902.
Gennari Card.—Consultazioni Morali, Napoli, 1893.
Giobbio.—Lezioni di Diplomazia Ecclesiastica, Roma, 1901.
González-Téllez.—Decretales Gregorii IX.
Gonet.—Theologiae Thomistae Clypeus.
Gury-Ballerini.—*Compendium Theologiae Moralis*, Barcinone, 1889.
Huguenin.—Expositio methodica Juris Canonici.

Lacroix.—*Theologia Moralis.*
Lauri.—Codex pro postulatoribus beat. et canoniz. Sanctorum.
Layman.—*Theologia Moralis.*
Leante.—De los cementerios.
Lega.—De Judiciis ecclesiasticis, Romae, 1896 sqq.
Lemhkuhl.—*Theologia Moralis*, Friburgi Brisgoviae, 1902.
Lepe.—Constituciones Sinodales, Madrid, 1700.
Lessius.—Opera omnia.
Lombardi.—Juris Canonici Privati Institutiones, Romae, 1900-1.
López Peláez.—El Derecho Español en sus relaciones con la Iglesia, Madrid, 1902.
Lucidi.—De Visitatione Sacrorum Liminum.
Lugo Card.—Opera theologica.
Manjón.—Derecho eclesiástico.
Marc.—Institutiones Morales Alphonsianae, Romae, 1902.
Martigny.—Diccionario de antigüedades cristianas, vers. Madrid, 1894.
Marucchi.—Elements de Archeologie Chrétienne, Romae, 1903 sqq.
Maschat—Muñoz.—Cursus Juris Canonici, Matriti, 1888.
Mommsen—Dorado.—Compendio del Derecho Público Romano, Madrid.
Monacelli.—Formularium legale practicum fori ecclesiastici.
Morales.—Instituciones de Derecho Canónico, Madrid, 1895.
Moroni.—Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica, Venezia, 1840-1879.
Naval.—Elementos de Arqueología, Santo Domingo de la Calzada, 1903.
Navarrus.—V. Azpilcueta.
Nervegna.—De Jure practico Regularium, Romae, 1900.
Ojetti.—Synopsis rerum moralium et juris pontificii, Romae, 1899.
Palmieri.—V. Ballerini.
Passerini de Sextula.—Status hominum et officia.—De electione canonica.
Pelella.—Canones et decreta Concilii Tridentini, Neapoli, 1859.
Pellizarius.—Manuale Regularium.
Pennacchi.—Commentaria in Const. Apostolicae Sedis.
Pignatelli.—Opera omnia.
Piat.—Praelectiones Juris Regularis, Tornaci, 1898.
Pillet A.—Jus Canonicum Generale, Parisiis, 1890.
Pius de Langogne.—Le décret «Auctis admodum».—L' ouverture de conscience.
Pirhing.—Jus Canonicum.

Reiffenstuel.—Jus Canonicum Universum.
Riganti.— Commentaria in Reg. Cancellariae Apostolicae.
Romo.—Congrua del clero «Discurso canónico».
Roncaglia.—*Summa Theologiae Moralis.*
Sala.—Constitución «Apostolicae Sedis».
Salazar.—Lecciones de Disciplina Eclesiástica, Madr. 1887.
Sánchez.—De Matrimonio.—In Praecepta Decalogi.
Sánchez Rubio.—Juicio imparcial y comentarios sobre el Concordato de 1851.
Sanguinetti.—Institutiones Juris Ecclesiastici, Romae, 1890.
Santi.—Praelectiones Juris Canonici, Ratisbonae, 1886.
Scarfantoni.—Animadversiones canonicae.
Scavini.—Compendium Juris Canonici. *Theolog. Mor. Universa,* Mediolani, 1882.
Sebastianelli.—Praelectiones Juris Canonici, Romae, 1896-97
Selvagio.—Institutiones canonicae.
Soglia.—Institutiones Juris Publici Ecclesiastici.
Sacr. Rom. Congregationes.—Decreta authentica S. C. Indulg.—Id. C. S. R.
Suárez.—Opera theologica.
Tarquini.—Institutiones Juris (privati, publici, ecclesiastici)
Teixidor.—Consultor de los Párrocos.
Thomas S.—Opera omnia.
Thomassinus.—Vetus et nova Ecclesiae Disciplina.
Ulloa Velasco.—Provisión de prebendas y beneficios, Mondoñedo, 1896.
Van Espen.—(Sub Indice librorum prohibitorum).
Vecchiotti.—Institutiones canonicae.
Vermeersch.—De Religiosis Institutis et Personis, Brugis, 1902.
Villada.—*Casus conscientiae*, Bruxellis, 1884.
Wernz.—Jus Decretalium ad usum praelectionum, Romae, 1899 sqq.
Zamboni.—Declarationes S. Congregat. Conc. Trid.
Zitelli.—Apparatus Juris Ecclesiastici.—De dispensationibus matrimonialibus.

Meminerint lectores *praecipuos* auctores et fontes hic tantummodo recenseri, ne in infinitum succresceret eorum catalogus, quorum opera canonista juvari debet.

PROOEMIUM

Institutiones Juris Canonici hoc opusculum intitulatur; sed tamen hoc nomine, quod diverse a diversis exponitur, disciplinam quoque ecclesiasticam comprehendere intendimus, simul ac compendium totius Juris Canonici. *Institutionum* Juris Canonici objectum si hae stricte sumantur, duplex est: tractatio scientifica de principiis et objecto Juris Canonici, idest, expositio notionum praemittendarum circa Juris naturam, qualitates, historicam evolutionem et fontes, aliaque hujusmodi, quae ad majorem disputationis perspicuitatem magnopere conferunt, quaeque sub titulo de Prolegomenis persolvemus, et ipsius Juris Canonici compendium tradere. *Disciplina* vero *ecclesiastica* proprie dicitur illa Juris Canonici pars, quae ad Ecclesiae Catholicae regimen et rerum agendarum praxim potissime spectat; alia est *generalis*, quae una est, ad totius Ecclesiae undequaque regimen spectans; alia vero juxta Ecclesiarum privatarum necessitates, et cum debita ad Romanum Pontificem subjectione, quae *privata* seu *particularis* audit.

Nos vero hic *Institutionum* nomen latius sumentes, praeter notiones praevias, ea omnia quae Juris Canonici propria sunt, ipsa ecclesiastica disciplina tum generali cum particulari Hispaniae non exclusa, amplectimur; sed, ut apprime quae juris communis, et quae juris Hispaniae Eccle-

siae propria sunt, discernantur, postrema per modum scholion vel in notulis trademus.

His praemissis, ad operis divisionem perveniamus. Admodum rationi consentanea est JURIS in tres libros communissima partitio; in quorum 1.° de *Personis*, in 2.° de *Rebus*, in 3.° tandem de *Judiciis*, *Delictis* et *Poenis* disceptatur. Enimvero, etsi in Canonica disciplina considerare possimus subjectum JURIS, quod sunt *personae;* objectum, quod sunt *res;* modum jus controversum dirimendi, quod *judicium instruit;* laesionem juris, quae *delicta* constituit, et juris instaurationem, quae mediantibus poenis obtinetur; tribus tamen hisce postremis capitibus uno sub Libro propter mutuam eorumdem connexionem pertractatis, naturalis resultat laudata divisio, quam quidem, ut ab eximiis auctoribus receptam, ac plus minusve partitioni ipsius textus JURIS in Decretalibus contentae respondentem, et nos sumus in nostris *Institutionibus* amplexati. Tertius vero liber, ubi praesertim de jure processali, pluribus Juris Patrii Hispani notis illustratus invenitur, quibus parvo labore, ex comparatione ad jus processale canonicum, jus processale apud tribunalia saecularia ediscere alumni possunt.

PROLEGOMENA.

Quae ad Juris Canonici notiones praeliminares spectant, novem articulis commode pertractari possunt. In I. expendemus naturam, causas et effectus Juris Canonici. In II. ejus qualitates. In III. historiam litterariam ipsius. In IV. divisionem et partes. In V. auctoritatem. In VI. fontes ejusdem. In VII. modum dignoscendi actualem valorem legum canonicarum. In VIII. nonnulla quae ad certas legum species spectant. In IX. denique modum citandi et discendi Jus Canonicum.

ARTICULUS I.

DE NATURA, CAUSIS ET EFFECTIBUS JURIS CANONICI.

I. **Natura.**—Jus Canonicum tripliciter sumi potest: 1.° *metonymice*, tamquam continens pro contento; 2.° *objective* pro ipsis canonibus; 3.° *denominative* pro scientia Canonum.

Primo sensu appellatur Jus Canonicum volumen seu corpus canonum, et dicitur: 1.° *Jus Canonicum* vel *Regulare*, quia *canon* graece, latine *regula* nuncupatur; *regulare* vocatur per excellentiam, cum canon in usu Juris antonomastice significet regulam ecclesiasticam inter humanas regulas principem; 2.° vocatur etiam *Jus Ecclesiasticum* seu *Pontificium*, quia a potestate ecclesiastica seu pontificia descendit; 3.° *Sacrum*, quia principaliter agit de personis et rebus sacris; et 4.° quandoque *Jus Divinum*, non quod immediate a Deo conditum sit, sed quod SS. Canones a Sede Apostolica constituantur instinctu Dei suam Ecclesiam dirigentis.

Secundo sensu, idest *objective* definitur: jus positivum a summa potestate ecclesiastica conditum, dirigens actiones fidelium ad bonum spirituale, et ultimo ad vitam aeternam.

Tertio sensu seu *denominative* est facultas seu scientia, quae circa cognitionem hujus Juris occupatur.

II. **Causae.**—Examinanda sunt quatuor genera causarum, nempe: efficiens, materialis, formalis et finalis.

1. Causa efficiens proxima et principalis, seu *subjectum activum* est summus Pontifex, vel solus, vel cum Concilio; nam, licet in Jure Canonico tradantur mysteria fidei, et plura juris naturalis et divini, et quamplurima, quae per se jus particulare vel nullum constituunt, ut canones conciliorum particularium, dicta Patrum, constitutiones imperiales et variae consuetudines et usus Ecclesiarum, tamen mysteria fidei proxime et directe non pertinent ad Jus Canonicum, sed tantum remote per modum fundamenti; nam Papa non definit dogmata fidei ut legislator, sed ut summus Ecclesiae Theologus et Doctor oecumenicus; jura naturalia et divina tamquam principia superiora et generaliora, quibus utitur Papa applicando et determinando illa ad casus particulares; vel delictis poenam apponendo, et cetera non aliter obtinent vim juris communis, nisi quatenus a Sede apostolica approbantur. Causae instrumentales Juris Canonici sunt varii ejusdem compilatores, de quibus postea.

2. Causa materialis, seu *objectum materiale circa quod*, sunt actiones fidelium ut dirigendae per SS. Canones; particularis materia cujusque canonis est illa de qua specialiter in illo disponitur. Materia *ex qua*, seu *fontes*, sunt partes et canones ex quibus integratur Jus Canonicum. Materia *in qua*, seu *subjectum passivum*, sunt omnes fideles seu baptizati, etiam Reges et principes; Papa autem non subest Juri Canonico nisi directive, quia Princeps legibus solutus est (L. 31 ff. de LL.).

3. Causa formalis intrinseca, seu *objectum formale* est rectitudo, quae per directionem SS. Canonum inducitur in actiones fidelium ut civium societatis ecclesiasticae; forma vero extrinseca est series et dispositio Titulorum.

4. Causa finalis proxima est bonum vitae chistianae maxime in actibus externis relucens; remota vero beatitudo aeterna.

III. **Effectus.**—Primarius et immediatus est obligatio ad observantiam SS. Canonum; secundarius obliga-

tio ad scientiam Juris proportionaliter cujusque statui (Can. 1, d. 38; et c. 2. d. 20).

ARTICULUS II.

DE QUALITATIBUS JURIS CANONICI

I. An sit vera scientia, et quidem Jure civili praestantior. II. In quo conveniat cum affinibus disciplinis, et in quo differat ab iisdem.

I. **An sit vera scientia, et quidem Jure civili praestantior.**—Est vera scientia, nam ad id habet omnia requisita, nempe: 1.° principia infallibilia, quae sunt veritates naturales et theologicae, quibus SS. Canones innituntur, et 2.° conclusiones scientificas tam in materia communi quam in speciali: v. g. Canonem esse obligatorium, quia est rationabile praeceptum superioris ecclesiastici, postulationem ad praelaturam non tribuere jus, quia est assumptio personae impeditae.

Haec scientia est Jure Civili praestantior; nam Jus Civile originem suam habet a Principe et remote a jure naturali; fertur in certum populum, habet materiam profanam et finem temporalem. E contra Jus Canonicum oritur a potestate pontificali a Christo Domino, Petro et successoribus ejus data; fertur universaliter in omnem populum christianum; habet materiam spiritualem aut spirituali annexam et finem spiritualem vitae christianae et salutis aeternae.

II. **In quo conveniat cum aliis, vel ab eis differat.** —Affines disciplinae, de quibus quaerendum est in quo ipsae et Jus Canonicum conveniant et differant, sunt sequentes: Jus Civile, Sacra Theologia et Jus publicum Ecclesiasticum.

1. *Jus Canonicum et Civile* conveniunt, quia utrumque habet pro objecto materiali remoto *personas*, *res* et *actiones*, atque utriusque tria sunt praecepta: honeste vivere, alterum non laedere, jus suum cuique tribuere. E contra differunt, quia Jus Canonicum primario versatur circa personas, res et actiones sacras; civile circa profanas. Illud dirigit actiones fidelium per canones a

potestate spirituali latos, intendit pro fine bonum spirituale vitae christianae et felicitatis aeternae: hoc vero dirigit actiones civium per leges a potestate laica latas, intendit pro fine bonum temporale civium et felicitatis politicae seu temporalis.

2. *Jus Canonicum et Sacra Theologia* conveniunt in fonte, qui est revelatio, et in objecto materiali; differunt in objecto formali; nam Theologia dogmatica proponit quae revelata sunt quatenus fide credenda; Theologia moralis veritates revelatas considerat sub aspectu practico, sed privato, et quidem pro interna sanctificatione individuorum; Jus vero Canonicum ipsas considerat in ordine ad regimen sociale Ecclesiae. Ex his sequitur Sacram Theologiam praestantiorem esse Jure Canonico; nam, sicut intellectus speculativus extensione fit practicus, sic veritates speculativae de Ecclesia, si extendantur, fiunt practicae et generant Jus Ecclesiasticum sive publicum, sive privatum seu Canonicum. Hinc Jus est scientia secundaria et subalternata Sacrae Theologiae. Si vero agatur de promotione ad dignitates, canonista in locis non suspectis de haeresi praeferendus est theologo; in locis vero haeresi infectis theologus simplici canonistae.

3. *Jus Canonicum et Jus publicum Ecclesiasticum* conveniunt in fonte et in objecto materiali; differunt in objecto formali; quia jus Canonicum considerat veritates revelatas in ordine ad regimen sociale Ecclesiae; Jus vero publicum Ecclesiasticum in ordine ad operationem politicam Ecclesiae, seu ad ejus operationem quatenus est societas perfecta. Sub nomine Juris Canonici pertractari tamen etiam solet Jus publicum Ecclesiae secundarium.

ARTICULUS III.

DE HISTORIA LITTERARIA JURIS CANONICI.

I. Natura hujus historiae. II. Divisiones praecipuae. III. Evolutio historica Juris Canonici.

I. **Natura hujus historiae.**—Historia litteraria Juris Canonici est expositio originis, progressus ac vicissitudi-

num scientiae sacrorum canonum. Atqui talis scientia est imprimis cognitio subjectiva in *viris doctis*, quam deinde objective exhibent sive in praelectionibus scholae, sive in scriptis libris. Ergo historia litteraria exhibere debet *vitam canonistarum*, *libros* ipsorum in trutinam revocare, et tandem *scholarum* canonicarum methodum, regimen et litteraria subsidia expendere (1); nam perfectae non judicaret qui ex solis libris hanc historiam texeret.

II. **Divisiones praecipuae.**—Triplex divisio fieri potest historiae litterariae Juris Canonici. Alia, secundum *scriptores*, quaeque *bibliographica* nuncupatur, in tres epochas dispertita, scilicet *glossatorum* a Gratiano ad 1350, *commentatorum* a 1350 ad 1800 et *systematicorum* a 1800 usque ad nos.

Alia divisio sumitur ex *methodo*, quaeque *methodica* appellatur, juxta quam distinguitur tempus *exegetarum*, quo praevaluit exegetica; *scholasticorum*, quo praevaluit *scholastica* et *legalis*, et demum tempus *criticorum*, et *historicorum*, quo, relicta methodo mere scholastica, critices et historiae rationem habent.

Alia est divisio *chronologica*, quae ex tempore, quo fontes juris positivi apparuere, desumitur. Juxta hanc divisionem, quae ad evolutionem historicam Juris Canonici refertur, Schulte et Wernz tria stadia distinguunt: **a)** a Christo ad Gratiani Decretum; **b)** a Decreto ad Concilium Tridentinum, et **c)** a Conc. Trid. ad nostra tempora. In primo stadio habetur Jus Canonicum *vetus*, in secundo Jus *novum*, et in tertio Jus *novissimum*, quam divisionem sequutus est Lombardi in suis Institutionibus.

III. **Evolutio historica Juris Canonici.**—Divisio *bibliographica* et *methodica* ab Wernz rejiciuntur, quia «quamvis aliquid veri contineant, tamen non sunt satis accuratae neque chronologiae convenientes» (2). Nobis vero, utpote determinatior et verius respondens ad evolutionem historicam Juris Canonici, magis arridet divisio *chronologica* in sex stadia; scilicet: 1.^{um} ab Ecclesiae exordio ad Concilium Nicaenum primum; 2.^{um} a Concilii

(1) Ita Scherben, d' Annibale, Scherer et Schulte.
(2) Wernz I, 282.

Nicaeni temporibus usque ad saeculum VI, quo Dionysius Exiguus suam Collectionem concinnavit; 3.um a saeculo VI ad ortum Collectionis pseudo-isidorianae saeculo IX; 4.um a saeculo IX usque ad publicationem Decreti Gratiani saeculo XII; 5.um a saeculo XII ad Concilium Tridentinum, et 6.um a Concilio Tridentino ad haec usque tempora.

1. In primo stadio Apostoli, propria potestate a Domino accepta, plures leges Ecclesiae servandas tradiderunt, quarum nonnullae in libris inspiratis Novi Testamenti continentur; maxima autem pars consuetudine secundum legem, exemplo et voce propositae potius quam scripto continebatur. Nonnullae tamen extant in scriptis *Patrum Apostolicorum* et in *canonibus* seu *constitutionibus* Apostolis falso tributis, quae tamen magna ex parte ex apostolica traditione defluxere. Saeculo vero tertio et quarto ineuntibus, varia Concilia particularia celebrata sunt, quorum canones sparsi in scriptis Patrum leguntur.

2. In secundo stadio precipuae collectiones fuere: In Ecclesia orientali Codex Canonum adhibitus in Concilio Chalcedonensi complectens XX canones nicaenos, XXV ancyranos, XIV neocaesareenses, XX gangrenses, XXV antiochenos, LIX laodicenos et III constantinopolitanos. Collectio *secunda* sic dicta, constat novis canonibus adjectis usque ad numerum CCVII. Berardi tamen contendit has omnes collectiones non esse nisi codices, in quibus Ecclesiarum notarii canones Conciliorum, quibus proprii aderant Episcopi, vel quos utiliores pro regimine propriae Ecclesiae judicaverant, transcribebant ex codicibus aliarum Ecclesiarum.

In Occidente nulla adstat collectio nisi *Prisca* vocata, vocata, quae canones nicaenos et sardicenses amplectebatur. Berardi tamen contendit in codice Romano aliorum Conciliorum oecumenicorum canones exstare.

3. In tertio stadio adstat in Ecclesia Orientali Collectio Joannis Scholastici, Patriarchae Constantinopolitani cum *Nomocanone*, in qua leges ecclesiasticae civilibus admiscebantur, et plures aliae, quarum tres classes potissimas recensent critici recentiores.

In Ecclesia Occidentali duplex collectio Dionysii Exigui (*aerae vulgaris* inventoris), *Canonum* et *Decretalium*.

Prima continet canones Apostolorum et primae collectionis graecae, aliosque excerptos ex aliis collectionibus, et ex originali latino canones sardicenses. Secunda continet Decretales summorum Pontificum a Siricio ad Anastasium II. Aliae praecipuae fuerunt collectiones, seu breviaria Fulgentii Ferrandi, Hispana seu Isidoriana, quia Isidoro Hispalensi est attributa, Cresconii, Martini Bracarensis et Hadriana.

4. In quarto stadio exstat in Ecclesia Orientali Collectio Photiana cum Nomocanone; in Occidentali collectio pseudo-isidoriana, Reginonis, Burchardi Wormatiensis, Anselmi Lucensis, Cardinalis Deusdedit et Ivonis Carnotensis. Circa pseudo-isidorianam, quae praecipua est, quaeque acribus disputationibus originem dedit, haec tenenda videntur:

a) Prodiit probabilius inter annum 847 et 853.

b) Edita fuit sub nomine *Isidori Mercatoris* vel *Peccatoris;* sed auctoris nomen prorsus ignoratur, quamvis nonnulli non improbabiliter autumant illum esse Benedictum Moguntinum, qui et Capitularia Francorum collegit.

c) Plura in ea collectione authentica esse constat et genuina, eaque desumpta ex collectione hispana, aliisque sinceris fontibus, saepe tamen interpolata insertisque documentis apocryphis, et reliqua impostoris fraude conficta, nominatim Decretales Pontificum a Clemente I ad Melchiadem. Eo tamen sensu conficta sunt, quod ex pluribus sint fragmentis contexta desumptis ex variis ecclesiasticis fontibus ad saeculum praesertim IV, V et VI spectantibus; haud vero quod per se aliquid contineant, forte paucis exceptis, a disciplina tunc temporis vigente alienum.

d) Neque Romae, neque a RR. Pontificibus multo minus illae Decretales sunt confictae.

e) Falsum omnino est immutatam prorsus esse ex falsis decretalibus antiquam disciplinam, ac nominatim inde aucta jura Romani Pontificis.

5. In quinto stadio prodiit *Decretum* Gratiani (1),

(1) Initia scientiae canonicae coincidunt cum primis canonum *collectionibus*, quarum primae vix nomen scientiae merentur, cum ordinem chronologicum praeseferant. Ordinem systematicum nonnisi saeculis VI et VII adhiberi coeptum est, additis sententiis Pa-

vocatum sic antonomastice et ab auctore inscriptum probabiliter *Concordia discordantium canonum*. Huic addi debent collectiones Cardinalis Laborans, Bernardi de Circa seu Papiensis, dicta 1.ª et edita a. 1190; Joannis Gallensis, dicta 2.ª et edita a. 1202; Petri de Benevento jussu Inocentii III a. 1211, sub nomine 3.ae collectionis edita; 4.ª collectio auctoris ignoti et 5.ª jussu Honorii III, quae *quinque Compilationes* appellantur;

---

trum a Joanne Scholastico in Oriente saeculo VI, et in Occidente a Reginone Prumiensi saeculo XI. Hinc praeformatio scientificae tractationis canonicae per *glossas*, seu verborum et rerum explicationes ipsi textui additas, qui usus in collectione Hadriana saeculi IX reperitur. Verum usque ad saeculum XII *Jus Canonicum* non evasit disciplina a theologia dogmatica et morali distincta, sed tamquam theologia *practica* vel *rectrix* ab iisdem Doctoribus et scholis cum theologia tradebatur. At a Decreti Gratiani publicatione magna paulatim obtinuit immutatio, et *Jus Canonicum* evasit disciplina theologica omnino distincta ab scholastica. Plures discipulos Gratianus nactus est et commentatores, quos *Decretistas* vocamus. Praecipui fuere Paucapalea, Rolandus Bandinellus, postea Alexander III, Omnibonus, Rufinus, Stephanus Tornacensis, Albertus Beneventanus, dein Gregorius VIII, Gandulphus, Joannes Faventinus, qui omnes *Summas* scripserunt seu glossas Decreti. Sed *Decretistae* principes fuerunt Bazianus Bononiensis, qui primus fuit Doctor utriusque Juris (a. 1197), quique *Apparatum* scripsit in Decretum, Huguccio Pisanus, qui ob ambitum, aequalitatem expositionis et genus disputandi inter summistas palmam obtinet, et Joannes Teutonicus. Aetas vero classica *Juris Canonici* ea habetur, quae tribus collectionibus authenticis insignitur, et in qua methodus scholastica et *exegetica* praevaluit. Sicut enim doctores Juris Civilis leges imperiales secundum ordinem fontium explicabant, ita Decretistae *Decretum* et decretalistae *Decretales* secuti sunt. Praelectiones publicae, seu *lectiones magistrorum* initium sumebant a brevi seu *summario (summa)* materiae explicandae, idest, textus vel litterae. Mox sequebatur recitatio *litterae* seu textus Gratiani una cum rubricis, ut auditores scripto eas exciperent. Qua facta proponebatur *species facti* sive casus in textu contentus. Dein subjungebatur *expositio verborum* et *rerum*, atque deducebatur ex textu *Brocarda*, seu generalis juris regula. Dein allegabantur textus paralleli et contrarii, quorum explicatione textus principalis expositio erat magis tuta.—Lectionibus accesserunt postea *repetitiones*, in quibus magistri vel scholares ad gradus promovendi particularis cujusdam *capitis* uberiorem tradebant explicationem.—Inter exercitationes scholasticas *disputationes* recensentur, in quibus quaestio ex *jure canonico* publice exposita et defensa, ab aliis, quibus jus arguendi competebat, impugnabatur. Haec methodus quoad substantiam usque ad saeculum XVI perseveravit per diversas Europae regiones, et aliquatenus immutata adhuc in scholis servatur pro interpretatione capitulorum.

tandem Regulae Cancellariae Apostolicae, necnon Collectiones contentae in Corpore Juris, de quibus postea. 6. In sexto stadio adstant decreta Concilii Tridentini, Bullaria, Resolutiones SS. Congregationum et Tribunalium summi Pontificis.

ARTICULUS IV.

DE DIVISIONE ET PARTIBUS JURIS CANONICI

I. **Divisio.**—Jus Canonicum dividitur: 1.° in *scriptum*, quod expressa voluntate Papae, et *non scriptum*, quod moribus fidelium introductum est, accedente aliquo Papae consensu. 2.° In *commune*, totam Ecclesiam obligans, et *particulare* seu *statutarium*, quod certi loci fideles obligat, uti nationale, provinciale, dioecesanum. 3.° In *commune specifice* quod clausum est in Corpore Juris Canonici, et *commune non clausum*, seu vagans extra, uti multae Constitutiones pontificiae.

II. **Partes Juris Canonici.**—Partes principales clausae in Corpore Juris Canonici, sunt sex: 1.ª est *Decretum* Gratiani cum paleis et canonibus poenitentialibus ac apostolicis. Constat Decretum tribus partibus. *Prima* continet 101 *Distinctiones* in canones distributas: *secunda habet Causas* 36 in quaestiones et canones divisas; sed causa 33.ª post quaestionem III habet tractationem peculiarem *de Poenitentia*, quae septem habet Distinctiones: *tertia* pars quinque constat Distinctionibus, et inscribitur *de Consecratione*.

2.ª *Decretales* Gregorii IX a Raymundo de Peñafort jussu illius Papae concinnatae. Habent quinque libros in titulos et capita divisos. *Primus* agit de *Personis*, quae munus aut officium in Ecclesiae regimine exercent; *secundus* de *Judiciis; tertius* de *Rebus ecclesiasticis; quartus* de *Matrimonio*, et *quintus* de *Delictis* et *Poenis*.

3.ª *Liber sextus Decretalium* Bonifacii VIII in quinque libros divisus et eodem ordine ac Decretales Greg. IX, continet Constitutiones latas post publicationem Decretalium Greg. IX usque ad Bonif. VIII ac canones duorum Conciliorum oecumenicorum Lugdunensium.

4.ª *Clementinae* continent, eodem ordine et divisione

ac praecedentes, Decretales datas post editum *Sextum* a Clemente V, potissimum in oecumenico Concilio Viennensi.

5.ª *Extravagantes Joannis XXII*, continentes in quatuordecim titulis Decretales hujus Papae.

6.ª *Extravagantes communes*, seu Constitutiones diversorum Pontificum in quinque libros divisae; sed post tertium fit transitus ad quintum. His additur in nonnullis exemplaribus *liber VII Decretalium* a Petro Matthaeo, Jcto. Lugdunensi compilatus, et *Institutiones Juris Canonici* Joannis Pauli Lancelloti, Jcti. Perusin.

ARTICULUS V.

DE AUCTORITATE JURIS CANONICI

I. Auctoritas eorum quae continentur in Corpore Juris Canonici.
II. Auctoritas eorum quae vagantur extra Corpus Juris.
III. Speciatim de actis S. Sedis.

I. **Auctoritas eorum quae continentur in Corpore Juris Canonici.**—In primis certum est Decretales Gregorii IX, et Bonifacii VIII, necnon Clementinas habendas esse uti collectiones authenticas et obtinere vim juris pontificii totam ecclesiam obligantis, his exceptis, quibus per jura posteriora derogatum est; nam approbatae fuerunt uti tales respective, per Constitutiones *Rex pacificus* Greg. IX, *Sacrosanctae* Bonifacii VIII et *Quoniam nulla* Joannis XXII.

Extravagantes Joannis XXII et communes, quamvis non expresse approbatae, vim tamen juris communis obtinent, quatenus usu receptae sint, consentientibus saltem tacite Romanis Pontificibus, et quia certe genuinae sunt, obligant iis pro quibus latae fuerunt.

Liber VII Decretalium et *Institutiones* tantum valent quantum fontes, unde excerpta sunt documenta.

An idem dicendum de *Decreto* Gratiani, affirmandum cum communi sententia. Cura profecto RR. Pontificum correctum fuit Decretum, et prohibitum aliter quam ut correctum fuit ipsum edere, et vere pariter dicitur confirmatum esse ab Eugenio III; verum primum non tribuit per se auctoritatem collectioni, imo neque vetitum

est in ipsa monumenta inquirere, uti egregie perfecit perillustris Antonius Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, scientiae juridicae restaurator, et post illum Carolus Seb. Berardi in suo opere: «Gratiani canones genuini ab apocryphis distincti, etc.»; et secundum nullibi constat. Canones 47 poenitentiales, quamvis juris vim non habeant, eorum notitia utilis est confessariis; canones vero vocati apostolici, tribus demptis (can. 46, 47 et 50), qui ab Ecclesia palam repudiantur, revocandi sunt ad primaevam auctoritatem suorum conditorum, et generaliter exhibent disciplinam priorum Ecclesiae saeculorum.

Praeter textum adsunt in Corpore Juris Canonici rubricae titulorum, superscriptiones et summaria capitulorum, glossae et notae, de quibus breviter dicemus quid sint et quamnam auctoritatem habeant.

Rubrica a rubris litteris, quibus scribebatur, dicta est inscriptio indicans materiam tituli. Alia est *praeceptiva*, continens sensum perfectum et completum, et allegari potest per modum regulae generalis in iis, quae textui non contrariantur; alia est *declarativa*, continens sensum imperfectum, et inservire potest ad dignoscendum in dubio materiam de qua agitur, et ideo valet *argumentum a rubro ad nigrum*. Sed haec se referunt tantum ad libros authenticos.

Superscriptiones capitulorum sunt illa verba, quae indicant unde textus capituli desumptus, vel ad quem directus sit; et in libris authenticis sunt authenticae, quatenus indicant auctorem collectionis revera ex illis deprompsisse textum dispositionis; et ex illis valet argumentum.

Summaria vero, quibus privati doctores capitula summarunt, non habent vim authenticam, sed tantum sunt doctrinalia ad majorem legentium commoditatem.

Glossa est uberior canonum explanatio, cujus auctores erant Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes Andreas (filius), Innocentius IV (ut doctor privatus), Cardinalis Ostiensis seu Henricus de Segusia, Speculator seu Durandus Gulielmus, Abbas Panormitanus seu Nicolaus de Tudeschis aliique eximii doctores. Glossa non facit jus, licet reverenter audienda sit ob excellentem doctrinam glossatoris, dummodo ei non contradicant

aliae glossae, vel alii doctores potiori jure et ratione innixi.

Nota est brevior explicatio, vel additio citationum. Non facit jus, sed studiosis inservire potest.

II. **Auctoritas eorum quae vagantur extra Corpus Juris.**—Quae extra Corpus Juris Canonici exstant, sunt: Concilia, Magnum Bullarium et Bullarium Benedicti XIV, Regulae Cancellariae Apostolicae, Declarationes SS. Congregationum et decisiones Rotae Romanae.

1. Concilia, si sint generalia et approbata a Sede Apostolica, vim obtinent juris pontificii, et quidem pro tota Ecclesia; secus vero si sint particularia, nisi a R. Pontifice approbentur pro tota Ecclesia.

2. Constitutiones pontificiae, quae continentur in Magno Bullario, non obtinent vim juris pontificii nisi quatenus certo, saltem moraliter, constet, eas esse promulgatas, usu receptas, et per omnia conformes suo originali. Hinc stante dubio, in judicio non probant, nisi producantur in forma authentica. Constitutiones vero Benedicti XIV, utpote quae promulgatae auctoritate ipsius Pontificis, uti authenticae habendae sunt, et faciunt jus commune, non minus quam Decretales Gregorii IX.

3. Regulae Cancellariae Apostolicae sunt certae ordinationes pontificiae, potissimum circa causas beneficiales et judiciales, quas singuli Pontifices circa initium sui Papatus faciunt, vel a praedecessoribus factas renovant, augent vel minuunt. Dicuntur regulae Cancellariae a potiori, quia maxime concernunt litteras apostolicas in Cancellaria Papae fieri solitas. Regulae istae id habent speciale quod, ut primum a noviter electo Papa assumuntur, statim obligent ante promulgationem, et mortuo Papa statim exspirent, neque eis derogatur per clausulas generales, nisi specialis et expressa illarum mentio fiat; sed merito praesertim post Pium VI (anno 1773) comparantur *uni legi pontificiae* per plures articulos distinctae, quae, regulis *directivis* seu expeditivis pro negotiis per litteras expediendis exceptis, constituit jus universale nisi concordatis aliisque modis ipsis sit derogatum.

4. Sacrarum Congregationum Romanarum decisiones, si sint judiciales, certo faciunt jus inter partes, et,

si extrajudiciales, inter eos pro quibus datae sunt. In ordine ad personas extraneas et quoad declarationes mere doctrinales seu generales legis plures habentur sententiae; sed hodie communiter dicendum quod declarationes generales, si *extensivae* aut *restrictivae* sint, vim legis non habent, nisi de mandato Pontificis, ut fieri solet, per solemne decretum promulgentur; si vero sint *comprehensivae*, distinguendum inter declarationes Sacrae Congregationis Concilii Tridentinum interpretantes, quae vim legis obtinent ante promulgationem praedictam, dummodo summus Pontifex non resistat, declarationes S. C. Indul., S. Off. et Rit.; quae probabilius etiam vim juris communis obtinent; et declarationes aliarum Congregationum, quae per se non faciunt jus commune, quamvis in praesenti uti jus commune accipiantur, praesertim si plures uniformes habeantur, quia, cum sint Tribunalia Suprema R. Pontificis, jurisprudentiam tunc constituunt, vel si de mandato Pontificis aut consulto ipso edantur.

Quoad collectiones authenticas resolutionum, nullae exstant, si excipiantur Collectio Decretorum S. C. R. evulgata a. 1898 et 1899, abrogata collectione Gardelliniana; Collectio resolutionum et rescriptorum S. C. Indulgentiarum a. 1882 edita et Index librorum prohibitorum; sed notandum est ejusmodi collectiones esse authenticas, prout authentice constat eas esse genuinas; minime vero quatenus ex eo quod in collectione reperiantur resolutiones, declarationes vel decreta particularia evadant generalia et vim juris obtineant pro tota Ecclesia.

5. Rotae Romanae decisiones faciunt quidem jus inter partes, non vero jus universale pontificium; sed sunt magnae auctoritatis et praevalent opinioni aliorum doctorum, modo sint uniformes.

III. **De actis Sanctae Sedis.**—Videamus: 1.° quid sint; 2.° genera actorum; 3.° auctoritatem actorum S. Sedis.

1.° *Quid sint acta S. Sedis.* Ita vocantur constitutiones, quae Pontificis nomine vel auctoritate geruntur ab Officiis, Tribunalibus et Congregationibus Romanis. Constitutio vero hic late sumitur significans quidquid statuitur vel constituitur.

2.° *Genera actorum.* Varie dividuntur: **a)** *ex potestate*: in acta administrativa, judicialia et executiva; **b)** *ex subjecto*: in generalia, specialia et beneficia legis; **c)** *ex objecto*: in doctrinalia et disciplinaria, in contentiosa et gratiosa; **d)** *ex fonte*: in genuina et spuria; **e)** *ex forma intrinseca;* in constitutiones stricte sumptas, seu leges scripto a Papa datas (1), et rescripta late sumpta pro omnibus actis pontificiis scripto relatis, quae legem non constituant; **f)** *ex forma extrinseca* seu *externa*: in Bullas et Brevia, Encyclicas, Chirographa, Litteras Apostolicas, Litteras in forma simplicis rescripti aliaque simplicia instrumenta.

3.° *Auctoritas actorum S. Sedis.*—Ut acta S. Sedis valeant seu vim habeant obligandi, debent esse legitima quoad *potestatem, constitutionem* et *editionem*; quia auctoritas supponit competentiam in constituente et formam legitimam in constituendo et evulgando decretum; ex quo haec fluunt principia et corollaria.

a) *Principia.* 1.m Ad valorem actorum requiritur *competentia* et ut *ordo competentiae* servetur. Hinc quae supponunt praerogativam *personalem* Pontificis ab uno Pontifice valorem recipiunt; quae ad unius collegii competentiam *privativam* spectant, ab eo solo valide constituuntur; quae vero pertinent ad competentiam *cumulativam* plurium collegiorum, ab eo dumtaxat valide constituuntur quod rem praeoccupaverit; quia Innocent. XII (Const. *Ut occurratur* 4 Jun. 1692, confirmata a Clemente XIII die 15 April. 1758) decrevit irritas esse receptiones et expeditiones memorialium et precum ab una Congregatione, postquam ab alia recepta fuissent sive solvisset vel unicum negotium.

2.m «Quo dictarum Congregationum expeditiones va-

(1) Constitutiones pontificiae plura habent nomina, quae promiscue frequenter usurpantur. Ita dicuntur *Statuta Sedis Apostolicae, Decretalia constituta, Decreta, Decretales, Epistolae, Edicta, Sanctiones, Encyclicae*, etc. Multipliciter vero dividuntur: 1.° *ex ambitu*: in universales et particulares; in generales, singulares et speciales; 2.° *ex occasione*: in *Decreta* seu *Motus proprios* vel *Edicta, oracula vivae vocis, decretales* seu epistolas et *canones conciliares;* 3.° *ex objeto*: in dogmaticas et disciplinares; 4.° *ex forma externa*: in Bullas et Brevia, de quibus agemus cum sermo sit de Tribunalibus gratiae seu de Officiis Curiae Romanae, Encyclicas, Chirographa et Litteras Apostolicas.

lidae exsistant, Cardinales in qualibet Congregatione non sint pauciores tribus». (Sixtus V. Const. *Immensa*); tamen quoad C. S. Off. «pro faciliori causarum expeditione decernimus et ordinamus ut quidquid per majorem partem praesentium, vel, aliquibus absentibus, per duos ex praedictis Cardinalibus deputatis... gestum, ordinatum, decretum, terminatum aut sententiatum extiterit, sit validum et firmum ita et taliter quod nullo modo impugnari possit» (Pius V. Motu proprio *Cum felicis*). Verum haec, ut opinor, intelligenda sunt de plena Congregatione seu de negotiis majoribus; quia minora valide expediuntur a Praefecto et Secretario nomine SS. Congregationum.

3.^{m} Ut valeant acta S. Sedis debent legitime edi, idest, exhiberi in authentica forma et quandoque promulgari. Ad primum quod attinet, *de juris rigore* declarationibus tam typis editis, tam edendis quam manuscriptis nulla fides esset in judicio vel extra illud a quoquam adhibenda, sed tantum illis quae in *authentica forma, solito sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti et Secretarii ejusdem Congregationis* munitae sint (S. C. C. 2 Aug. 1631; S. C. de Prop. Fid. 30 Jul. 1652); sed in C. S. Off. acta fiunt authentica per simplicem *subscriptionem Notarii* aut alicujus *substituti Notarii*, addito semper consueto sigillo; et in Poenitentiaria sufficit etiam subscriptio Cardinalis *Poenitentiarii* aut *Regentis* aut *unius ex Praelatis Officialibus* (Correctoris, Datarii aut Sigillatoris) et *unius ex Procuratoribus*. Sed haec *de rigore juris;* nam praxis mitior est et alia indicia authenticitatis recipiuntur, puta fides et relatio auctorum gravis notae. Ad promulgationem quod attinet, ea requiritur saltem in declarationibus extensivis vel restrictivis, uti diximus, quia sunt novae leges.

b) *Corollaria.*—Varie fluunt ex praedictis principiis. *Ex principio competentiae* diversi gradus auctoritatis emanant: 1.° Modus maxime solemnis explicandi suam auctoritatem est cum Papa in Concilio edit decreta. 2.° Proxime accedit si Rom. Pontifex constitutione solemni ad universos fideles directa aliquid condit. 3.° Cum Rom. Pontifex legem specialem directe constituit. 4.° Cum per Congregationes Romanas aliquid decernit; quod item variis modis contingit; nam: I. Quae-

dam acta eduntur a Papa, *consulta aliqua Congregatione*, puta Const. *Unigenitus* contra 101 propositiones Quesnell; et haec habent auctoritatem aequalem praedictis, et quidem indelegabilem in materiis dogmaticis ad fidem, mores, liturgiam et politiam essentialem spectantibus. II. Quaedam acta procedunt et eduntur a SS. Congregationibus *praevia jussione specifica*, vel *accedente confirmatione specifica* Rom. Pontificis, et haec sunt reapse constitutiones pontificiae per medias Congregationes; unde ad primum genus reducuntur. Exemplum habetur in Const. Bened. XIV *Apostolicae servitutis*. Ex quo etiam sequitur hujusmodi acta posse esse constitutiones dogmaticas. III. Quaedam acta procedunt et eduntur a Sacris Congr. *accedente Rom. Pontificis confirmatione in forma communi;* et haec proprie sunt acta Romanarum Congregationum, licet passim appellentur *Decreta Papae*, *Acta Pontificia*, *Acta* vel *Decreta S. Sedis*, et, licet confirmentur per Litteras Apostolicas, non habent alium valorem praeter derivantem a competentia ordinaria Congregationum, quam si excederent, acta essent nullius valoris, v. g.: dispensationes votorum simplicium concessae a S. C. *super Disciplina Regularium*, irritae fuerunt per se. IV. Demum quaedam acta procedunt a Sacris Congr., *nulla praevia jussione*, *nulla accedente confirmatione;* et haec, si sint gratiosa non excepta, valent, uti ea numeri praecedentis; nam acta Rom. Congregationum, quae non excedunt competentiam illarum, habent valorem constitutionis apostolicae; si vero contentiosa et administrativa sint, alia requirunt ex parte formae et ex parte litigantium aut petentium.

Ex principio legitimae constitutionis fluunt: 1.° Quae *conciliariter* constituuntur a Rom. Congregationibus plenam vim habent. 2.° Plenam vim habent etiam *acta minora*, etsi conciliariter haud constituta; sed patet recursus ad ipsam S. Congr. si noxia sint. 3.° Obligandi vis singulorum actorum collegialium et minorum non pendet a *forma extrinseca* actorum, sed magis a *subjecta materia* et a *modo sese exprimendi*. Ratio prioris est, quia SS. Rom. Congr. constituunt res plane easdem vel diversas sub variis formis epistolarum, rescriptorum, instructionum, etc. Ratio posterioris est, quia acta SS. Congr. assimilantur legibus Papae, quarum vis a materia et

formula ipsarum aestimanda est. Nihilominus pro qualitate materiae solet *certa forma* usurpari, v. g.; forma *epistolae* cum praecepta volunt evulgare vel informationes exquirere; forma *rescripti* ad instantiam particularium, magistratuum vel collegiorum; forma *sententiae* principalis ad lites finiendas, et forma *dubiorum* cum de jure vel facto quaestio proponitur. Sed hae formae sunt quid omnino extrinsecum, uti dixi; unde materia et formula decreti sunt imprimis attendendae.

Ex principio legitimae editionis fluunt: 1.° Theoria moralis de ignorantia excusante, et 2.° theoria de necessitate promulgationis in quibusdam generibus decretorum.

ARTICULUS VI.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

I. Quaenam sint haec principia seu fontes. II. Quinam modus ex illis argumentandi.

I. **Principia.**—Principia seu fontes, ex quibus sacra jurisprudentia sua desumit argumenta, sunt:

1. Jura naturalia, tamquam primus fons, ex quo omnia jura fluunt, seu tamquam prima principia, ex quibus humana jura per modum conclusionis mediatae convenienter deducuntur.

2. Jura divino-positiva, praesertim Novi Testamenti, imo Tota Sacra Scriptura et Theologia est fons uberrimus argumentorum canonicorum, cum canones conformari debeant Sacrae Theologiae.

3. Traditiones divinae et ecclesiasticae, consuetudo et praxis ab Ecclesia receptae.

4. Canones aut decreta scripta et condita a Conciliis et summis Pontificibus.

5. Jus Romanum, et hodie Jus civile patrium ut suppletorium in iis, quae nec disponuntur in Jure Canonico, nec illi adversantur.

6. Veluti adminicula admittuntur dicta et sententiae Patrum et philosophorum, auctoritas historicorum, ratio naturalis, etc.

II. **Modus argumentandi.**—Ex his principiis argumentari potest:

1. Allegando textum Juris, quo res positive probetur; nam *erubescimus sine lege aut canone loqui* (Novel. 18. c. 5).

2. Ab specie facti, vel a ratione legis aut canonis.

3. A sensu contrario, dummodo non sequatur correctio jurium, poena, iniquitas vel aliud absurdum.

4. Ab exceptione ad regulam firmandam in casibus non exceptis.

5. A regulis juris et axiomatibus in Jure receptis. Subtilitates autem dialecticae cavendae sunt.

ARTICULUS VII.

DE LEGUM CANONICARUM ACTUALI VALORE COGNOSCENDO

Ut quis lege uti possit, requiritur non solum ut sciat legem aliquando extitisse, sed etiam eam ut legem actu vigere, necnon ut rite eam valeat, siquidem opus sit, interpretari. Ad I.^{um} videndum est quomodo lex cessare possit, et ad II.^{um} tradendae sunt regulae rectae interpretationis.

§ I.—DE CESSATIONE LEGIS.

Lex vim suam amittere potest: I. *ab intrinseco* vel II. *ab extrinseco*, et utrumque potest fieri vel totaliter vel partialiter.

I. **Cessat ab intrinseco.**—1.° Cessante fine adaequato legis; nam lex debet esse utilis communitati. 2.° Si finis legis cesset positive seu contrarie, ita ut ex materia licita fiat illicita, quia tunc peccatum esset legem observare. Ex his sequitur quod, si finis legis cesset tantum negative et partialiter, non cessat respectu particularis personae; nam lex fertur in totam communitatem.

II. **Cessat ab extrinseco.**—*Totaliter* per *abrogationem*, aut per causam aequipollentem, quae est consuetudo contraria legitime praescripta vel desuetudo; *partialiter* per *derogationem*, *dispensationem*, *epikeiam* et *consuetudinem* legitime praescriptam. De his omnibus nonnulla dicenda.

1. *Abrogatio.*—Habetur dum legislator, vel ejus successor vel utriusque superior totam legem revocat seu tollit; nam per quas causas aliquid nascitur per easdem

dissolvi potest. Si fiat sine justa causa, erit illicita, sed tamen valida; nam tota vis legis pendet a voluntate principis. Abrogatio legis, cum sit jurium correctio, est odiosa, et ideo per legem generalem posteriorem non abrogatur lex specialis anterior vel consuetudo particularis, neque extendenda est ad casus non expressos per illationes probabiles, non tamen necessarias. Sed non est odiosa abrogatio legis abrogantis restituens pristinum jus.

2. *Derogatio.*—Sequitur leges abrogationis, nam ab ea tantum differt ex eo quod lex non totaliter, sed partialiter tollatur.

3. *Dispensatio.*—Est relaxatio legis publica auctoritate facta in aliquo particulari casu, vel quoad aliquam personam, manente vigore legis ex parte materiae. Diversimode dividitur. Alia dicitur **a)** *totalis*, quae ex toto, alia *partialis*, quae ex parte legis obligationem tollit. **b)** Alia est *expressa*, quae fit per verba vel signa evidentia, alia *tacita*, quae ex mente Superioris colligitur. **c)** Alia *directa* seu immediata, qua Superior dispensat cum subditis, alia *indirecta*, qua Superior dispensat secumipso per alium, vel generaliter dum dispensat cum tota communitate, vel specialiter dum confessario dat facultatem ad eum dispensandum. Denique **d)** alia est ex *motu proprio*, alia *ad instantiam* supplicantis; alia *necessaria*, quae sine scandalo vel gravi incommodo negari nequit, alia *permissa*, quae sine incommodo negari potest.

Differt dispensatio a facultate dispensandi, quia haec est potestas in legem, sed in *actu primo;* actus vero dispensandi est illius potestatis exercitium; unde primum in legislatore exhibet decus ac insigne potestatis, et communicata habet rationem beneficii ex mera liberalitate illius dimanantis, ideoque facultas dispensandi est favorabilis; actus vero dispensandi, cum sit vulnus legis, est odiosus.

Cum facultas dispensandi sit potestas in legem sequitur: I. Legislatorem dispensare posse potestate ordinaria, itemque ejus successorem vel superiorem. II. Inferiorem non posse dispensare in lege superioris, nisi habeat delegationem saltem tacitam, et hoc etiamsi dispensatio non sit specialiter reservata. Ita communiter contra

Covarr. et paucos. Notandum tamen quod Praelatus habens potestatem dispensandi cum aliis, potest etiam immediate et directe dispensare secumipso, nisi expresse in Jure prohibeatur; nam ad exercitium jurisdictionis voluntariae non requiritur distinctio personalis inter eum a quo et cui praestatur auctoritas. III. Validam esse dispensationem in propria lege a Superiore concessam sine justa causa, quamvis illicite agat sic dispensando. Monent tamen Salmanticenses, secluso scandalo, hoc non excedere peccatum veniale. IV. E contra illicitam et invalidam esse dispensationem in lege superioris ab inferiore concessam sine justa causa; quia superior non aliter censetur concedere facultatem dispensandi nisi ut rationabiliter et prudenter dispensetur.

4. *Epikeia.*—Videndum quid sit et quando admitti debeat. Epikeia, latine *aequitas*, est «judicium de legis existentia ex rite praesumpta mente legislatoris».

Cum fundetur in aequitate, admittitur: I. Si alioquin in casu aliquo particulari lex evaderet iniqua, vel illicitum praeciperet. II. Si id quod lege praecipitur, in peculiari aliquo casu nimis esset arduum et supra humanae legis potestatem. III. Si prudenter credi potest quod legislator in hoc vel illo casu legem suam non voluerit obligare. In lege irritante communiter epikeia non admittitur.

5. *Consuetudo.* Examinanda sunt: **a)** natura et characteres consuetudinis; **b)** in quo ipsa et praescriptio conveniant et differant, et **c)** quomodo cesset.

a) Consuetudo est «lex quae populi moribus continetur». Cum sit *lex*, debet esse: I. *Rationabilis*, id est, quod ejus materia sit per se et intrinsece honesta, unde non est talis, quae juri divino naturali vel positivo adversatur. II. *Ad bonum communitatis ordinata*, unde non sustinetur, quae nervum ecclesiasticae disciplinae disrumperet. III. *Ad legislatoris voluntatem aliquo pacto relata*; sufficit vero consensus legalis seu praesumptus legislatoris generaliter approbantis omnes consuetudines rationabiles. IV. *Suo modo promulgata*, quod fit ex ipsa consuetudinis specifica differentia, qua lex ita est, ut moribus populi contineatur. V. Cum sit *mos*, qui est habitus quidam agendi, exigit actus non raros, non difformes, non contrarios, sed *notorios, frequentes, unifor-*

mes, constantes. VI. Cum sit *mos populi*, exigit ut hi actus ponantur a communitate perfecta, idest, capaci recipiendi legem. Licet autem tempus non sit definitum a lege, majus tamen requiritur ad consuetudinem *contra* legem, quam ad consuetudinem *secundum* vel *praeter* legem. VII. Demum, cum sit *lex moribus populi inducta*, requiritur in populo voluntas sese obligandi, quae maxime manifestatur, si consuetudinis transgressores *qua tales* reprehensione digni censeantur.

b) Consuetudo et praescriptio conveniunt in aliqua analogia, unde tempus ad praescriptionem longi vel longissimi temporis requisitum applicari solet consuetudini *secundum*, *praeter* et *contra* legem. Differunt tamen; nam: I. Praescriptio non continetur moribus populi, sed possessione vel quasi-possessione etiam privatae personae. II. Praescriptio non constituit legem, sed defert dominium vel quasi-dominium. III. Ad praescriptionem requiruntur peculiares conditiones in Jure determinatae, ut titulus coloratus et bona fides, quae in consuetudine, praesertim contra legem, quae potissima est, nullatenus habentur.

c) Cessat consuetudo: I. Lege contraria principis, exceptis consuetudinibus particularibus, nisi et hae clausulis derogatoriis tollantur. II. Desuetudine seu nova consuetudine negative priori contraria. III. Consuetudine positive contraria.

§ II.—DE INTERPRETATIONE LEGIS.

I. Quid et quotuplex sit legis interpretatio. II. Quinam valeant legem interpretari. III. Quaenam sint praecipuae regulae interpretationis.

I. **Natura et divisio.**—Interpretatio legis est sensus in lege contenti explicatio. Quadruplex distinguitur: *authentica*, quae fit ab ipso legislatore, qua tali, vel a successore, vel a superiore, per rescriptum legitime instar juris editum ac intimatum; *judicialis*, quae fit a legitimo judice per modum sententiae, et haec facit jus inter partes; *usualis*, quae fit ex consuetudine populi, unde dicitur: *consuetudo est optima legum interpres;* et *doctrinalis* quae fit a jurisperitis in sua scientia versatis.

Haec ultima subdividitur in *declarativam*, quae verba dubia et obscura explanat; *extensivam*, quae legem a casu expresso ad non expressum, vel a persona ad personam extendit, et *restrictivam*, quae objectum quod verbis legis videtur inclusum, ab iis, omnibus inspectis adjunctis, subtrahit. *Extensiva* potest esse vel *pure extensiva*, dum ob solam similitudinem rationis lex ab uno casu extenditur ad alterum, vel *comprehensiva*, dum ob identitatem rationis ab uno casu porrigitur ad alterum, lege quidem non expressum, in mente tamen legislatoris comprehensum.

II. **Quinam valeant legem interpretari.**—*Authentice*, cum haec interpretatio faciat jus commune et procedat a potestate legislativa, tantum legislator et ejus successor vel superior, vel qui ab iis potestatem acceperint. Papa illam a Deo accepit ad interpretandum authentice jus naturale et divino-positivum, et Sacrae Romanae Congregationes illam a S. Sede acceperunt, ut, servatis servandis, jura pontificia authentice possint interpretari, et olim *Prudentes* ex concessione principis authentice interpretabantur jus civile.

Interpretatio doctrinalis, cum non nitatur potestate legislativa, nec consequenter faciat jus, sed tantum probabilitatem, potest fieri a jurisperitis, modo fiat secundum regulas communiter a Doctoribus receptas, et legislator non prohibuerit legis interpretationem. Sic ex Bulla Pii IV *Benedictus Deus* specialiter prohibetur interpretatio Tridentini ex professo suscepta et typis edita absque consensu S. Sedis. Hac tamen prohibitione non tenentur qui in suis libris et scriptis incidenter explicant aliquem textum ex Tridentino allatum.

III. **Regulae interpretationis.**—**a)** Regulae interpretationis declarativae ad has quatuor commode reduci possunt: 1.° Ante omnia attendi debet mens et intentio legislatoris, soletque colligi ex prooemio et motivo legis. 2.° Attendenda est verborum proprietas, nisi sequatur absurdum vel iniquitas, nam sine causa non debet praesumi legislatorem methaphorice loquutum fuisse. Si tamen vocabulum duplicem habeat significationem, alteram naturalem seu communem, alteram civilem seu juridicam, haec non attenditur nisi in favorabilibus. 3.° Verba generalia modo generali sunt intelligenda, tam in

favorabilibus quam in odiosis; unde dicitur: «ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus». 4.ª In concursu legum contrariarum primo tentanda est conciliatio per subtilem interpretationem; quia correctio jurium est odiosa. Si vero conciliatio non speretur, lex posterior derogat priori. Papa autem, vel alius summus princeps, qui jura omnia in scrinio pectoris sui habet, per posteriores leges non censetur derogare legibus particularibus, privilegiis et consuetudinibus locorum, nisi id clare exprimat (c. I. t. II, in 6.°), quia haec particularia absque dedecore probabiliter praesumitur ignorare.

b) Regulae interpretationis extensivae hae tres praecipuae sunt: 1.ª Ob similitudinem rationis lex non est extendenda ad personam vel casum non expressos; nam «ratio legis, non est decisio legis». Judex tamen, deficiente alio jure, potest, imo regulariter debet, a simili ad simile judicare. 2.ª Ob identitatem rationis recte fit interpretatio comprehensiva, quia «ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio». Haec interpretatio comprehensiva plerumque locum habet in correlativis, aequiparatis a jure, connexis et in iis omnibus, in quibus nisi fiat extensio sequitur absurdum. Notetur *similitudinem rationis* et *identitatem* saepe quidem confundi, sed in rigore differre; nam *similitudo* fit in diversis rationibus, quarum altera est alteri similis, et *identitas* fit in eadem ratione, quando eadem currit pro casu in lege non expresso ac pro expresso. 3.ª In poenalibus et odiosis, quae sunt contra jus commune vel tertii, et in dispensationibus stricta interpretatio adhibenda est, neque ob rationis paritatem vel majoritatem facienda extensio ad casum non expressum, quia odia restringenda sunt (R. 15, in 6.°).

c) Interpretationis restrictivae regulae eaedem omnino sunt ac pro epikeia, de qua hic plerique loquuntur auctores, quamvis proprie epikeia non sit legis interpretatio, cum non curet de verbis legis, sed tantum mentem legislatoris declaret.

ARTICULUS VIII.

DE IIS QUAE AD CERTAS LEGUM SPECIES PERTINENT.

Ea referuntur ad rescripta et privilegia, unde duplex paragraphus occurrit.

§ I.—DE RESCRIPTIS.

I. Rescriptorum natura et divisio. II. A quo, cui et super qua re concedi possit rescriptum. III. Ipsorum forma. IV. Vitia quae in ipsis occurrere possunt. V. Horum exequutio. VI. Ipsorum duratio.

I. **Natura et divisio.**—Rescriptum quoad *nomen* est responsum scriptum; quoad *rem*, vero, responsum Principis scripto datum, quo jus dicitur ad alterius instantiam vel consultationem. Differt ab *oraculo*, quia hoc viva voce; ab *edicto*, quia hoc motu proprio datur, et a *legibus*, quia rescripta privatorum negotia respiciunt.

Ratione materiae dividuntur in rescripta *gratiae*, quibus Pontifex aliquid largitur, et *justitiae*, quibus aliquid ad controversiam dirimendam praescribit. *Ratione effectus* in rescripta *secundum*, *praeter* et *contra legem*. *Ratione ambitus* in generalia et specialia. *Ratione formae* in *gratiosa* seu gratiae factae, et *commissoria* seu gratiae faciendae, prout rescripti executor sit *necessarius*, ita ut supposita precum veritate nequeat gratiam denegare, vel *voluntarius*, ita ut gratiae concessio ejus arbitrio relinquatur.

II. **A quo, cui et super qua re concedi possit rescriptum.**—Princeps ecclesiasticus vel laicus illud dare potest; ceteri inferiores secundum limites suae potestatis aliqua rescripta dare possunt. Dari potest cuicumque subdito, sive actori, sive reo, mari vel feminae, in quacumque causa et contra quemcumque subditum, modo aliquid ex his non prohibeatur. Impetrare possunt rescriptum omnes qui non prohibentur. Prohibentur vero: 1.° Falsus aut revocatus procurator. 2.° Haereticus. 3.° Excommunicatus, etiam non vitandus, nisi in causa suae excommunicationis; ideoque ad cautelam in re-

scriptorum concessione praemittitur ex stilo Curiae absolutio a censuris ad effectum rescripti dumtaxat consequendum (1). 4.° Propter periculum fraudum alius pro alio sine speciali mandato, vel nisi agatur de personis conjunctis, rescriptum justitiae valide, non impetrabat olim bene vero rescriptum gratiae, (c. 28 tit. III, lib. I. Decr.); sed hodie ex stylo Romanae Curiae quaelibet persona idonea sine distinctione, tam pro se quam pro alio, illud impetrare potest.

III. **Forma rescripti.**—Consistit in legitima ejus expeditione seu in solemnitatibus de jure et stilo Curiae Romanae requisitis, cujusmodi sunt: 1.° Ut praemisso nomine Principis rescribentis, ponatur *narratio* seu *corpus signaturae*, tamquam prima pars, in qua exprimitur relatio eorum, quae petuntur et ex qua causa. 2.° Ut subdatur *dispositiva* seu *conclusio*, tamquam altera pars, in qua Princeps mentem suam aperit, manifestando quid, qualiter et sub quibus conditionibus concedat, adjecto anno Incarnationis Christi, Pontificatus vel imperii, et indictionis mense, die et loco. 3.° In ipso contextu Papa Episcopos vocat *fratres*, alios vero fideles *filios*; et uni rescribens non utitur numero plurali, *vos*, *vestra;* sed singulari. 4.° Rescriptum papale aliquando per Bullas, aliquando per Brevia aut per simplicem scripturam expeditur, et saepe rescribendo ad calcem ipsarum precum. Cum non per Bullas nec per Brevia expediuntur, sed aliis modis simplicioribus, potius dicuntur rescripta stricto sensu.

IV. **Vitia rescriptorum.**—Dupliciter vitiari possunt rescripta: *ab extrinseco*, ex defectu formae substantialis in rescripto servandae, et *ab intrinseco* ex defectu in ipsa petitione, vel causa, vel in modo *dispositivae*.

1.° Ex primo capite vitiatur rescriptum: a) Si aliquid

(1) Ne autem haec absolutio praeberet occasionem censuras ipsas vilipendendi et insordescendi in illis, in reg. 66.ª Cancellariae Apostolicae statuitur hujusmodi clausulam absolutoriam non suffragare excommunicatis, qui in censura excommunicationis per annum continuum insorduerint. Sed, hac regula Cancellariae non obstante, valet pro foro conscientiae tantum rescriptum ab excommunicato obtentum circa facultatem legendi libros prohibitos, circa dispensationem a jejunio, benedictionem coronarum, etc. cum applicatione indulgentiarum aliaque hujusmodi, ut decisum fuit a S. Poenitentiaria die 9 Sept. 1898.

omittatur ex forma substantiali, ut nomen Pontificis, data, etc. **b)** Si rasura vel cancellatio sit, praesertim in loco substantiali, vel vitium aut fractura in sigillo. **c)** Si reperiatur error crassus contra grammaticam.

2.° Ex secundo capite vitiatur: **a)** Ob vitium subreptionis vel obreptionis. *Subreptio* consistit in reticentia veri exprimendi in precibus; *obreptio* in expressione falsi. Si vitium subreptionis vel obreptionis dolose committatur et non cadat in meris accidentalibus, ipso jure reddit nullum rescriptum gratiae, et probabilius etiam rescriptum justitiae; nam alii quoad hoc dicunt minus recte (ut patet ex cap. 20 tit. III, lib. I Decr.) non esse nullum, sed annullandum ope exceptionis. Si subreptio vel obreptio ob simplicitatem vel ignorantiam irrepsit, non valet si Papa, cognita veritate, non fuisset litteras concessurus (c. 2. 19 et 20 h. t.); nam concessio pendet a concedentis intentione. Si vero, cognita veritate, Papa concessisset litteras, valet rescriptum justitiae, saltem in forma communi (c. 20. h. t.); et etiam rescriptum gratiae, excepta gratia beneficiali; quamvis nonnulli ut Conrad, Vinc. de Just. et alii dicant non valere. Ut id dignoscatur, videndum est an obreptio vel subreptio afficiat causam *finalem* seu *motivam* idest illam, qua princeps inductus ordinarie solet concedere gratiam, vel tantum *impulsivam* seu quae de se ordinario non sufficit, adjuvat tamen causam motivam ad impetrationem gratiae. Si afficiat causam motivam nullum est rescriptum, e contra si tantum impulsivam; postremum est quoque dicendum, quando afferuntur duae causae motivae quarum una tantum est falsa. **b)** Si in ipsis rescriptis necessarium non exprimatur, aut falsum allegetur, et id fit vel quia de jure praesumitur, tunc obreptio vel subreptio, vel rescripti falsificatio.—Nonnumquam inseritur in rescriptis haec clausula quae praetereunda non est, nempe: *motu proprio*, nam, licet non sanet vitium *obreptionis*, purgat tamen regulariter vitium *subreptionis*, nisi reticentia veri sit contra jus tertii, vel se referat ad inhabilitatem aut qualitatem intrinsecam beneficio, ut quod curatum sit, etc.

Ob aliquam ex his praesumptionibus invalidum est: 1.° rescriptum datum contra jus commune, vel statutarium vel con-

suetudinarium, vel contra jus et privilegium tertii, nisi horum mentio fiat (C. 19 h. t. et c. 1 de Cons. in 6.°); 2.° rescriptum secundum in quo non fit mentio prioris, nisi hoc esset speciale et prius generale, quia generi per speciem derogatur; 3.° rescriptum prohibens cognitionem causae et veritatis precum (c. 2. h. t), quia in omni rescripto papali tacite intelligitur illa clausula: *si preces veritate nitantur.*

Specialiter ob easdem causas invalidum est rescriptum justitiae: 1.° in quo dantur incerti judices ad arbitrium oratoris eligendi (c. 10 h. t.); 2.° illud vi cujus vocari deberet reus extra suam dioecesim ultra unam diaetam, nisi id specialiter exprimatur (c. 11 h. t. in 6.°); 3.° illud in quo non fit mentio litis pendentis, sententiae, appellationis, transactionis vel alterius compositionis in eadem causa.

Ob idem, rescriptum beneficiale est invalidum: 1.° si prioris beneficii, etiam modici, mentionem non faciat (c. 7 et 42 h. t.); 2.° si qualitatem beneficii non exprimat, an sit curatum, etc.; 3.° si non exprimat defectus aetatis, et 4.° si non exprimatur modus vacationis (c. 8. h. t.—c. 9. h. t. in 6.°).

V. **Rescriptorum exequutio.**—Rescriptorum exequutores vocantur illi quibus praesentanda sunt rescripta, ad hoc ut inspiciant an suis qualitatibus sint legitime instructa, et an preces veritate nitantur. Exequutores rescriptorum papalium, si de rescriptis justitiae agatur, sunt Judices synodales, qui in synodo dioecesana eliguntur inter personas in dignitate ecclesiastica constitutas, vel inter personatus et canonicos Ecclesiae Cathedralis, et ex privilegio inter Proto-notarios Apostolicos honorarios. Rescripta gratiae committi solent exequenda Episcopo, vel ejus Vicario Generali, aut ordinario, aliquando etiam confessariis approbatis ab ordinario, dummodo ad hoc electi fuerint ab oratoribus, quod locum habet in rescriptis datis a S. Poenitentiaria forum internum respicientibus. Quando rescripta exequenda committuntur ordinario loci, uti sunt rescripta circa matrimoniales dispensationes ex decreto S. U. I. 20 Febr. 1888, haec exequi possunt ab Episcopo, ab ejus Vicario Generali, et sede vacante, a Vicario Capitulari.

In ipsa exequutione commissarii examinare debent an preces veritate nitantur, an causa subsistat, et servare ea omnia quae in parte dispositiva scribuntur. In ordine ad *valorem* rescripti attenditur tempus *datae* in

rescriptis gratiae factae, in aliis vero, tempus *praesentatae.*

In concursu plurium rescriptorum, speciale praeferri debet generali, licet ejus mentionem non faciat (c. 1. h. t.); si utrumque sit speciale vel utrumque generale, praefertur posterius, si prioris mentionem faciat (c. 2. h. t.); secus prius in *data*.

VI. **Rescriptorum duratio.**—De se omnia rescripta sunt perpetua, nisi in ipsis praefiniatur tempus ad praesentandum. Excipe casum, quo orator per annum non est usus rescripto justitiae, et interim in eadem causa impetratum est aliud rescriptum; tunc enim in poenam negligentiae privatur commodo illius, etsi in posteriori non fiat mentio prioris.

Speciatim rescripta justitiae exspirant cum concedente, si is, re adhuc integra, moriatur; at rescripta *gratiae factae* manent perpetuo; si tamen esset *gratia facienda*, re integra (1), exspirarent cum concedente.

Saepe in rescriptis nonnullae clausulae inseruntur, quae ad ipsorum durationem respiciunt. En tibi praecipuas, earumque interpretationem: 1.ª *Ad beneplacitum nostrum*, vel *donec voluero*. Haec clausula juxta plurimos, praesertim antiquiores, indicat gratiam temporaneam, quae cum concedente extinguitur, nam post mortem nulla est ejus voluntas, idque confirmant plures SS. CC. Rom. decisiones, inter quas S. C. de Prop. Fide 5 Oct. 1816. Nonnulli autem recentiores, innixi praesertim resolutione S. C. EE. et RR. 19 Jun. 1866, contrarium contendunt 2.ª *Ad beneplacitum Sedis Apostolicae, donec revocavero* vel *aliter providero*, quae omnes indicant gratiam perpetuam.

(1) In rescriptis justitiae dicitur res integra, quoties ante mortem concedentis nec citatio nec contestatio litis facta sit; si autem facta sit citatio, non vero contestatio, duplex contraria dispositio in Jure habetur: illa, nempe Lucii III, quae in c. 19, tit. XXIX, lib. I. Dec. habetur, juxta quam res adhuc integra censeretur, et illa Urbani III, quae habetur in cap. 20 ejusdem tituli, quaeque prioris dispositionis correctiva videtur, et juxta quam res non integra censenda foret. In rescriptis gratiae faciendae res est integra, si rescribens moriatur antequam litterae praesentatae sint executori, vel post factam praesentationem executor nullum actum emiserit, ex quo ipsum posset dici negotium occupavisse.

§ II.—DE PRIVILEGIIS

I. Privilegiorum natura. II. Divisio. III. Modi quibus acquiri possunt. IV. Ipsorum confirmatio. V. Privilegii effectus. VI. Regulae servandae in ipsorum interpretatione. VII. Quomodo amittantur.

I. **Natura privilegii.**—Ad eam cognoscendam, inspicienda sunt: 1.° definitio; 2.° requisita necessaria ad privilegium proprie dictum, et demum 3.° differentia a lege, dispensatione, gratia et rescripto.

1.° *Privilegium definitur*: Jus speciale, seu privata lex alicui favorem specialem concedens. Ita communiter.

2.° *Quoad requisita*: **a)** Quamvis in foro conscientiae saepe necessaria non sit scriptura (1), sufficit enim si viva voce concedatur, pro foro externo fere semper necessaria est. **b)** Requiritur ut aliquid concedat alias de jure communi non concessum, ideoque favorem vel contra vel saltem praeter jus. **c)** Si per legem universalem statuatur, requiritur promulgatio; si vero privatim concedatur, sufficit concessionis intimatio ut privilegiati privilegio uti possint, et ut ceteri teneantur privilegii usum non impedire. **d)** Ut acceptetur vel personaliter vel per procuratorem specialem, si agatur de privilegiis privatis, et non de communibus, quamvis non desunt auctores, qui etiam quoad privilegia privata vel subtiliter distinguunt, vel negant requiri acceptationem (Vid. Suárez, *de Legibus* VIII, c. XXV).

3.° *Privilegium differt a lege;* nam **a)** lex immediate tendit ab bonum commune; privilegium vero ad bonum privatum alicujus personae, loci, collegii vel communitatis. **b)** Per legem constituitur jus commune; per privilegium saepe eidem derogatur. **c)** Lex semper obligat ad sui observantiam suos subditos; privilegium autem non semper cogit ad eo utendum. **d)** Lex solemnem requirit promulgationem; non item privilegium, nisi per legem generalem concedatur.

(1) Necessaria est scriptura pro foro interno in apostolicis privilegiis beneficiorum, judiciorum residentiae et ingressus in monasteria monialium (Ex tit. 1 de Elec.; reg. 24 Canc. Apost.; Concilio Trid. sess. 28, c. 1 de ref., et sess. 25, c. 5 de Reg.)

Differt a dispensatione; nam **a)** haec legi semper adversatur; privilegium autem non semper est contra jus. **b)** Dispensatio saepe datur sine duratione saltem notabili; privilegium autem solet esse cum notabili duratione. **c)** Dispensatio saepe ad unum tantum actum contra legem datur; sed privilegium plures actus respicere solet.

Differt a gratia seu beneficio tamquam species a genere; nam, licet omne privilegium sit gratia, non omnis gratia est privilegium, v. g.; absolutio ab excommunicatione incursa.

Differt a rescripto; nam **a)** hoc, semper scripto; illud quandoque viva voce conceditur. **b)** Rescripta saepe tendunt ad juris dubii decisionem; privilegium vero a jure communi eximit. **c)** Multa dantur rescripta justitiae; sed omnia privilegia gratiam continent.

II. **Divisio privilegii.**—Multipliciter dividitur: 1.° In *reale* quod directe et immediate rei conceditur, unde est de se perpetuum quamdiu res durat, et non licet eo uti extra territorium, cui inhaeret; et *personale*, quod directe et primario personae conceditur, unde personam sequitur ut ubicumque eo uti potest. Hoc renuntiabile est, e contra illud. In dubio an sit reale vel personale, recurrendum est ad Superiorem; si commode adiri nequeat, privilegium favorabile reale censetur, odiosum personale. Juxta sententiam communem privilegium communitatibus vel ordinibus regularibus concessum est reale; ut autem singuli eo utantur, requiritur ut concessum non sit soli communitati tamquam corpori, sed etiam singulis communitatis membris.

2.° In privilegium *contra jus et praeter jus*. Illud, ut odiosum, ordinario stricte; istud vero, ut favorabile, late est interpretandum.

3.° In privilegium *in corpore juris clausum*; unde illud judex ignorare non praesumitur, et est plerumque latae interpretationis; et *extra corpus juris* in Bullis privatis vel aliis similibus instrumentis contentum, quae proinde exhiberi debent, si contra illud agat judex. Privilegia *extra corpus juris* plerumque sunt temporanea et strictae interpretationis.

4.° In *mere gratiosum, remuneratorium* et *conventionale*. *Gratiosum* est quod conceditur ex mera liberali-

tate. *Remuneratorium* quod propter merita propria vel aliena alicui applicata conceditur in praemium et consequenter in commodum proprium. *Conventionale* est quod pacto interveniente conceditur, vi cujus censetur privilegiarium emere vel recompensare privilegium, prout ex mera liberalitate, vel ex grato animo procedit.

5.° In privilegium *ad preces* et *motu proprio*, prout ad instantiam, vel independenter ab illa Princeps in ejus concessione movetur. Sed notandum quod non censetur motu proprio concessum, nisi ita in ipsa concessione exprimatur.

6.° In *scriptum et non scriptum*. Hoc dicitur quod scripto non continetur; et potest esse *vivae vocis oraculum*, quod per accidens scriptum non est, quia licet sufficienter prolatum a Principe, contigit ut non scriberetur vel saltem non authentice; et *non scriptum per se*, quod a nemine dictatum, sed usu quodam et tacita Principis conniventia comparatum est.—Utilissimum est privilegium esse scriptum; sed scriptura debet esse authentica, ita ut fidem faciat privatam saltem pro foro interno, publicam autem pro externo, licet per testes et alia instrumenta etiam probari possit.

7.° *In primo specialiter concessum*, sine ordine et respectu privilegii prius alteri concessi, et *ad instar*, idest, eo modo ac forma, quibus alteri convenit. Privilegium *ad instar* alterius privilegii non differt a communicatione privilegii; unde de ea specialiter postea loquemur.

8.° *In favorabile*, quod nemini incommodum affert, et *odiosum*, quod privilegiato ita favet, ut simul alteri praejudicium generet. Quando simul favorem continet et gravamen, si fieri possit, separatim spectanda est pars utraque; si id fieri nequeat, odiosum erit vel favorabile, prout ex concedentis intentione, vel ex gravitate causae, vel ex materiae necessitate aut utilitate erui videbitur.

9.° *In absolutum, conditionatum* et *modale* prout absque conditione, vel cum ea, vel cum modo determinato quoad usum ipsius conceditur. In *absolutis* attenditur significatio voluntatis concedentis ut valeant; in *conditionatis* vero inspicitur verae conditionis implementum; at *modalia* statim valent, licet deinde modus non impleatur. Si opus requisitum in privilegio propter fru-

ctum ejus postuletur *ante effectum* privilegii, est rigorosa conditio, nisi oppositum ex verbis constet; si autem opus possit fieri postea, erit modus, nisi verba manifeste obstent. Ad intelligendum denique an id quod exigitur sit *conditio* vel *modus*, vel an ad formam substantialem aut accidentalem pertineat, standum est proprietati verborum.

III. **Modi quibus acquiri possunt.**—Acquiruntur concessione vel usu legitimo, scilicet consuetudine aut praescriptione legali. De uso legitimo nil speciale occurrit, sed quoad concessionem videndum est: 1.° quis et quibus possit concedere privilegium, et 2.° quotuplici modo soleant concedi privilegia.

1.° Privilegium concedere potest ille solus, qui legem ferre potest. Privilegia *contra* jus solis subditis concedi possunt; sunt enim actus jurisdictionis voluntariae, quae nonnisi in subditos exerceri valet; privilegia vero *praeter* jus etiam extraneis, quia sunt actus merae liberalitatis. Ita communiter.

2.° Duplici modo concedi solent privilegia: *directe* et *per communicationem*: haec potest esse *aeque principaliter* seu *pariformiter*, quando eo uti potest ac si ipsi primo concessum esset; unde per se stat independenter a primario, et consequenter aucto privilegio exemplari non augetur privilegium *ad instar*, nisi de servanda in futurum aequalitate sufficientur in hujus privilegii concessione disponatur, et *accessorie* seu *imperfecte* quando extenditur ad alios, illos quasi aggregando iis qui antea privilegio gaudebant, seu dependenter ab iisdem; unde privilegium ita communicatum diversas sequitur primarii privilegii variationes, sed proportione servata (1).

IV. **Privilegii confirmatio.**—Est innovatio, vel juris prius habiti per legitimum Superiorem facta corroboratio. Duplex distinguitur: alia *in forma communi*, quando Superior absque examine et sine perfecta cognitione praevia actum confirmat in eo statu in quo prius erat; alia *in forma speciali*, quando Superior, causa plene cognita et cum perfecta illius notitia, privilegium confirmat. Differunt inter se, quia prima confirmatio nullum

(1) Vide plura de privilegiorum communicatione inter Regulares in tractatu de *Regularibus*.

jus tribuit novum, sed solum antiquum in eo statu in quo est conservat; unde si privilegium ex aliquo capite invalidum fuerit, confirmatio ista illud non revalidat. E contra, confirmatio secunda novum jus tribuit actui confirmato, illumque, si forte invalidus sit, efficit validum, supplendo juris defectus, qui in eo intervenerunt, si suppleri possunt ac solent a confirmante. Excipe: 1.° Si privilegium a principio fuerit obreptitium vel subreptitium. 2.° Si in confirmatione addatur clausula, quae revalidationi repugnet. 3.° Si agatur de privilegiis revocatis a Concilio generali, et in indulto confirmationis non adsit clausula annihilans Concilii generalis revocationem.

V. **Privilegii effectus.**—Ex parte privilegiati est jus utendi privilegio secundum tenorem et rectam interpretionem illius; ex parte vero aliorum est obligatio non impediendi usum privilegii. Si gratia tollit solam inhabilitatem, vel concedit actum nullo speciali jure loci prohibitum, licitus est usus illius etiam extra territorium, ut legere libros prohibitos, etc. An autem privilegiatus teneatur uti privilegio, distinguendum: *privilegio privato*, negative, nisi usus denegatio grave damnum proximo inferret aut publico bono noceret, aut juxta probabiliorem sententiam, non paucis tamen contradicentibus (1), quoties per privilegium actus aliunde praeceptus fit licitus, qui antea talis non erat, vel tollitur ipsius impedimentum. *Privilegio communi* affirmative, si privilegii non usus bono communi praejudicet, quod fere semper eveniet.

In concursu duorum privilegiatorum, si privilegia sint aequalia, sibi non opposita, privilegiatus uti potest privilegio adversus privilegiatum; si sint respectiva et opposita, speciale praevalet generali, si vero utrumque est generale vel speciale, praevalet antiquius vel a majori potestate concessum. Si tantum apparentem habeant contrarietatem, praevalet magis absolutum, alterum vero, quasi tacite conditionatum, ei cedit. Cum vero privilegium ab ipso jure praelationem habeat, alteri praeferendum est.

(1) Inter alios vide Dian. IV. III. CXXIV, 2.; et Con. II. XVII, 28.

VI. **Regulae servandae in privilegiorum interpretatione.**—1.ª Si verba sint clara, juxta verborum proprietatem servandum est, nisi aliunde sufficienter constet de mente privilegium concedentis. 2.ª Si sint obscura, attendendum ad supplicationem, seu partem privilegii narrativam. 3.ª Privilegia pure favorabilia, qualia sunt, quae soli concedenti nocent, late sunt interpretanda quantum patitur verborum proprietas. 4.ª Privilegia odiosa, quia juri communi adversantur, stricte sunt interpretanda, nisi proprio motu concessa sint. 5.ª Si vero odiosa sint quia in notabile tertii praejudicium cedunt, stricte sunt interpretanda, nisi concessum sit privilegium in favorem boni communis, reipublicae vel religionis catholicae, vel cultus Dei et salutis animarum, et tertii potestas non sit in favorem ejusdem boni constituta. Ceterum numquam privilegium ita restringendum est ut nihil operetur, aut privilegiato evadat onerosum.

VII. **Quomodo amittantur privilegia.**—1.° Per mortem concedentis, si ad beneplacitum illius concessum sit; juxta probabilem et communem sententiam, quam, ut vidimus, nonnulli recentiores impugnant. 2.° Privilegium *personale* morte privilegiati; *reale*, interitu rei absque spe resurrectionis vel reaedificationis; secus tantum suspenditur. 3.° Lapsu temporis, si ad tempus determinatum concessum sit, quod tempus currit a die *datae*. 4.° Deficiente conditione posita ad ipsius conservationem, aut saltem suspenditur donec instauretur conditio. Si vero conditio ponatur ad *fieri*, semel posita, manet privilegium, licet postea deficiat; sed antequam ponatur non viget. 5.° Per cessationem totalem causae finalis cessat contrarie, etiamsi non habeat tractum successivum. 6.° Per liberam et expressam privilegii renuntiationem a Superiore concedente acceptatam, si in favorem personae privatae concessum sit. Si vero concessum sit in favorem alicujus communitatis, amittitur per renuntiationem proprii Praelati cum consensu totius Capituli, dummodo tamen, juxta multos, serventur solemnitates de jure. 7.° Per non usum privativum, si agatur de privilegiis aliis onerosis, et dummodo ille non usus liber et animo renuntiandi habitus sit, et tempus duraverit ad praescriptionem sufficiens. 8.° In privile-

giis negativis simulque aliis onerosis, per usum contrarium, si actus libere positus sit cum animo renuntiandi, vel si habens tractum succesivum totum tempus legitimae praescriptionis transcurrat. 9.° Per abusum privilegii, sed diversimode juxta qualitatem abusus, qui potest esse *per excessum*, sumendo ex illo occasionem delinquendi, vel *contra privilegii finem agendo*. 10. Per revocationem expressam vel tacitam concedentis. Circa hujusmodi revocationem notandum est: 1.° Quod, nisi bono publico privilegium damnosum sit, nequit fieri in privilegiis non subdito concessis ab eoque acceptatis, neque in privilegiis conventionalibus aut remuneratoriis ex justitia debitis, si non detur saltem compensatio. 2.° Ad derogandum privilegio in corpore Juris inserto, juxta sententiam communiorem, non sufficit clausula generalis: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, nisi addatur: *constitutionibus aut legibus in contrarium facientibus;* quod negant tamen nonnulli. 3.° Neque per clausulam generalem revocatur privilegium conventionale aut remuneratorium ex justitia, nec, juxta multos, privilegium Regularium, nec privilegia clausulam habentia quae nequeant revocari nisi de illis expressa fiat mentio. Haec tamen revocata censentur, si in revocatoria dicatur: *Revocamus, etiamsi in eo clausula reperiatur requirens expressam de eo mentionem*, vel *quacumque verborum forma concessum sit*, aut quid simile.

ARTICULUS IX.

DE MODO CITANDI ET DISCENDI JUS CANONICUM

I. **Modus citandi.**—Decretum Gratiani in *prima parte* citatur allegatis canone et distinctione; sive canon allegetur primo sive ultimo loco, sive per initiale vocabulum, sive per numerum, sive per utrumque; *v. gr.*; *Can. Miramur, Dist. 61; Can. 5, dist. 61*; *Can. Miramur 5, dist. 61. Secunda Decreti pars* citatur allegato canone, causa et quaestione; ubi adverte quod numerus praecedens litteram *q* semper significet causam. *Can. Quia juxta 61, cau. 16, q. 1; Can. 61, ca. 16, q. 1.* In citatione causae XXXIII quaestionis III plerumque omittitur nu-

merus causae et quaestionis, allegatis solum canone et distinctione cum addito *de poenitentia. Decreti tertia pars* citatur ut prima, cum addito *de Consecratione.*

Decretales Gregorianae citantur allegato capite et titulo sive per initiale vocabulum, sive per numerum, sive per utrumque. Olim addebatur X, quod significabat *extra Decretum Gratiani, v. gr.*; *Cap. Odoardus de Solutionibus*; *Cap. 1 de Electione; Cap. Sicut Romana 1 de Rescriptis.*

Ceterae partes Corporis Juris eodem modo citantur cum hac differentia, quod liber VI significetur per hoc additum, *in 6.°*; Clementinae per initialem *Clem.* Si textus est Joannis XXII additur nomen hujus Papae. Si est ex Extravagantibus communibus, additur: *inter communes.*

Bullae extra Corpus juris allegari solent per initiale vocabulum cum nomine Pontificis, additis, si opus est, paragrapho, versiculo, die et anno.

II. **Modus discendi Jus Canonicum.**—*Primo*, faciendum est systema generale rerum totius Juris Canonici, tum ut generaliter et quasi in confuso sciatur quid in quolibet loco tractetur, tum ut excitata memoria, facilitas quodcumque statim in jure reperiendi comparetur, tum denique ut a generali et confusa notitia facilior sit progressus ad specialem et distinctam scientiam.

Secundo legendus est aliquis auctor, qui methodo doctrinali et plana materiam cujuslibet tituli pertractet sine magnis ambagibus et argumentis coacervatis ad disputandum, tum ut sciatur in puncto juris quid tenendum sit, tum ne magis utilia ab inutilibus impediantur. Moderatae tamen disputationes permittuntur, imo suadentur iis qui sufficienter doctrinalibus sunt imbuti, cum exercitium disputandi ad diligentius legendum et inquirendum inducat.

Tertio intellecta doctrina tituli, ad fontem recurrendum est, et singula capitula tituli cum casibus ibi relatis conferenda, adhibito aliquo eximio interprete.

Quarto faciendae sunt crebrae reflexiones rerum antea lectarum et gradatim a titulo ad titulum est sine saltu procedendum.

Quinto demum in interpretatione capitulorum haec methodus in scholis servari solet: lecto capite, efforma-

tur species seu succincta et clara narratio casus in capitulo propositi, ad quod magnopere confert legere in aliquo originali integram Decretalem (ex qua excerptum est caput), vel notas commentatorum. Deinde deducitur ex capite, ut conclusio, aliquod principium juridicum; proponuntur statim objectiones contra conclusionem inductam; confirmatur postea conclusio ex aliis textibus juris et ex principiis juridicis, et ultimo loco solvuntur objectiones et iterum concluditur principium propositum.

Si caput speciem non habeat, illa omissa, cetera servantur.

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

LIBER I.

DE PERSONIS.

Naturalis ordo exigit ut primo de personis in genere, prout in Jure Canonico considerantur, pertractemus, et secundo de personis hierarchiam ecclesiasticam constituentibus. Sed cum duplex sit haec hierarchia, ordinis nempe et jurisdictionis, separatim personae quae ad illas pertinent considerandae sunt. Item, cum plura occurrant disserenda circa hierarchiam jurisdictionis in genere, praemittenda haec sunt tractationi jurisdictionis in specie: cumque plures sint in Ecclesia jurisdictiones ab ordinaria exemptae, de personis ad illas pertinentibus est pariter sermo faciendus. Igitur primum hujusmodi librum *de Personis* quinque titulis persolvemus; quorum I.us de Personis in genere; II.us de Personis quae Hierarchiam ordinis constituunt; III.us de Hierarchia jurisdictionis in genere; IV.us de Hierarchia jurisdictionis in specie, et V.us de Jurisdictione exempta Regularium intitulabitur.

TITULUS I.

DE PERSONIS IN GENERE

Quatenus ad nostrum scopum spectat sufficit ut inquiramus: I. Naturam personae juridicae in ordine ad Ecclesiae societatem. II. Communem divisionem personarum intra Ecclesiam. III. Generalem habitum earum ad ipsam Ecclesiam.

I. **Natura.**—Persona juridice considerata in ordine ad societatem ecclesiasticam definitur: Subjectum capax jurium ecclesiasticorum.

II. **Divisio.**—In Jure Canonico generica personarum divisio est in *clericos* et *laicos;* illi sunt, qui *praesunt* in Ecclesia, hi qui *subsunt.* Haec divisio, dimanans ex ipsa Christi lege Ecclesiaeque constitutione, quaeque ab ipsis primordiis Ecclesiae inventa est, fundamentum est ac veluti substratus, quo Ecclesiastici Juris sanctiones nituntur. Exinde apparet Ecclesiae jura violari, si quando in societate humana haec distinctio contemnitur, et sub praetextu cujusdam commentitiae aequalitatis, omnia jura ac privilegia clericorum aboleri intenditur.

Ut clarius haec divisio intelligatur, haec notanda sunt:

1.° Quod etymologice, nomen *cleros* ex graeco desumptum idem sonat ac *sors* seu haereditas latine, quia, ut ait divus Hieronymus ad Nepotianum scribens, «clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt», sicut *laos* idem est ac *populus*, quae vox commune aliquid indicat.

2.° Quod nomen clericus triplicem significationem in Jure admittit. *Prima* est *latissima*, qua clericus opponitur populo; et hoc modo nomine clericorum veniunt etiam religiosi omnes, qui sub aliqua regula approbata in communi vivunt, necnon eremitae, qui habitum de manibus Episcopi receperunt. *Secunda latior*, qua cleri-

cus opponitur populo et Regularibus seu vitam perfectam ex proprio instituto, approbante Ecclesia, profitentibus; et hoc sensu nomine clericorum veniunt omnes ordinati. *Tertia strictior*, quae eos tantum complectitur, qui nulla insigniti dignitate ecclesiastica, aut canonicatu, saltem tonsurae initiati sunt.

3.° Quod *prima* significatio est tantum juridica seu respiciens effectus quosdam juridicos, ut sunt privilegia communia clericorum, quae ex dispositione Juris personis divino servitio mancipatis per professionem vitae perfectae tribuuntur; secunda vero et tertia sunt propriae.

4.° Quod *prima* significatio adhibetur in favorabilibus et in officiis, a quibus honor status clericalis pendet; *secunda* et *tertia* in odiosis, nisi ex subjecta materia vel aliis manifestis indiciis, mentem legislatoris clare patefacientibus *prima* adhibenda sit (1) (Fagnanus, in cap. *Bonae memoriae* de *Post. Praelat.*, n. 5; Reiffenstuel ad tit. I, lib. III, n. 14).)

(III. **Generalis habitus personarum ad Ecclesiam.**— 1.° laicorum; 2.° clericorum.

1.° Cum laici Ecclesiam discentem, sanctificandam et regendam constituant, jus quoque habeant oportet: **a)** Ut ii, quibus hoc munus competit, potestatem sive ordinis, sive jurisdictionis in eorum bonum exerceant. **b)** Ut illorum omnium jurium ac bonorum participes efficiantur, quae ex actuali Ecclesiae communione dimanant, ut sepulturae ecclesiasticae, etc. **c)** Quoad potestatem ordinis, nulla efficere possunt sacramenta praeter matrimonium et baptismum sed hunc solum

(1) Jure Romano generica personarum divisio haec erat: ut alii essent liberi, alii servi. Si servitus accipiatur pro simplici praestatione operum per totam vitam, per se non est illicita, si justis de causis id fiat, quamvis, ut juri naturali parum conformis a codicibus modernis, et nominatim ab hispano (Art. 1583) rejiciatur. Si vero de ea loquamur, qua quis alieno dominio contra naturam subjicitur, et ad quam leges romanae referuntur, numquam *ut jus* ab Ecclesia fuit recognita, bene vero *ut factum* aliquando ab ipsa irremediabile tolerata, et ex quo ob decus status clericalis et ad majora mala praecavenda aliquas inhabilitates pro ipsis constituit, quae jura fidelibus omnibus communia intacta relinquebant. Ceterum ex historia constat quantum ad servitutem abolendam Ecclesia adlaborarit.

privatum et ex necessitate ad liceitatem; neque sacramentalia, quae jure ecclesiastico potestatem ordinis exigunt. **d)** Quoad potestatem jurisdictionis eam tantum possunt acquirere extraordinario ex delegatione R. Pontificis, mares quidem certe, feminae autem probabiliter tantum. **e)** Quoad honores, nequeunt intra presbyterium cum clericis consistere, quando missae sacrificium offertur vel alia divina peraguntur officia, nisi causa communicandi (Can. 30, Dist. II de Consecr., cap. 1, tit. I, lib. III Decret.), nec peculiares honores a clericis exigere, quamvis in his admitti possint consuetudines, quae nihil irrationabile praeseferant.)

〈 2.° Ex ipsa divina institutione non omnes clerici sunt aequalis gradus et potestatis, sed est inter eos hierarchia, quae duplex est: *ordinis* seu potestatis in media sanctificationis, nempe sacramenta, et *jurisdictionis* seu potestatis in liberam hominis cooperationem per merum imperium. Ut autem ad clericorum ordinem quis accenseri dicatur, initiari debet per ritum, qui dicitur *prima tonsura.* 〉

TITULUS II.

DE PERSONIS AD HIERARCHIAM ORDINIS PERTINENTIBUS

Circa hanc materiam, quatenus ad Jus Canonicum refertur, tantum haec tria quaerenda sunt: I. Modus ingrediendi hierarchiam ordinis. II. Quinam ab ejus ingressu arceantur. III. Jura et officia communia omnibus ad ipsam pertinentibus.

ARTICULUS I.

DE MODO INGREDIENDI HIERARCHIAM ORDINIS

Distinctis paragraphis agemus de modo ingrediendi: I. in supremum et II. in alios sacrae hierarchiae gradus.

§ I.—DE MODO INGREDIENDI IN SUPREMUM GRADUM HIERARCHIAE ORDINIS, QUI EST CONSECRATIO EPISCOPALIS.

I. Consecrationis natura. II. Cui competat jus Episcopos consecrandi. III. Circumstantiae consecrationis. IV. Effectus hujusmodi consecrationis.

I. **Natura.**—Consecratio episcopalis est ritus sacer, quo simplici presbytero plenitudo sacerdotii confertur per potestatem ordinandi et confirmandi, proximeque habilitatur ad pastorale officium Supremi Pontificis designatione exercendum.

II. **Cui competat jus Episcopos consecrandi.**—Antiquitus Metropolitanis competebat suffraganeorum consecratio, benigna tamen delegatione Apostolica, nam per se haec est ex causis majoribus S. Sedi reservatis. Et revera hodie hoc jus exclusive pertinet ad R. Pontificem

sicut et electio et confirmatio Episcoporum (1). S. tamen Pontifex ad consecrationem delegare solet Romae aliquem ex Cardinalibus episcopali charactere insignitum, aut quemlibet ex quatuor Patriarchis titularibus; extra Curiam vero, Episcopum ad voluntatem consecrandorum eligendum.

III. **Circumstantiae consecrationis.**—Hae respiciunt: 1.° numerum Episcoporum, qui ad consecrationem requiritur, 2.° locum, 3.° tempus, 4.° modum consecrationis.

1.° Quoad *numerum*, ad validitatem unus tantum requiritur Episcopus consecrans; sed ad liceitatem unus consecrans et duo assistentes. In ecclesiis tamen ultramarinis dispensari solet ut unus tantum sit consecrans cum duobus presbyteris, si fieri queat in dignitate ecclesiastica constitutis, assistentibus.

2.° *Locus* consecrationis, si commode fieri possit, debet esse vel ipsa Ecclesia Episcopi consecrandi, vel contenta in ejusdem provincia ecclesiastica.

3.° Quoad *tempus*, consecratio fieri debet die Dominica aut festo Apostolorum et infra tres menses ab habita notitia officiali ipsius praeconizationis in Consistorio, quae notitia per *Bullam consecrationis* habetur, sub poena amittendi ipso jure absque praevia declaratione fructus perceptos; et si illam protrahat ultra aliud trimestre, amittit ipsam Ecclesiam proprii tituli. Haec tamen poena sententiam requirit declaratoriam.

4.° Quoad *modum*, consecratio fit per impositionem manuum Episcopi consecrantis et assistentium juxta ritum Pontificalis Romani, qui inter alia exigit praelectionem Bullae consecrationis et juramentum fidelitatis et obedientiae R. Pontifici a consecrando praestandum.

IV. **Effectus consecrationis episcopalis.**—Est plenitudo sacerdotii, quam confert, dans potestatem ordinandi, confirmandi, consecrandi sancta olea et cum istis ecclesias et vasa sacra. Haec omnia intellige quoad

(1) *Consecratio* in Ecclesia latina consequitur confirmationem et Papae est reservata. Orientales sibi vindicant jus consecrandi *patriarchas* statim *post electionem* et *ante confirmationem* Romani Pontificis, imo Rutheni vindicant metropolitae suo jus duobus suffraganeis dandi confirmationem, institutionem et consecrationem.

validitatem, nam quoad liceitatem pendet haec potestas a potestate jurisdictionis.

§ II.—DE MODO INGREDIENDI IN MEDIOS ET INFIMOS GRADUS HIERARCHIAE ORDINIS, QUI EST ORDINATIO.

I. Ordinationis natura. II. Minister ordinationis. III. Quae servanda praecipiuntur Episcopo ad aliquem ordinandum. IV. Qualitates in ordinandis requisitae. V. Nonnulla specialia circa ordinationes Regularium.

I. **Natura ordinationis.**—Ordinatio est ritus sacer, dans ei qui ordinatur potestatem aliquam in ordine ad sacrificium altaris.

II. **Minister ordinationis.**—Distinguendus est minister validae tantum, et validae simul ac licitae ordinationis.

1.° Minister *ordinarius* validae ordinationis est solus et omnis Episcopus. Sic ex Concilio Tridentino infertur, quod hanc propriam Episcoporum potestatem appellat et anathema comminatur eis qui hanc illis potestatem cum presbyteris communem affirmant. Minister *extraordinarius* potest esse simplex presbyter, certo quoad ordines minores et subdiaconatum, dubie quoad diaconatum. Qui affirmant, nituntur in quadam Bulla Innocentii VIII quae potestatem diaconos ordinandi quatuor abbatibus Ordinis Cisterciensis impertiebatur. Cum vero sat non constet de hujus Bullae authenticitate, et diaconatus ad hierarchiam ordinis divini pertineat, plerique rationabilius negant. Hodie post Concilium Tridentinum, solum Abbates regulares, qui sacerdotes sint ab Episcopo benedicti, vel ipsis ex privilegio aequiparati, qui ter humiliter benedictionem ab Episcopo petierint, quoad proprios subditos professos, et Cardinales presbyteri in ecclesiis titularibus sunt ministri extraordinarii ordinum et quidem tantum minorum. De Cardinalibus disputatur. Disputatur etiam an, si abbates supradicti clericum saecularem vel extraneum in minoribus ordinarent, valida esset vel invalida ordinatio. Quaestionis solutio pendet ex positiva Ecclesiae voluntate, cum agatur de re ab ipsa Ecclesia statuta. Jamvero hinc et

inde contrariae resolutiones afferuntur. Certum tamen est usque ad diem 16 Martii 1647 S. Cong. Concilii constanter pro validitate respondisse; sed die 20 Sept. a. 1788 et die 24 Januarii a. 1795 eadem sacra Congregatio contrarium, ut plures tenent (1), resolvit. Unde videtur nunc privilegium restringi intra limites concessionis ipsius etiam quoad validitatem actus. Ita ut *probabilius* tenet Sebastianelli (Praelectiones *Juris Canon.* Tom. I n. 156); sed ut *verius* tenet contrarium Benedictus Ojetti S. J. (*Synopsis Rerum moralium* V. *Ordo*). Quoad *Abbates titulares*, eos scilicet qui carent actuali jurisdictione, exstat recens decisio S. R. et U. Inquisitionis diei 15 Julii 1903, jubens repetere ordinationem ex integro a collatione sacrae tonsurae inclusive in casu cujusdam *Abbatis titularis*, Prioris ordinis Cisterciensium, qui tonsuram et ordines minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta prius ab Archiepiscopo opportuna delegatione.

〈2.° Minister validae simul et licitae ordinationis est Papa respectu omnium fidelium et quorumcumque ordinum, Episcopus proprius quoad ordines majores et minores, Cardinales in ecclesiis suorum titulorum quoad ordines minores, et quoad hos etiam Abbates supradicti suorum respectu subditorum professorum.〉

Diximus Episcopum proprium esse ministrum validae et licitae ordinationis; sed scire debemus quisnam dicatur proprius, qui quidem quadruplici ex capite talis esse potest ad licitam ordinationem.

a) Ratione *originis* proprius est ille, in cujus dioecesi quis natus est non accidentaliter, sed ex eo quod ejus parentes ibi haberent domicilium. Illegitimi vero, matris originem sequuntur; expositi locum nativitatis, quod si hic ignoratur, locum in quo expositi fuerunt, vel juxta Sebastianelli (Praelect. t. I. p. 172-173) et Honorante ab ipso citatum, locum hospitii, in quo aluntur; neophyti aetate adulta baptizati, dioecesim in qua baptizati sunt.

(1) Dico plures, nam De-Sancti tenet has ultimas decisiones priores non infirmare, nam ipsius opinione prima refertur ad quemdam ex-abbatem, et secunda ad Abbatem qui alienum subditum ordinavit obtentu cujusdam privilegii, quod postea apparuit non extitisse. Postrema explicatio nimis subtilis nobis videtur.

Ratio [illegible] quia quidet [illegible] potest quidquid alius potest alius proprio [illegible] Ergo Episcopus potest non subditos ordinare.

b) Ratione *domicilii*, is in cujus dioecesi domicilium ordinandus habet, ad quod requiritur «commoratio in loco cum animo ibi perpetuo manendi. Primum ex ipso facto commorationis infertur; *animus* vero, vel per *decennalem* commorationem, vel per translationem in locum cum instructis aedibus majoris partis bonorum. Et in utroque casu quoad ordines recipiendos requiritur insuper ut jurejurando affirmetur animus vere et realiter domicilium constituendi» (Ita Innocentius XII in Const. *Speculatores*). Non tamen desunt qui affirmant juramentum non esse necessarium nisi de animo dubitetur (Sebastianelli, l. c. p. 173 et 174).

c) Ratione *beneficii* ille est Episcopus proprius, in cujus dioecesi ordinandus congruum et pacificum possidet beneficium.

d) Ratione *familiaritatis* ille est proprius qui propriis sumptibus per triennium ordinandum aluit et suo servitio immediato, seu secum commorando adscripsit, dummodo illi statim infra mensem post ordinis susceptionem beneficium congruum conferat.

His titulis novus accessit ex decreto S. C. C. 20 Jul. 1898, nempe *incardinationis*, ex quo Episcopus potest ordines conferre clerico suae dioecesi incardinato, eo ipso quod est incardinatus; sed non laico, quia incardinatio nonnisi in clericis locum habet.

III. **Quaenam servanda praecipiantur Episcopo in ordinatione.**—Haec reducuntur: 1.° ad ea quae respiciunt litteras dimissorias et testimoniales; 2.° ad legem super interstitiis et temporibus ordinationum, et 3.° ad titulum ordinationis.

1.° Litterae dimissoriae dicuntur delegationes ab Episcopo proprio factae Episcopo alieno conferendi ordines non subdito. Possunt esse *generales* vel *particulares*, prout dantur ad quemcumque Episcopum vel ad unum tantum; ad tempus indefinitum vel ad tempus limitatum; pro uno vel pro pluribus ordinibus. Exiguntur quoties non ordinat Episcopus proprius, et praeter hunc eas possunt dare Vicarius Capitularis intra annum viduitatis Ecclesiae *arctatis* tantum, postea omnibus, et Superiores Regulares suis subditis professis; sed horum litterae a nonnullis *commendatitiae* vocantur.

Litterae testimoniales sunt litterae ordinariorum quae

testimonium de requisitis canonicis ordinandi continent. Quoad earum necessitatem haec statui possunt: **a)** si quis ordinetur ab Episcopo *alieno*, indiget testimonialibus proprii; **b)** si *clericus* ordinetur ab alio Episcopo proprio, indiget testimonio *prioris* ordinantis; **c)** ordinans ratione beneficii aut famulatus eget testimonio Episcoporum *originis* et *domicilii*; **d)** Episcopi omnes opus habent testimonii *omnium* Episcoporum in quorum dioecesibus ordinandus tamdiu, praesertim post pubertatem, moratus fuerit, ut ibidem canonicum impedimentum contrahere potuerit. Hoc tempus ad sex menses auctores contrahunt ex analogia cum matrimonio ad probandum statum libertatis, sed clerici militiae adscripti litteras testimoniales Episcoporum exhibere tenentur quoties in eorum dioecesi saltem per trimestre commorati sint (S. C. C. 9 Sept. 1893). Hae litterae debent esse Ordinariorum loci, quin sufficiant attestationes Superiorum Seminarii, in quo studiorum causa commorati sunt (S. C. C. 14 Jun. 1893).

Si vero Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, providere potest per juramentum suppletorium (S. C. C. 25 Jan. 1894). In Hispania vero sufficiunt litterae testimoniales Capellani Castrensis, cujus jurisdictioni subditus fuerit candidatus militiae addictus, et sufficit semel eas habuisse, si ad militiam non fuerit regressus post ordinis susceptionem (S. C. C. 5 Apr. 1897).

2.° *Interstitia* dicuntur temporis spatia, quae intercedere debent ab una ad alteram ordinis susceptionem. Hoc temporis spatium est unius anni inter unumquemque majorem ordinem et inter ultimum minorem et subdiaconatum. Si adsit tamen necessitas aut utilitas Ecclesiae Episcopus proprius interstitia dispensare potest, non tamen ita ut duo ordines sacri eodem recipiantur die, imo nec minores ordines simul et subdiaconatus (S. C. C. 7. Aug. 1707), nisi adsit consuetudo. Juxta plures haec consuetudo debet esse immemorabilis; sed non pauci negant contra hanc legem consuetudinem praevalere posse, quorum opinioni favet S. C. C. in declaratione 21 Febr. 1728.

Quoad *tempus* ordinationis, tonsura quolibet die; ordines minores quolibet die festivo, sabbatis quatuor tem-

porum, sabbato praecedenti Dominicam passionis et sabbato sancto, et, ubi adsit consuetudo, in vesperis ordinum generalium; imo juxta Fagnanum privatim uni vel alteri quolibet die conferri possunt. Ordines vero majores nonnisi statutis temporibus, idest sex sabbatis praedictis conferri queunt, et intra missam.

Ad hanc legem refertur prohibitio ordinationis per saltum. Antiquitus hoc modo ordinatus suspensionem ordinis sic suscepti incurrebat, donec, suppletis ordinibus omissis et peracta poenitentia, ab Episcopo proprio dispensaretur. Sed de hac suspensione silet Const. *Apost. Sedis*; unde non amplius viget.

Hic demum notandum quod ii qui ex indulto possunt ordinari vel ordinare extra tempora, nonnisi diebus festis, quibus adest praeceptum audiendi missam, ordines recipere vel conferre possunt.

3.° Circa *titulum* ordinationis videndum est quid sit, quotuplex, finis et historica ipsius origo.

a) Titulus est assignatio canonica mediorum securorum et sufficientium ad honestam ordinandi in sacris sustentationem.

b) Tituli *ordinarii* jure communi sunt tres: *titulus beneficii*, importans jus reale, actuale et perpetuum in beneficium congruum ejusdemque pacificam possessionem. Hic est titulus primarius. *Titulus patrimonii ecclesiastici*, qui suppletorius tantum est, unde nonnisi pro necessitate vel utilitate Ecclesiae admitti debet. Patrimonium constitui debet ex bonis propriis immobilibus quae, deductis oneribus, congruos suppeditent reditus juxta taxam synodalem vel consuetudinem in regione introductam. Bona haec patrimonium constituentia sunt inalienabilia; sed aliis congruis auctoritate Episcopi subrogari possunt. In Hispania admittuntur etiam ad patrimonium constituendum tituli *debiti publici*. *Titulus religiosae paupertatis* pro religiosis votorum solemnium.

Adsunt etiam tituli *extraordinarii* consuetudine aut privilegio apostolico introducti, ut sunt: *mensae* in Germania, quando princeps, vir nobilis aut collegium aliquod scripto sese obligat ad clericum sustentandum; *administrationis* in Mexico ob proventus eleemosynarum manualium; *mensae communis*, quo gaudent plura Instituta religiosa; *missionis* pro alumnis de Propaganda

Fide; *Dioeceseos*, *sufficientiae* et *litteraturae* pro variis regionibus.

c) Tituli *finis* est honesta sustentatio ordinandi, nam qui altari servit de altari vivere debet.

d) Quoad *originem historicam*, antiquitus omnes clerici ecclesiae principi seu episcopali adscripti erant, et ex ipsius bonis sustentabantur. Augescente tamen in dies numero fidelium, novae extructae fuerunt ecclesiae, primo ruri, deinde in ipsa civitate, quibus regendis clerici adscripti sunt. Hae ecclesiae *tituli* vocabantur, et auctis earum bonis fidelium pietate, singulis earum plures clerici sunt adscripti, qui titulares seu cardinales talis ecclesiae appellabantur. Processu temporis, divisione bonorum facta, et cujusque portionis reditibus proprio officio assignatis, praebendae seu beneficia exorta sunt, et ad vitandam clericis acephalis occasionem vagandi praetextu victum quaerendi, Alexander III in Concilio III Lateranensi mandavit ut presbyteri et diaconi absque titulo ordinati ab Episcopo ordinante sustentarentur; quae dispositio ab Innocentio III ad subdiaconos extensa est. Demum Concilium Tridentinum actualem disciplinam constituit (Trid. sess. 21. cap. 2 de Ref.).

IV. **Qualitates in ordinandis requisitae.**—Hae sunt: 1.ª *Ætas conveniens*, quae pro tonsura et minoribus ordinibus fixa non est, quamvis ex aliis qualitatibus in ipsis a Tridentino requisitis sequitur usum rationis habere debere; pro subdiaconatu 22, pro diaconatu 23, pro presbyteratu 25 anni incoepti necessarii sunt. 2.ª *Scientia competens*, scilicet: pro initiandis prima tonsura, ut praeter fidei rudimenta legere saltem et scribere sciant; pro adspirantibus ad ordines minores ut calleant linguam latinam; pro subdiaconis et diaconis ut instructi sint litteris et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent; pro presbyteris, ut diligenti examine idonei inveniantur ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad sacramenta administranda. 3.ª Ut proportionate ad gradum recipiendum *pietate sint instructi*, et *careant canonicis impedimentis*, de quibus infra.

Ad has qualitates dignoscendas tria praecedere debent scrutinia: ex his 1.um et 2.um, quorum aliud circa vitam,

natales, etc., aliud circa scientiam versatur, sunt omnibus promovendis communia; 3.um vero est mere liturgicum et fit in actu ordinationis pro diaconis et presbyteris tantum.

Ad examen pro minoribus ordinibus sufficit attestatio parochi et ludimagistri. Ordinandi vero *in sacris* uno mense ante ordinationem praesentari debent Episcopo, qui parocho aut alii presbytero idoneo *primum* examen committit. Hic, inter alia, ordinandorum nomina in ecclesia proclamare debet. Paulo ante ordinationem Episcopus proprius per se vel per alios viros idoneos *secundum* examen quoad scientiam perficere debet. Si scientia privata Episcopus scit aliquem esse ordine indignum, eum *ex informata conscientia* ab ipsius susceptione suspendere potest, juxta potestatem a Concilio Tridentino ipsi tributam, quin ordinando causam suspensionis manifestare teneatur; neque datur contra hanc suspensionem appellatio, sed tantum recursus ad S. Sedem, cui tunc causam suspensionis patefacere debebit, si ab ipsa sciscitetur. Idem potest Episcopus, et eodem modo quoad suspensionem exercitii ordinis jam suscepti, dummodo, ut prius, delictum sit occultum.

V. **Ordinationes Regularium.**—Haec praecipua circa eas notanda sunt:

1.° *Quoad Episcopum*, qui post Concilium Tridentinum privilegium Apostolicum obtinuerunt, sive nova concessione, sive confirmatione in forma speciali privilegii anteacti, ut ordinari possint eorum alumni a *quolibet Episcopo* cum Sede Apostolica communionem habente, illo, uti sonat, frui possunt; sed hoc privilegium excluditur a communicatione privilegiorum. Pro *Regularibus Nullius* episcopus *proprius* est episcopus cathedralis vicinioris. Pro aliis Regularibus Episcopus *proprius* ille est, in cujus dioecesi situm est monasterium vel domus religiosa.

2.° *Quoad dimissorias*, hae soli Episcopo proprio a Superiore dari debent. Si tamen Episcopus *absit* a dioecesi, vel *nolit* habere statuto tempore ordinationem, Superior Regularis potest dare dimissorias ad alium Episcopum, sed necesse est ut habeatur et simul cum illis mittatur *authenticum testimonium* Curiae Episcopalis dioecesanae de existentia impedimenti

(Const. Bened. XIV *Impositi Nobis*, 27 Februarii 1747.) Idem dicendum si dioecesis propria sit *vacans* (S. C. C. 20 Jul. 1675), praevia facta attestatione de vacantia. Si ad Episcopum extraneum dirigantur continere debent causam absentiae dioecesani Episcopi vel Ordinationum ab eo non habendarum. Haec forma clementina et benedictina sufficit quin opus sit aliis dimissoriis aut testimonialibus.

3.° *Quoad examen*, secluso speciali indulto, quo gaudent PP. S. J., Episcopi possunt Regularem ordinandum examinare; an autem debeant, plures affirmant, alii distinguunt: si ordinandus examinatus fuerit a Superiore jure proprio, affirmant; si jure delegationis, negant. Sententia vero communis et probabilior docet Episcopum posse examinare circa *doctrinam tantum*, sed etiam posse stare attestationi Superioris Regularis, tamquam personae gravissimae, cui opinioni favent Resol. S. C. C. 16 Jan. 1595 et 17 Jan. 1692, necnon EE. et RR. 13 Jul. 1730. Ratio esse videtur quia «ratum quis habere potest quod ipsius nomine est gestum», et examen, quod intra Ordinem habetur, loco episcopalis fieri censendum est; quae ratio fundata in principio juris, cum militet etiam pro Institutis votorum simplicium, et ipsis doctrina applicanda est.

4.° *Quoad dispensationem interstitiorum* controvertitur an Regulares habeant privilegium ab iis dispensandi post Concilium Tridentinum. Plures affirmant ex communicatione privilegiorum; nam, ut Ferraris refert, Clemens VIII die 23 Nov. 1596 concessit Congregationi S. Joannis Evangelistae in Lusitania talem facultatem absque clausula excludente communicationem, et Leo XII in Const. *Plura inter* 11 Jul. 1826 Societati Jesu denuo concessit facultatem accipiendi Ordines *interstitiis nequaquam servatis*, nulla addita clausula exclusoria communicationis, quae quidem aderat in prima cencessione eidem Societati facta a Gregorio XIII. Sed notandum hoc in casu cognitionem causae dispensationis Superiorem Regularem, actum vero dispensandi ad hunc simul et Episcopum spectare (S. C. Conc. 14 Aug. 1686 et EE. et RR. 13 Jul. 1730) (1).

(1) S. C. EE. et RR. sequentem formulam quoad hujusmodi

5.° *Quoad tempus* Regulares possunt ordinari *extra tempora* quamvis non desint qui ad hoc requirant, ut speciale et directum privilegium obtinuerint post Concilium Tridentinum, vel confirmationem in forma specifica; sed Episcopus non tenetur, nisi adsit urgens causa, illos utut privilegiatos *extra tempora* ordinare (Const. Bened. XIV *Impositi Nobis*, 27 Febr. 1747).

6.° *Quoad titulum*, professi *solemniter* possunt titulo *paupertatis* ordinari minime vero qui tantum vota simplicia nuncuparunt, licet perpetua, et quamvis in ordine Regulari, nisi speciali gaudeant privilegio.

7.° *Quoad aetatem*, Regulares nullo gaudent privilegio.

8.° Demum in ordinatione, Regulares non promittunt obedientiam Episcopo, sed Praelato suo, ita Pontificali Romano disponente. An idem dicendum sit de alumnis institutorum votorum simplicium, negandum videtur, quamvis non improbabilis ratio in contrarium excogitari potest.

ARTICULUS II.

DE IIS QUAE IMPEDIUNT INGRESSUM VEL PROGRESSUM IN HIERARCHIAM ORDINIS SEU DE IRREGULARITATIBUS

Ad majorem rei perspicuitatem distinctis paragraphis loquemur: I. De irregularitatibus in genere. II. De irregularitatibus in specie. III. De cessatione irregularitatum.

§. I.—DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE

I. Natura irregularitatis. II. Divisio. III. A quo et in quem ea ferri possit. IV. An incurratur si de ea dubitetur. V. An eam incurrat ignorans alicui delicto adnexam esse.

I. **Natura irregularitatis.**—Quoad *nomen* irregularitas idem sonat ac recessus a regula; quoad *rem* et proprie sumpta, est impedimentum canonicum primo et per se impediens licitam susceptionem ordinum, et

dispensationem petendam Regularibus tradidit: «Rogamus te, Rme. Dne., ut dispensare digneris super interstitia sicut et nos dispensamus» (Cf. Bizzarri, *Collect.* p. 341).

secundario eorum usum ob reverentiam divini ministerii.

Dicitur *impedimentum*, quia non est proprie poena positiva aut privativa juris plene quaesiti, sed potius est inhabilitas ad honorem status clericalis introducta; non enim decet aliquos deficientes vel criminosos ad ordines, vel ad eorum exercitium admitti.

Canonicum, quia solo Jure Canonico, non vero naturali aut divino introducta est.

Primo et per se, ut excludantur censurae, quae per accidens, et eatenus impediunt ordinationem quatenus subjectum privant passivo sacramentorum usu.

Demum dicitur *licitam*, quia valorem ordinis non vitiat, et *ob reverentiam divini ministerii*, quia maculae notam ipso jure inducit.

II. **Divisio**.—Dividitur: 1.° In *totalem*, quae tam receptionem quam ordinis exercitium impedit, et *partialem*, quae aliquod tantum exercitium, vel receptionem impedit. 2.° In *perpetuam*, quae semper durat, et *temporalem* quae simplici transcursu temporis cessat. 3.° In irregularitatem ortam *ex delicto* et *ex defectu*. 4.° In irregularitatem *proprie* et *improprie* dictam. Illae sunt, quae a Jure Canonico introductae perpetuae et individuae sunt et sola dispensatione tolluntur. *Impropriae* vero sunt simplices inhabilitates vel indignitates. Hujusmodi sunt vitia, quae, secluso Jure Canonico, arcerent ab ordinibus suscipiendis vel exercendis, et defectus, qui per seipsum desinit, ut minor aetas, vel quamdiu durat nequit licite per dispensationem tolli, ut ignorantia supina et plurium sensuum privatio.

III. **A quo et in quem irregularitas ferri possit.**—Solus Papa statuere eam potest, quia est unum ex gravioribus negotiis S. Sedi reservatis. An consuetudine universali induci possit, dubium est; nam incisum illud «cum non sit in jure expressum», quod habetur c. 18 de Sent. Excom., non est pro sententia negativa argumentum decisivum. Subjectum vero irregularitatis est mas baptizatus et jurisdictioni Ecclesiae subjectus; unde nec infideles nec Papa ei subsunt.

IV. **An incurratur si de ea dubitetur.**—Regulariter negative, quia in dubio benignior interpretatio eligenda est.

V. **An eam incurrat ignorans alicui delicto adnexam esse.**—Juxta probabiliorem sententiam affirmatur, quia irregularitas non est poena, sed inhabilitas, et si esset poena, esset non medicinalis, sed vindicativa, ad quam incurrendam, ut quotidiana docet praxis, non excusat poenae ignorantia. Quia tamen opposita sententia, quam plures tenent, saltem extrinsece probabilis est, servire potest pro conscientiae foro in casibus arduis et desperatis.

§ II.—DE IRREGULARITATIBUS IN SPECIE.

Agendum: I. de iis quae ex delicto et II. de iis quae ex defectu oriuntur.

PUNCTUM I.—DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

I. Principia generalia. II. Irregularitates ex iteratione baptismi. III. Id. ex indebito exercitio. IV. Id. ex mala ordinum susceptione. V. Id. ex infamia. VI. Id. ex homicidio vel mutilatione.

I. **Principia generalia.**—Irregularitates ex delicto sunt ad instar poenarum gravissimarum, ac proinde non contrahuntur nisi ex delicto *objectivo, admisso ex animo* proprio, *consummato* et *gravi*; et ab iis excusant *metus*, et *ignorantia* seu facti seu juris canonici vel inadvertentia, imo ut diximus, juxta plures ipsa ignorantia irregularitatis non vero poenitentia patrati sceleris. Ex hodierna vero disciplina non contrahitur nisi ex delictis in jure expressis, de quibus modo dicendum.

II. **Irregularitas ex iteratione baptismi.**—Haec irregularitas afficit rebaptizatum in aetate adulta constitutum, rebaptizantem, et proxime ad rebaptizationem concurrentes.

Ad eam incurrendam requiritur tamen ut sit *vera tentatio iterationis* baptismi, ideoque adesse materiam, formam et intentionem conferendi baptismum jam baptizato; ut haec iteratio *scienter* fiat; ut sit *publica et solemnis*,

ad quod constare debet uterque baptismus et solemnitas amborum (1).

III. **Id. ex indebito exercitio ordinis sacri.**—Haec irregularitas afficit clericum *suspensum* aut *excommunicatum*, aut *personaliter interdictum* exercentem *sacrum* ministerium aut *scienter* celebrantem in loco *nominatim interdicto*, et clericum *serio* et *scienter* actum ordinis *sacri*, quem non habet, *modo solemni* exercentem.

IV. **Id. ex mala ordinum susceptione.**—Veteres plerique faciebant irregulares omnes male promotos ex parte sive ordinantis, quem suspensioni subjiciebant, sive ordinati sive ipsius ordinationis. Hos non irregularitati sed suspensioni fuisse obnoxios constat, unde exulant hodie post Const. *Apostolicae Sedis*.

V. **Id. ex infamia.**—Ex hoc capite irregulares sunt, qui delictum patraverunt, cui Jus infamiam adnectit, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Haec crimina sunt: homicidium, perjurium in judicio, haeresis, simonia, sodomia, laesa majestas, adulterium, rapina, lenocinium, usurarum exercitium, duellum, raptus mulierum, et in genere, ut ait D' Annibale, «quae digna sunt (in clericis) depositione aut perpetua suspensione». Valde quaeritur an sit ex delicto vel ex defectu; verius est ex defectu (D' Annibale, Lega).

Sed insuper ex dispositione positiva Juris non tantum irregulares ex hoc capite sunt haeretici manifesti, sed etiam eorum filii usque ad secundam generationem per lineam paternam, et usque ad primam per maternam, et hoc etiam in Germania, Anglia aliisque locis haereticorum, ut declaravit S. C. Inquisitionis die 11 Jul. 1884 et 14 Dec. 1890 contra id, quod plures eximii tenebant auctores. Haec irregularitas pro filiis et nepotibus cessat, si eorum parentes catholicam religionem amplectantur.

Infames infamia *facti*, vel infamia *juris* ante praedictam sententiam, potius sunt indigni quam irregulares, quae indignitas poenitentia tolli potest, quod non fit in irregularitate.

---

(1) Ratione baptismi, quamvis non iterati, est etiam irregularis qui ab haeretico denuntiato sponte baptizatur, dummodo certo validus sit baptismus ab haeretico collatus.

〈VI. **Id. ex homicidio vel mutilatione.**—Hac de causa irregulares *de facto* sunt qui *propria actione* hominem injuste occidunt vel mutilant. Praeter *auctorem* principalem, irregularitatem *ex homicidio* incurrunt *mandans* occidi aut vulnerari, et *injuste impediens* quominus aliquis se defenderet, et in foro externo ex culpa lata incurrunt facientes rem *homicidii periculum* continentem.

Neutro in foro irregulares fiunt juxta sententiam satis probabilem *non impedientes*, nec *ratum habentes*, imo neque ii qui *consilium efficax* aut *opem proximam* praestant. At in bello *injusto* fiunt irregulares, qui ex adverso cornu *sponte* dimicant, si se *mutuo excitaverint*.〉

En expressius determinata quae in his principiis continentur. Ex homicidio injusto vel mutilatione irregulares fiunt:

1.° Qui *propria actione* hominem injuste occidunt vel mutilant, idest membrum propriam functionem habens abscindunt.

2.° Qui *efficaciter* occidi *mandat;* sed eam non incurrit si revocet tempore utili mandatum. Quoad mandantem mutilationem, an eam incurrat negat D' Annibale, dubitat Ballerini-Palmieri, affirmant alii communiter ex cap. ultimo *de Homicidio* in 6.°

3.° *Consulens efficaciter* homicidium, quamvis D' Annibale contrarium probabile censeat, et hic juxta communem sententiam eam incurrit, etsi revocet tempore utili consilium; sed S. Alphonsus contrarium probabile censet, si quatenus in se erat vim prioris consilii abstulit. Quoad consulentem mutilationemidem dicendum censemus ac de mandante.

4.° Qui *proxime* cooperantur ad homicidium quin actione sua occidant, aut ad illud esse mutuo excitantes; qua de causa in bello injusto, praesupposito semper peccato gravi, si vel unus mutilatus aut occisus ex hostibus fuerit, irregulares fiunt occisores et omnes milites, saltem viciniores et circumstantes. Sed quoad cooperatores in mutilatione, occurrit eadem quaestio ac de eam mandante vel consulente.

5.° Qui dat operam rei illicitae, ob periculum homicidii aut mutilationis, si, etiam adhibita debita diligentia, homicidium sequatur; quamvis in hoc postremo casu irregularitas Ballerini-Palmieri dubia videatur.

6.° Qui, omissa debita diligentia, seu ex culpa lata dat operam rei sive illicitae sive licitae, ex qua homicidium aut mutilatio sequatur.

7.° An vero qui, potens et debens homicidium ex justitia impedire, culpabiliter non impedit, irregularis fiat, disputatur; et tum sententia affirmans tum negans probabilis est.

Punctum II.—de irregularitatibus ex defectu.

I. Principia generalia. II. Irregularitas ex defectu personae in se inspectae. III. Irregularitas ex defectu personae relative ad aliud.

I. **Principia generalia.**—1.° Duo, ut diximus, sunt genera prorsus distincta: unum irregularitatum *proprie* dictarum, quae scilicet oriuntur ex defectu seu vitio status, lenitatis vel sacramenti; alterum *improprie* dictarum, quae scilicet profluunt ex defectu animi vel corporis, nam potius quam irregularitates sunt inhabilitates ex jure naturae aut indignitates. 2.° *Propriae* habent nomen et vim irregularitatis, *impropriae* nomen habent, at non vim; neque poenarum instar habentur, etsi ex facto illicito oriantur; ideoque nihil refert an culpa vel minus, an errore metuve aut bona fide quis eas contraxerit. 3.° Facilius toleratur defectus superveniens promoto, ne jure quaesito absque culpa privetur, quam promovendo; unde illi exercitium ordinis privatum permittitur, quoties agatur de defectibus, qui tantum indecentiam praeseferunt propter risum aut stomachum quem movent. 4.° In dubiis prudens judicium relinquitur Episcopo.

In specie vero defectus in ordine ad irregularitatem potest considerari vel in persona in se inspecta, vel relative ad aliud.

II. **Irregularitas ex defectu personae in se inspectae.**—Si hoc modo considerentur defectus, qui irregularitatem important, alii proveniunt ex defectu animi, alii ex defectu corporis.

1.° *Ex defectu animi.*—Hic defectus potest esse in facultatibus ordinis naturalis vel supernaturalis. Prior duplex est; nempe: carentia perpetua vel temporanea usus earumdem facultatum, ut amentia, furiositas, epilepsia, etc., et carentia debitae perfectionis, ut defectus scientiae. Alter unus reapse est, defectus fidei firmae, qui praesumitur in neophytis et in iis, qui usque ad mortem baptismum distulerunt.

2.° *Ex defectu corporis.*—Hic oriri potest ex duplici capite: *ex impotentia*, quia impedit congruum exercitium ordinis, ut fit in caecis, surdis, claudis non valentibus

sine baculo ad altare accedere, et in carentibus manu, pollice, indice, etc.; (et *ex indecentia*, quia affert notabilem indecentiam; ut si quis careat auribus, naso, aut sit notabiliter gibbus, leprosus, paralyticus, aut membra habeat superflua cum magna deformitate.

II. **Irregularitas ex defectu personae relative ad aliud**.—Si defectus sic considerentur, irregularitas oritur: 1.° ex defectu natalium; 2.° ex defectu aetatis; 3.° ex defectu sacramenti; 4.° ex defectu libertatis, et 5.° ex defectu lenitatis.

1.° *Ex defectu natalium.*—Ex hoc capite irregulares sunt: illi, quorum illegitima origo juridice constiterit, vel illegitime orti a matre conjugata, quando jus illegitimitatem praesumit (1). Ex dispositione vero speciali Juris Canonici censetur etiam illegitimus, atque ut talis irregularis est, procreatus ex parente, postquam hic, matrimonio legitime contracto et consummato, ex conjugis consensu Religionem est professus vel sacrum ordinem suscepit.

2.° *Ex defectu aetatis.*—Irregulares, vel melius inhabiles sunt hac de causa, qui aetatem legitimam ad ordines praescriptam nondum sunt adepti.

3.° *Ex defectu sacramenti* seu ex *bigamia.*—Bigamiam dividunt canonistae in *veram, similitudinariam* et *interpretativam;* nam jure canonico applicatur vel duplici matrimonio valido, vel uno carnali valido et altero invalido ob vinculum spirituale, vel unico matrimonio valido aut invalido, quod jus fingit duplex. Ex hoc igitur defecto irregulares sunt: I. Bigami, qui duas successive habuerunt et cognoverunt uxores, quod ad *veram* bigamiam spectat. II. Bigamus bigamia *interpretativa*, seu is, cujus uxor duobus seu pluribus commixta fuerit; hujusmodi enim mulier per fictionem Juris veluti duplex uxor habetur. Hoc pacto proinde irregularis est: **a)** qui duxit et cognovit viduam a priore marito cognitam; **b)** qui feminam corruptam ab alio vel repudiatam vel

(1) Jure hispano civili praesumuntur legitimi, qui nati sunt post 180 dies a matrimonii celebratione et ante 300 dies post solutum matrimonium quoad vinculum vel quoad torum. Contra hanc praesumptionem nulla probatio admittitur nisi impossibilitas accessus mariti ad propriam uxorem in primis 120 diebus ex 300, qui ortum filii praecesserint (C. C. art. 108).

fornicariam cognovit, et **c)** qui suam uxorem postquam lapsa est in adulterio. In duobus posterioribus casibus requirit Ballerini-Palmieri quod adulterium vel corruptio manifesta, non occulta fuerit. III. Clericus *in sacris* viduus, qui aliud attentat contrahere matrimonium (C. *Nuper* de *Bigamis*). Ceteri casus bigamiae *similitudinariae*, quos communiter tradunt auctores, non pariunt proprie irregularitatem, cum non sint in Jure expressi (Vid. Baller.-Palmieri, Tom. VII, p. 386 et seqq.).

4.° *Ex defectu libertatis.*—Irregulares sunt: **a)** Servi, ubi vigeat servitus, invito domino.

Jure Decretalium servus tonsuratus aut in minoribus ordinatus invito domino, ad servitutem redire tenebatur; si vero *in sacris* fuisset ordinatus, liber fiebat, et Episcopus ordinans, duos servos aut pretium aequivalens domino restituere debebat; si vero servus se finxit liberum, et ita ad subdiaconatum vel diaconatum promotus fuerit, alium servum aut pretium aequivalens de proprio peculio restituere tenebatur; quod si peculio careret, deponebatur et ad servitutem redigebatur; sed si ad presbyteratum fuisset promotus, liber manebat, dato domino peculio; quo si carebat, opera spiritualia gratis ipsi praestare tenebatur.

b) *Obligati ad ratiocinia* propter negotia aut officia, antequam rationem reddiderint, vel cautionem certo sufficientem praestiterint; si autem ordinati jam sint, ab ordinis exercitio non prohibentur.

c) Uxorati, non mortua uxore, aut non continentiam profitente, vel religionem non ingrediente, si de incontinentia suspecta sit.

5.° *Ex defectu lenitatis.*—Duos casus ex hoc capite distinguere possumus: **a)** Laici et clerici, qui ad *judicium* justum *sanguinis* ex publica auctoritate et sua sponte et scienter concurrunt.

Ita judices; cooperatores *ratione processus*, ut sunt accusatores et testes, saltem necessarii, contra reum, advocati aut procuratores contra eumdem agentes; cooperatores *ratione sententiae*, ut assessores, scribae seu tabelliones et qui sententiam dictant vel promulgant; cooperatores *ratione executionis*, ut lictores seu apparitores, carnifices et qui reum, non auxiliandi causa, comitantur et ducunt ad supplicium.—Accusatores qui damnum *sibi suisve* persequuntur, si irregularitatem vitare velint, ante sententiam saltem protestentur oportet se poenam sanguinis non intendere, quam protestationem si

clerici *in sacris* omittant scienter, fiunt irregulares ex delicto; si ignoranter, irregulares ex defectu uti laici. Testes, advocati, procuratores, qui coacte praestant accusatori officium, eam non incurrunt; utique vero judices, carnifices, etc., qui *sponte* officium susceperunt, quantumvis protestentur, si effectus sequatur.

b) In bello *justo*, si sit *defensivum*, irregulares tantum sunt *clerici*, qui non coacti vel absque necessitate militant et propria manu occidunt vel mutilant (C. 24 de Homicid.); si est *offensivum*, irregularis tantum fit qui propria manu hostem occidit vel mutilat, sive clericus sit, sive laicus, modo aliter se tueri non possint. Qui vero *dubitat* an *ipse* occiderit aut mutilaverit, irregularis non est; at ordinati in sacris, quibus constet *hominem* fuisse occisum, et dubitent num *ipsi* occiderint, abstinere debent ab exercitio majoris ordinis tantum. Ex stilo tamen curiae in omnibus casibus in quibus intervenit homicidium dispensatio peti solet ad cautelam.

§ III.—DE CESSATIONE IRREGULARITATUM

I. Quomodo cessent. II. Quis in illis dispensare possit.

I. **Quomodo cesset.**—Irregularitates *impropriae dictae* cessant sublata causa vel facta poenitentia; irregularitates vero *proprie dictae*, dispensatione tantum.

Specialiter irregularitas ex defectu natalium cessare potest tripliciter: 1.° per *subsequens matrimonium*, sed tantum pro filiis naturalibus, seu natis ex simplici fornicatione, non pro spuriis; et haec legitimatio perfecta est quoad omnes effectus praeter promotionem ad Cardinalatum; 2.° per *solemnem professionem religiosam*, non tamen ad praelaturas vel dignitates obtinendas, et 3.° per *dispensationem* Episcopi aut *rescriptum Principis* seu Rom. Pontificis.

II. **Quis in illis dispensare possit.**—1.° Papa in omnibus, dummodo jus divinum non repugnet.

2.° Episcopi, scilicet ordinantes et proprii Regularium, regulariter nihil possunt in publicis, sed dumtaxat in provenientibus ex *delicto* occulto, demptis homicidio voluntario, si voluntarium directum sit et non tantum in causa juxta auctores, aliisque deductis ad forum contentiosum. Quocirca notandum nonnullos graves aucto-

res, ut Pichler, Laymann et Salmanticenses, defectum natalium inter irregularitates ex delicto, quamvis alieno, enumerare; unde probabiliter, extrinsece saltem, eum dispensare potest Episcopus, si sit occultus; et quamvis publicus, eum certo dispensare potest ad tonsuram et ordines minores recipiendum. In ortis ex *defectu* nequit dispensare, praeterquam ex *causa graviori et urgenti*, ad ordines suscipendos simpliciter, ad eos vero exercendos sub conditione ut recurrat ad S. S. Item dispensare valet in *irregularitatibus dubiis* an sint ex delicto vel ex defectu.

3.° Praelati *Regulares* respectu suorum subditorum dispensare queunt vi juris communis eodem modo ac Episcopi cum suis, sed insuper vi privilegiorum dispensare possunt cum professis in omnibus irregularitatibus, etiam publicis, excepta orta ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, bigamia, defectu aetatis, enormi corporis vel animi vitio aut defectu, et defectu natalium. Postrema exceptio tantum afficit promotionem ad Generalatum, et juxta aliquos ad Dignitates.

4.° Juxta nonnullos, confessarii regulares approbati ab Episcopo possunt cum saecularibus dispensare in iis et eo modo quo Episcopi; sed plures id negant.

ARTICULUS III.

DE CLERICORUM COMMUNIBUS JURIBUS ET OFFICIIS.

§ I.—DE IPSORUM JURIBUS ET PRIVILEGIIS

I. Praerogativae clericorum. II. Immunitates.

Jura et privilegia clericis omnibus communia ad *praerogativas* et *immunitates* reducuntur: eae clericis tantum vi ordinis, jurisdictionis, vel status; hae clericis prae ceteris competunt.

I. **Praerogativae.**—Praecipuae sunt sequentes: 1.° Divina officia peragere, sacra contingere, altari ministrare. 2.° Assequi et exercere jurisdictionem ecclesiasticam. 3.° Consequi et possidere ecclesiastica beneficia. 4.° Consistere in ecclesia ceu proprio loco intra cancellos altaris. 5.° Coire posse in collegium clericale, suis

proinde legibus ac juribus instructum. 6.° Jurare in judiciali actione in conscientia tacto pectore, et non tactis SS. Scripturis.

II. **Immunitates.**—Circa eas videnda sunt: natura, divisio, origo et ea quae ad personales spectant, quaeque privilegia clericorum nuncupantur.

1.° *Natura.*—Sub nomine immunitatum veniunt ea a quibus prae ceteris debent clerici esse immunes.

2.° *Divisio.*—Alia est *realis*, quae afficit bona ecclesiastica; alia *localis*, quae afficit locum sacrum vel pium, et alia *personalis*, quae immediate tangit personas clericorum. In praesentiarum, cum versemur in tractatu de personis, de hac postrema tantum agendum est. Ad eam spectant privilegia *canonis, fori, exemptionis et competentiae.*

3.° *Origo immunitatum.*—Immunitates clericorum in iis, quae finem Ecclesiae concernunt, vel ad ipsum necessaria sunt, jure divino formaliter introductae fuerunt; in ceteris jure ecclesiastico innixo intentioni juris divini, quia jure divino eas Ecclesia statuere potest independenter a societate civili, et congruebat decori ecclesiastico et saluti animarum, quam Deus praecipue intendit, illas statuere.

4.° *Immunitates personales seu privilegia clericorum.*—Quatuor, uti diximus, sunt fere omnibus communia: canonis nempe, fori, exemptionis et competentiae. Breviter de singulis et de modo quo amittuntur disseremus.

Privilegium canonis.—Videndum est: **a)** in quo consistat, **b)** quamnam poenam incurrant illud violantes, et **c)** quaenam ad illam incurrendam requirantur.

a) Consistit in hoc, quod personas ecclesiasticas inviolabiles reddat contra reales injurias, ecclesiastica poena gravissima delinquentibus statuta. Ita appellatur, quia primo introductum fuit a canone XV Concilii Lat. II. a. 1139 sub Innocentio II, incipiente: «Si quis, suadente diabolo»

b) Illud violantes, si injuria sit in Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, excommunicationem latae sententiae R. Pontifici speciali modo reservatam; si vero in alios clericos, simpliciter tantum reservatam incurrunt. In primo casu eam etiam incurrunt injuriam

mandantes, ratam habentes, seu praestantes in ea auxilium vel favorem; sed non in secundo casu, cum de illis sileat Constitutio *Apostolicae Sedis*.) Antiquitus tamen omnes illam incurrebant, nec in modo reservationis erat ulla distinctio.

(**c)** Requisita ad illam incurrendam sunt: 1.° Ut adsit actio externa, injuriosa et violenta in materia gravi. 2.° Ut injuriatus sit clericus, seu habens saltem primam tonsuram, vel monachus, idest, quilibet utriusque sexus religiosus etiam votorum simplicium, vel novitius, vel eremita, qui habitum ab Episcopo receperit. 3.° Ut adsit culpa gravis theologica in injuriante. 4.° Ut clericus privilegium non amiserit.

(*Privilegium fori.*—Consistit in inviolabilitate morali seu juridica clericorum, qua fit, ut omnes clericorum causae a quocumque alio tribunali, quod ecclesiasticum non sit, eximantur.) Ad hoc privilegium tuendum sub numeris VI, VII et VIII Const. *Apostolicae Sedis* excommunicationes specialiter reservatae feruntur (1).

(*Privilegium exemptionis.*—Consistit in hoc quod clerici ratione sui ordinis et status eximantur tam a publicis tributis atque oneribus, sive realibus sive personalibus, quam ab iis muneribus et officiis, quae dignitatem vel sanctitatem status clericalis dedecent, et competit omnibus clericis, exceptis conjugatis, quamvis hi privilegiis canonis forique fruantur.)

(*Beneficium competentiae.*—Est jus clericis concessum a SS. canonibus ut, si aere alieno sint gravati, neque libertate privari, neque iis, quae ad honestam sustentationem necessaria sunt, destitui possint. Ut hoc privilegio frui possit requiritur: **a)** ut non reliquerint habitum clericalem nec matrimonium contraxerint; **b)** ut debitum mendaces non nega verint; **c)** ut dolo malo vel ex delicto ad illum statum non pervenerint; **d)** ut cautionem saltem juratoriam praestent solvendi si ad meliorem fortunam pervenerint.) Plura ex his privilegiis, saltem pro parte, derogata sunt per contrariam consue-

(1) In Hispania Jus civile non aliam competentiam in tribunalibus ecclesiasticis agnoscit quam pro causis sacramentalibus, beneficialibus, matrimonialibus quoad nullitatem vel divortium, et pro delictis pure ecclesiasticis.

tudinem, per leges Concordatorum, et per malitiam Guberniorum civilium.

Quomodo amittantur privilegia clericalia.—Privilegium *fori* amittunt clerici tonsurati vel in minoribus constituti, qui conditiones a Tridentino praescriptas non observant, quae sunt: vel **a)** habere beneficium, vel **b)** cum habitu et tonsura alicui ecclesiae ex mandato saltem praesumpto Episcopi inservire, vel **c)** degere in Seminario aut in aliqua schola vel Universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines suscipiendos, vel **d)** si conjugati sint, unam et virginem duxerint, et incedant in habitu et tonsura clericali et de mandato Episcopi alicui ecclesiae inserviant.

Clerici vero *in sacris* nonnisi post degradationem realem illud amittunt.

Privilegium *canonis* amittunt: 1.° Clerici de gradu realiter ejecti. 2.° Clerici cum una et virgine conjugati non deferentes habitum et tonsuram, vel qui habitu dimisso enormia patrant scelera. 3.° Qui habitu dimisso sponte militiam amplectuntur vel in saeculari luxu vivunt, vel histrioniam agunt praevia tamen trina monitione, nisi per integrum annum eam exercerent; nam in hoc casu non esset necessaria trina monitio (C. un. Titulum I lib. III in 6.°). 4.° Clericus injustus aggressor respectu aggressi, vel attentans mulieris pudicitiam, si turpiter inveniatur a patre, filio, marito aut fratre mulieris. 5.° Clerici in minoribus vel tonsura constituti, sive conjugati, sive coelibes sint, quoties ob non observatam plene legem Tridentinam amittunt privilegium omnia. fori (S. C. Immun. 20 Sept. 1860). Hoc saltem in Statibus Rom. Ditionis et probabiliter etiam extra. Si vero resumant habitum, privilegium recuperant, dummodo non fiat in fraudem legis civilis, et non prohibeantur ab Episcopo illum resumere.

§ II.—DE CLERICORUM COMMUNIBUS OFFICIIS.

Ad duo capita reduci possunt communia clericorum officia, nempe. I. ad externum corporis cultum, et II. ad morum gravitatem et honestatem.

I. **De externo corporis cultu.**—Videamus 1.° quid circa hoc praecipiatur; et 2.° sub quibus poenis.

1.° *Praecipitur*: **a)** Deferre tonsuram et habitum ecclesiasticum, qui primo aspectu a laicorum habitu distinguatur. Qualitas tamen tonsurae et habitus clericalis jure communi non est determinata, sed determinanda relinquitur Episcopo vel consuetudine regionali.

Nequeunt tamen uti veste nimis brevi vel nimis longa, rubra, viridi, virgata seu partita, diversos colores et acupicturas referente, nec manuciis consutitiis, seu chirothecis, quae filis aureis, argenteis et holosericis consutae sunt, nec calceis rostratis, lunatis et cornutis, nec frenis, sellis et pectoralibus, quibus equi ornantur, nec corrigiis auri vel argenti ornatum habentibus, nec annulis, nisi ipsis competat ex officio dignitatis vel ex doctoratu (C. 15 *De vita et honest. cler.;* et Clem. 2. ibid.).

b) Ne clerici laxent comam more lascivo, vano et femineo, nec barbam nutriant (c. 4. h. t.), neque ficto capillitio utantur nisi rationabilis causa accedat, et dispensatio Episcopi si extra Missam, et Papae si intra eam feratur.

2.° *Sub quibus poenis*. **a)** Tonsurati et minoristae non beneficiati absolute non obligantur ad deferendum habitum, sed tantum conditionate, si privilegiis clericalibus gaudere velint.

b) Ordinati in sacris, minoristae beneficiati vel pensionem ecclesiasticam habentes, quae 60 ducatus annuos excedat, et non sint familiares Papae, si habitum clericalem non deferant per notabile tempus et sine causa rationabili, post Episcopi monitionem domi factam, vel ad valvas ecclesiae per edictum publicum, si absentes clerici sint, ab *ordine*, *officio* et *beneficio* suspendi possunt; et nisi resipiscant, ipso jure, post sententiam tamen declaratoriam judicis, *officio* et *beneficio* privantur (Conc. Trid. et Const. Sixti V. *Cum Sacrosanctam* 28 Jan. 1589). Insuper beneficiarii non deferentes habitum suspentionem ipso facto per sex menses, et si dignitates, personatus aut curati sint, per annum a perceptione fructuum suorum beneficiorum incurrunt; subdiaconi et diaconi non beneficiati per sex menses inhabiles fiunt ad obtinenda beneficia; sacerdotes vero et religiosi ad idem per annum (Clem. *Quoniam* h. t.). Poenae vero clementinae non vigent (Lega).

II. **Morum gravitas et honestas.**—Sub ea tria com-

prehenduntur. Caste et sobrie vivere et abstinere se ab iis quae aliena sunt a propio statu.

1.° *Caste vivere.* Ad hoc prohibentur: **a)** Clericis *in sacris* constitutis matrimonium contrahere in Ecclesia latina sub poena nullitatis et excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae (Const. *Apostol. Sedis*, n. I); Italo-graecis (subdiaconis non exceptis) sub poena nullitatis et excommunicationis ferendae sententiae (Const. Benedicti XIV *Etsi Pastoralis* a. 1742); Maronitis (exclusis subdiaconis, qui inter minoristas computantur) sub poena nullitatis (Syn. Maron. a. 1736 confirmata in forma specifica a Sede Apostolica); Ruthenis et Rumenis sub eadem poena nullitatis (Syn. provinc. a. 1883); ceteris graecis, sub eadem poena certo quoad episcopos (can. 13, dist. 31, Nov. VI Just. Imp.) et valde probabiliter et fere certo quoad presbyteros et diaconos (Const. Bened. XIV *Eo quamvis* 4 Maji 1745, et *Instructio* S. C. *de Propag. Fide* 24 Mart. 1858); quoad subdiaconos vero, quamvis attento canone 6 Synodi Trullanae non eis liceret matrimonium contrahere, contrarium tamen in praxi tolerata a Sede Apostolica servatur. Respectu matrimonii jam contracti in Ecclesia latina prohibetur usus ipsius omnibus, qui sacris ordinibus constituti sunt; non vero in Ecclesia orientali, exceptis episcopis quibus etiam interdicitur. Minoristis et tonsuratis non prohibetur matrimonium contrahere; si tamen id faciant, ipso jure, absque praevia declaratione, vacant eorum beneficia; nam, ut ait Innocentius III, «*male concordat psalterium cum cithara*».

b) *Concubinatus clericorum.*—Videamus quinam clerici dicantur in Jure concubinarii, poenas contra ipsos, requisita ut incurrantur et nonnulla specialia quoad ejus judicium.

Clerici concubinarii sensu canonico dicuntur qui domi vel extra cum una vel pluribus mulieribus maritaliter vivunt; unde tantum implicat frequentem accessum ad mulierem vel mulieres.

Poenae diversae sunt pro diversitate clericorum, et cum Tridentino (sess. 25. c. 14 de ref. et sess. 21. c. 6) quatuor casus distinguere possumus. *Primo*: clerici beneficiati aut habentes pensionem ecclesiasticam prius personaliter moneri debent, et, nisi resipiscant,

Gregorio VII persiguió con ímpetu graves leyes contra los que no querían guardar castidad y castra la renuncia

ipso facto privantur tertia parte fructuum seu redituum beneficii vel pensionum, fabricae Ecclesiae aut alii locis piis arbitrio Episcopi applicandorum; necessaria tamen est sententia judicis declaratoria. Deinde devenitur eadem forma ad secundam monitionem, quam, si clericus despiciat, rediens cum ipsa vel cum alia femina, ipso facto amittit omnes fructus, reditus, etc. applicandos ut supra; et insuper suspendi debet ab administratione beneficii. Si ita suspensus cum eadem vel aliis versetur, privandus est omnibus beneficiis, pensionibus, etc. et declarandus inhabilis ad alia obtinenda. Sed si postquam eam vel eas semel dimiserit, de novo sibi adjungere ausus fuerit, praeter praedictas poenas, excommunicationis gladio plectatur. *Secundo*: qui beneficio aut pensione carent, pro qualitate delicti et contumacia puniendi sunt ab Episcopo carceratione, suspensione ab ordine, inhabilitate ad beneficia, etc. *Tertio*: si, quod absit, fuerit Episcopus, monendus est in Concilio Provinciali; et, si non resipiscat, ipso facto suspensus manet, et deferendus est ad Summum Pontificem, qui pro sua discretione ipsum plectetur, etiam, si opus fuerit, privatione episcopatus. (Conc. Trid. cap. XIV, sess. XXV). *Quarto*: si sit parochus Episcopus procedere potest contra ipsum vel juxta regulam generalem statutam contra beneficiarios in cap. 14 Sess. XXV, vel juxta dispositionem cap. 6. Sess. XXI, in quo decernitur, ut primo parochus moneatur, deinde debita plectatur coërcitione, et si adhuc fuerit pertinax, per sententiam Ordinarii privari potest beneficio parochiali.

Requisita ut in foro externo puniri possint clerici concubinarii, sunt: ut concubinatus sit notorius vel plene in judicio probatus per testium depositionem aut ex vehementibus praesumptionibus ortis ex indiciis cum crimine proxime connexis.

Judex proprius in his causis est Episcopus vel Praelatus vere nullius cum clero et populo separato, qui procedere possunt modo summario, sola facti veritate inspecta, etiam, si opus fuerit, ut Delegati Apostolicae Sedis; quin sententiae exequutio suspendi valeat qualibet exceptione vel appellatione; unde contra eam non datur nisi recursus ad Superiorem in devolutivo tantum.

c) *Habitatio cum mulieribus suspectis.*—Uti tales ha-

bentur omnes praeter consanguineas vel affines in 1.° vel 2.° gradu cum pedisequis earum, dum hae in separatis sint habitationibus, et praeter feminas honestas et aetate provectas, 40 nempe saltem annorum. Sed si ob aliquam circumstantiam etiam istae suspectae sint, non licebit cum ipsis cohabitare, et Episcopus illis separationem intimare poterit sub poenis in concubinarios latis, si non pareant.

d) *Accessus ad monialium monasteria.*—Videamus quid per hoc intelligatur, quibus personis prohibeatur hujusmodi accessus et sub quibus poenis.

In primis hoc nomine venit aditus ad monasterium sine violatione clausurae moniales visitandi gratia et cum eis colloquendi; et hoc copulative (Const. *Gravissimo* Ben. XIV et S. C. C. 7 Jun. 1669 probante Clem. IX).

Prohibentur accedere omnes tam laici quam clerici, sive saeculares, sive regulares, etiam Episcopi et Praelati Regulares. Excipiuntur tamen *Superior*, cui monasterii cura incumbit; *visitator; confessarius* tam ordinarius quam extraordinarius tempore quo suo funguntur munere; *parentes* et *filii*, et, juxta plures, omnes *consanguinei* in primo vel secundo gradu, dummodo monasterium non adeant diebus prohibitis; festivis, nempe, Adventus, Quadragesimae, Feria VI, Sabbato et Vigiliis, nec Episcopus id prohibuerit, et non saepius quam semel in hebdomada; et demum omnes, qui *licentiam justa de causa* obtinuerint ab Episcopo, vel ab Episcopo simul et Praelato Regulari, si de monasterio Regularibus subjecto agatur, nisi consuetudo vigeat ut a solo Episcopo petatur licentia. Haec dari debet in scriptis, fixis die et hora pro diebus non exceptis, et insuper praesente confessario et auscultatricibus ordinariis (Vid. Decr. Urbani VIII, 12 Kal. Dec. 1623). Hanc licentiam probabilius Episcopus concedere nequit regularibus professis, nisi consanguineis monialium in 1.° vel 2.° gradu et quater tantum in anno.

Nulla poena contra *laicos* statuta est, si frequenter non accedant; si vero frequenter accedant, ab Episcopo excommunicari debent; frequentatio vero habetur, cum quis tribus diebus continuis, aut quater in hebdomada, aut semel singulis mensibus accedit. *Clerici saeculares*, si frequenter accedant monitique non desistant, suspendi

debent ab officio ecclesiastico, idest, ab usu ordinis et jurisdictionis; imo et excommunicari ac deponi si non corrigantur. *Regulares* sive frequenter, sive raro adeant, etsi semel et per quadrantem et per quodvis modicum tempus, peccant graviter, etsi adeant ex rationabili causa citra licentiam; et incurrunt ipso facto poenam privationis officiorum ac vocis activae et passivae, et praeterea excommunicari possunt ab Episcopo (1). Insuper, sub iisdem poenis prohibetur *confessarius extraordinarius* si regularis sit, functo suo munere, non solum ad idem monasterium amplius accedere, sed nec ullius generis commercium, etiam per epistolam, quoad ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae necessitatis obtentu et colore (Const. *Pastoralis cura* Bened. XIV). Haec prohibitio non comprehendit confessarios saeculares, ut declaravit S. C. EE. et RR. Jan. 1749.

2.° *Sobrie vivere.*—Ad hoc prohibentur clericis crapula et ebrietas quaeque ad eam inducere possunt. Specialiter ipsis interdicuntur certare potando ad haustus aequales, accedere ad convivia, praesertim nuptialia, et ingredi tabernas, nisi itineris necessitas excuset.

3.° *Prohibita clericis tamquam aliena a proprio statu.* —Haec sunt: **a)** Armorum delatio, sub poena excommunicationis ferendae (c. 2 t. 1 lib. III) nisi ad propriam defensionem in itinere.

b) Avaritia et quod eam sapit; unde nequit exercere usuras, negotiationem quaestuosam, seu quaestus causa, sive per se, sive per alios illam exerceant; utique vero negotiationem oeconomicam, imo et artificialem ad subveniendum vitae necessitatibus, dummodo nihil in se habeat quod a clericali officio et dignitate abhorreat. Insuper auctores communiter docent licere clericis obligationes vel actiones societatum sibi comparare, ut moderatum lucrum ex proprio capitali reportent, dummodo ipsi non interveniant in consiliis administrationis. Id magis consonum est cum agitur de societatibus jam

(1) In Hispania praedictae dispositiones usu receptae non sunt; at si abusus existerent, Episcopus aliquo modo intervenire deberet. Quidam probati auctores admittunt parvitatem materiae (S. Alph. D' Annib.), quin id opponatur decretis S. C. C. (Wernz).

constitutis. Prohibentur etiam ex hoc capite munera aut salaria accipere pro ministerio judicandi, nisi esculenta et poculenta in modica quantitate.

c) Interesse spectaculis vel choreis, taxillorum vel alearum ludibus; nisi moderate et recreationis causa fiat, venationem exercere, nisi forte non clamorosam, secluso scandalo et servato modo, qui clericos decet, et hoc quidem ex benigna auctorum interpretatione.

d) Exercitia vilia, ut carnificis, macellarii, tabernarii, joculatorum, mimorum, etc., vel a statu ecclesiastico nimis aliena, sive quia lenitati contraria, ut exercitium medicinae et chirurgiae, potissimum cum adustione vel incisione, sive quia nimis distractionibus obnoxia ut officia politica (excepta dignitate Senatoria, vel Consiliarii Principis et probabilius Deputati populi in Comitiis nationalibus ob utilitatem Ecclesiae), et officia civilia, seu quae ad saecularem administrationem pertinent et publice deferuntur, ut syndici, procuratoris, advocati, tabellionis, tutoris, curatoris, etc.

e) In memoriam revocari debent poenae latae in clericos nimium saeculo indulgentes, et in Missionarios negotiationem exercentes; de quibus in tractatu de *Censuris* agitur in specie.

TITULUS III.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN GENERE

Quatuor in hoc titulo consideranda veniunt: I. Natura jurisdictionis ecclesiasticae. II. Acquisitio jurisdictionis ecclesiasticae. III. Cessatio et restrictio jurisdictionis ecclesiasticae. IV. Jura et officia habentium jurisdictionem ecclesiasticam.

ARTICULUS I.

DE NATURA JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE

I. Notio jurisdictionis ecclesiasticae. II. Ejus discrimina a potestate ordinis. III. Objectum. IV. Divisio. V. Subjectum. VI. Judices ordinarii. VII. Judices delegati. VIII. Vicarii. IX. Praelati exempti. X. Judices conservatores.

I. **Notio.**—Etymologice idem sonat ac *jus dicere*. Quoad rem in Jure canonico dicitur jurisdictio omnis potestas publica ordinata ad fidelium gubernationem, quae ordinatione divina non est ligata characteri ordinis, quamvis nonnumquam etiam *strictius* sumatur pro potestate judiciali. In jure civili est potestas cognoscendi et sententiam ferendi super causis civilibus et criminalibus publica auctoritate constituta, itemque sententias exequendi. Cum omnis publica potestas includat aliquod saltem exercitium potestatis legiferae, judicialis et exequutivae in ordine ad finem societatis, patet etiam jurisdictionem ecclesiasticam illud continere in ordine ad finem Ecclesiae, qui est vita aeterna per sanctificationem fidelium obtinenda.

II. **Ejus discrimina a potestate ordinis.**—Jurisdictio ecclesiastica maxime differt a potestate ordinis, licet alio ex capite in usu valde cum ea connectatur. Haec sententia est certa et communis Canonistarum et Theo-

logorum cum D. Thoma (1.ª, 2.ae q. 39, a. 3, III), eaque probatur: 1.° *objecto*, nam altera regimen, altera sanctificationem fidelium respicit; 2.° *fonte*, nam altera a voluntate necessaria Christi Ecclesiam ut societatem instituentis, altera a libera Christi voluntate sacramenta instituentis; 3.° *titulo*, altera enim ordinatione vel consecratione, altera vero missione vel canonica injunctione acquiritur; 4.° *duratione*, quia altera inamissibilis uti et character, altera amissibilis, uti mandatum; 5.° *subjectis*, nam ordo semper valide exercetur, dum jurisdictio non nisi in subditos actus suos valide exercet; 6.° *honore*, siquidem potestas ordinis dat praecellentiam, sed non veram superioritatem vel auctoritatem, quae propria est potestatis jurisdictionis; 7.° *gradibus et officiis*, nam officia ecclesiastica non necessario respondent gradibus ordinis; separari enim possunt, ut patet in Episcopis titularibus.

III. **Objectum jurisdictionis ecclesiasticae.**—In genere sunt omnia objecta quae ad finem Ecclesiae consequendum sunt necessaria vel valde utilia. In specie objectum *directum* sunt res et actus essentialiter spirituales et quae cum iis proxime cohaerent; *indirectum* vero, res temporales, vel temporale admixtum spirituali, quatenus esse possunt materia supernaturalium actuum qui praecipiuntur, aut vitiorum quae prohibentur.

Ceterum objectum jurisdictionis ecclesiasticae debet habere alias legis ecclesiasticae qualitates; quare jurisdictionem ordinariam effugiunt actus vere *heroici*, actus *praeteriti* vel *pendentes*, nisi agatur de legibus declarativis, poenalibus, inhabilitantibus vel irritantibus, et actus *mere interni* juxta communem sententiam theologorum et canonistarum cum Innocentio III (C. 34, lib. V, t. 3): «Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare». Ita veteres omnes cum D. Thoma (1.ª 2.ae q. 91, a. 4, q. 100, a. 9), Suárez, Lugo, Santi, Scherer, D' Annibale, Lega, Wernz contra Devoti, Gury-Ballerini, Lehmkuhl et paucos recentiores. Quae sententia, si ad forum externum, ut aequum est, restringatur, moraliter certa videtur; nam tunc jurisdictio ecclesiastica est vera potestas publica *societatis humanae*, quae in societatem humanam formaliter exercetur. Atqui societas hu-

mana non concipitur sine plurium hominum unione aliquatenus externa.

IV. **Divisio.**—Potest dividi quintupliciter: 1.° Ratione fontis. 2.° Ratione tituli. 3.° Ratione modi. 4.° Ratione subjecti. 5.° Ratione extensionis.

1.° *Ratione fontis.*—Alia est *juris divini*, ut pontificia et episcopalis dependenter a pontificia, alia *juris humani ecclesiastici*, uti ceterae omnes.

2.° *Ratione tituli.*—Dividitur: **a)** In *propriam* et *vicariam*. *Propria* in genere est quae proprio nomine exercetur, *vicaria* quae alterius nomine seu ex commissione; sicque dicitur propria potestas quam habet Ecclesia uti societas perfecta, quamque proprio nomine in foro suo exercet, ut est potestas possidendi, excommunicandi, leges ferendi, etc., et hujusmodi potestas jure proprio originario residet in Papa plenissime, et in Episcopis minus plene: in ceteris vero residet ex commissione sive personali sive officii, proindeque est in illis potestas vicaria; et tam in his quam in illis, est etiam *vicaria* potestas, quae Ecclesiae concessa est vi s ecialis commissionis in foro Dei exercenda, v. g., cum definit, absolvit, indulget, irritatque vota, juramenta aut matrimonia rata. **b)** In *propriam* seu *ordinariam* et *delegatam*. *Propria* seu *ordinaria* quatenus opponitur *delegatae* est quae officio annexa est sive proprio, ut in episcopis, sive commisso, ut in Vicario generali, sive revocabili, sive irrevocabili, cum identitate personae juridicae vel minus. *Delegata* est quae officio annexa non est, sed per mandatum vel commissionem tantummodo personae acquiritur, sive simplicis voluntatis injunctione, sive juris etiam dispositione; adeo ut repugnet intrinsece identitas juridica delegantis et delegati, cum delegatus sit essentialiter inferior delegante. Aliquando tamen potestas ordinaria strictius a nonnullis usurpatur pro *originaria*, scilicet quae vi officii et proprio nomine exercetur (1). **c)** In *ordinariam* et *extraordinariam*. Illa, prout huic opponitur, est quae in ordinariis rerum adjunctis exercetur; puta potestas Episcopi, Vicarii Generalis,

(1) Tum ordinaria tum delegata dicitur *attributa*, si habeatur ex commissione auctoritatis *heterogeneae*, idest civilis, quae commissio potest esse vel vi officii vel personalis.

Congregationum Rom.; *extraordinaria* vero quae in specialibus circumstantiis tantum excercetur sive a jure, ut potestas conciliorum et metropolitanorum, sive ab homine, ut potestas *commissionum* Cardinalium vel judicum. 3.° *Ratione modi.*—Dividitur: a) In *voluntariam*, quae sine strepitu judiciali et appellationibus exclusis exercetur praesertim in volentes circa objecta prudenti superioris arbitrio permissa, et *contentiosam*, quae circa controversias quae formam judicialem requirunt, atque etiam in invitos, praesertim in causis criminalibus, exercetur. *Voluntaria* subdividitur in *legislativam* et *gubernativam*, quamvis primam plures auctores ad contentiosam referant (1). Gubernativa autem esse potest *gratiosa*, *correctiva*, quae ad personas extra judicium refertur, et *administrativa*, quae ad res. *Contentiosa* vero est vel *poenitentialis*, quae in sacramento poenitentiae, vel *civilis*, quae ad jus dicendum inter partes, vel *criminalis*, quae ad publicam vindictam ordinatur. b) In jurisdictionem *fori interni* seu *conscientiae*, quae primario et directe ad utilitatem privatam fidelium ordinatur, et ordinario exercetur *occulte* cum effectu coram Deo (*forum poli*), quaeque *poenitentialis* vel *extrapoenitentialis* esse potest; et *fori externi*, quae primario et directe ordinatur ad utilitatem publicam sive communem fidelium, quaeque moderatur relationes sociales et exercetur *publice* in facie Ecclesiae cum effectibus juridicis et socialibus (*forum fori*). Haec adaequate dividetur in *legiferam*, *judicialem* et *executivam*, et postrema iterum in *gubernativam*, *coërcitivam* et *administrativam*, uti fecimus in Jure Publico. c) In *immediatam*, quae directe singulos subditos, et *mediatam*, quae directe superiorem attingit, non autem subditos nisi in casibus a jure expressis; v. g., jurisdictio metropolitae in suffraganeos. 4.° *Ratione subjecti.*—a) In *privilegiatam* seu exemptam ab ordinaria, et *conservatricem*, quae pro exempta vigilat. b) In *restrictam* et *liberam*, prout ordinaria potestas restringitur vel non. c) In *privativam*, quae omnino subducitur ab ordinaria circa aliqua negotia vel personas, vel etiam quae alicui competit, aliis praeter Papam

(1) Vid. Maschat in Tit. *De officio Vicarii*, et Lega *De Judiciis*, tom. I n. 42.

exclusis, et *cumulativam*, quae cum ordinaria exercetur, seu quae non excludit quoad determinata negotia vel personas potestatem ordinariam vel etiam in genere alienam potestatem. **d)** In *inferiorem* seu Ordinariorum locorum, *superiorem* seu supra-episcopalem, et *supremam* seu Romani Pontificis. **e)** In *collegialem*, *collectivam* et *individualem*, prout a persona morali, collectiva vel physica exercetur.

5.° *Ratione extensionis.*—Alia est *universalis* quoad res, loca et personas, alia *particularis* seu limitata vel quoad res, vel quoad loca, vel quoad personas. Sed melius juxta alios auctores, alia dicitur *universalissima*, quae ad omnia loca, res et personas; alia *universalis*, quae ad certas res et personas omnis loci; alia *generalis*, quae ad omnes res et personas non reservatas alicujus loci extenditur; alia *particularis*, quae ad certa res, personas et loca refertur; alia *specialis*, quae pro aliquibus negotiis, alia *specialissima*, quae pro uno negotio conceditur.

V. **Subjectum jurisdictionis ecclesiasticae.**—1.° *Subjectum passivum*, seu subditi jurisdictionis ecclesiasticae sunt jure divino omnes et soli baptizati ratione pollentes et in territorio judicis ecclesiastici existentes, dummodo lege speciali aut privilegio vel conventione non sint exempti.

Quare **a)** *infideles* et *catecumeni* non subsunt jurisdictioni Ecclesiae; **b)** etsi jure divino sint subditi, facto tamen Ecclesiae *haeretici* et *schismatici nati* non tenentur legibus disciplinaribus; *catholici ritus orientalis* non ligantur legibus disciplinaribus, etiam universalibus vel conciliaribus, nisi de ipsis expresse decernatur, aut ex subjecta materia adstringantur; leges latae pro aliquo ritu orientali non obligant ceteros ritus sine expressa extensione Sanctae Sedis; **c)** personae *exemptae* non subduntur jurisdictioni particulari praeter casus in jure expressos vel indirecte ob bonum commune, neque *vagi* vel *peregrini* legibus sui territorii ligantur vel frui valent, neque ligantur legibus territorii actualis commorationis, (licet privilegiis et dispensationibus ipsius uti possint), si excipias leges particulares et simul personales, leges latas de peregrinis, leges de rebus immobilibus, de formis contractuum aliorumque actuum legitimorum, et in genere ubi injustitia alias secutura, scandalum vel delictum aliud postulet; **d)** legibus latis a collegio ecclesiastico subduntur

singuli socii, uno excepto Romano Pontifice; latis vero a singulari magistratu non subduntur legislatores ipsi, neque successores quoad vim coactivam, neque etiam quoad directivam in iis quae ipsorum dignitati vel personae non sunt accommodata.

2.° *Subjectum activum* jurisdictionis ecclesiasticae sunt omnes et soli clerici qui legitima missione seu canonice jurisdictionem adepti sunt. Hi generatim dicuntur *superiores ecclesiastici*, et duplicis sunt classis: **a)** collegiales, et **b)** singulares.

a) *Collegia legifera* sunt: 1.um Pro universa Ecclesia *Collegium Apostolorum* et *Concilium oecumenicum*; Sacrae Congregationes Romanae non habent nisi jurisdictionem universalem strictius sumptam, seu quae ad *certas res* et *personas* cujuscumque loci se extendit, et Collegium Cardinalium sede vacante aliud non potest quam quod a Greg. X ei fuit permissum. 2.um Pro suo territorio *Concilia particularia legitima*. 3.um *Capitulum ecclesiae cathedralis* vel *collegiatae*, saltem pro regimine interno ipsius Capituli, dummodo ordinationes, juxta praxim vigentem, approbentur ab Episcopo, et capitulum Cathedrale etiam sede vacante, ut infra explicabitur. 4.um Jurisdictione universali strictiori sensu gaudent *Capitula* saltem *Generalia* Ordinum Regularium virorum; non autem Monialium, neque Congregationum virorum non exemptarum, et multo minus aliae universitates, archiconfraternitates, sodalitia, etc., quorum statuta, etiam poenalia, naturam potestatis dominativae, vel religiosae vel conventionalis non egrediuntur, nisi a Superiore Ecclesiastico competente confirmata fuerint.

b) *Superiores* seu *Magistratus singulares* sunt: 1. Pro universa Ecclesia S. Petrus et ejus successores, et fuerunt etiam Apostoli sub Petro; nemo autem post Btos. Apostolos obtinuit jurisdictionem universalissimam neque eam obtinere potest. 2. Pro sua provincia Legati Romani Pontificis. 3. Pro sua dioecesi episcopi, quibus aequiparantur pro suis territoriis particularibus Praelati Nullius, Vicarii Apostolici et Coadjutores Episcoporum cum plena administratione, Vicarii Capitulares et Vicarii Generales; et e contra non sunt veri judices singulares Patriarchae, Primates, nec Metropolitae extra Concilium vel visitationem legitimam provinciae (intel-

lige quoad territoria patriarchatus, primatus vel provinciae), neque alii praelati inferiores citra casum privilegii, neque Cardinales in suis titulis, et multo minus parochi, licet plures ex his habeant exemptionem, potestatem oeconomicam, et etiam quasi-episcopalem, honorificam et realem in suis ecclesiis (1).

Omnes magistratus ecclesiastici a Decretalistis vocantur *Judices*, ab Institutionistis *Personae* strictiori sensu, quatenus hoc nomine veniunt personae hierarchiae jurisdictionis inscriptae. Alii porro vocantur *Judices Ordinarii*, alii *Delegati*, qui variis insuper nominibus designantur, quae sciri omnino debent.

VI. **Judices ordinarii.**—1.° *Notio.*—Ita vocantur qui habent *officium* ecclesiasticum. Jamvero *officium late* sumptum est quaevis injunctio canonica, seu omnis spiritualis potestas; sensu vero *stricto* opponitur ordini et definitur: «jus perpetuum clerico ab ecclesiastica auctoritate legitime concessum exercendi nomine proprio jura et onera spiritualia ex Christi vel Ecclesiae institutione alicui gradui jurisdictionis annexa».

2.° *Officii requisita.*—Tria sunt: **a)** potestas ordinaria; **b)** ut haec per se et primo sit jurisdictionis, licet includat etiam jura ordinis vel administrationis, v. g., officium Thesaurarii, Vicarii Apostolici; **c)** perpetuitas objectiva saltem institutionis, subjectiva enim non est necessaria ad officium in genere.

3.° *Discrimina.*—Hinc patet officium diferre: **a)** a *beneficio*, quod est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis auctoritate ecclesiastica constitutum propter officium sacrum; **b)** a *praebendis*, quae saepius designant beneficia minora, et strictius canonicatum vel portionem ex massa communi bonorum ecclesiasticorum; **c)** a *canoniis, vicariis, pensionibus* aliisque similibus institutis ecclesiae; **d)** ab officiis civilibus vel servitiis ecclesiae in genere; **e)** a *dignitatibus, personatibus* et *canonicatibus*, ut genus ab specie; sunt enim haec nomina specialium officiorum. Siquidem *dignitas significat officia majora*, scilicet praelaturas majores seu beneficia consistorialia, quae habent praeeminentiam honoris et per-

(1) Quoad Praelatos Regularium quaestio pertractatur ubi de Regularibus.

fectae jurisdictionis in foro externo, ut sunt Episcopi, Praelati Nullius, Vicarii Apostolici aliique ipsis vel superiores vel aequales; et etiam, sensu licet latiori, praelaturas honorarias tantum, ceterasque Praeposituras capitulorum seu praelaturas minores vel inferiores. Officia, quae carent speciali honore et jurisdictione ordinaria fori externi, vocantur *minora* officia vel simpliciter *officia*, nisi speciali nomine gaudeant. Licet officia distinguantur a beneficiis, omnia tamen beneficia sunt officia, sed non e converso; unde officia iisdem modis dividuntur ac beneficia, de quibus in Lib. II agitur.

4.° *Quinam veniant Ordinariorum nomine.*—S. C. U. Inq., approbante Leone XIII, declaravit: **a)** «appellatione Ordinarii venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus Generales, et sede vacante Vicarium Capitularem et legitimum Administratorem»; **b)** «facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Supr. hac Cong. editi die 20 Febr. 1888 quoad dispensationes matrimoniales» (26 Nov. 1897); **c)** «clausulam *durante munere* esse supprimendam, et in ceteris (seu quoad omnes facultates habituales) standum formae decreti jam lati... hoc sensu quod debeant concedi Ordinariis locorum» (20 April. 1898).

VII. **Judices delegati.**—1.° *Notio.*—Ita dicuntur sensu latissimo qui in locum alterius substituuntur; sensu strictiori judices ad solas controversias judiciales dirimendas deputati, de quibus in III libro; et sensu stricto, quo in praesenti utimur, qui jurisdictionem obtinent non vi officii sed unius mandati exercendam. Differt ergo *Delegatus* ab *Oratore*, cui jurisdictio non competit; ab *Ordinario*, qui vi officii proprii vel commissi illam exercet; a *Legato* qui personam; a *Vicario* qui munus; ab *exequutore* qui ministerium vel actum proprietarii sustinent ex commissione tamen officii, muneris, actusve, non potestatis regendi mandatae.

2.° *Divisio jurisdictionis delegatae.*—Alia est simplici-

ter *delegata* seu *mandata*, cum a proprietario immediate communicatur; alia *subdelegata*, si a delegato habetur; alia *prorogata* si ultra personas, res, locum, tempusve fixum in mandato extendatur sive partium sive eam concedentis voluntate. Nota tamen a quibusdam *mandatam* distingui a *delegata;* quia *mandatam* vocant quae alieno nomine exercetur, ac proinde complectitur commissionem officii et commissionem jurisdictionis, scilicet, jurisdictionem ordinariam commissam et jurisdictionem stricte delegatam.

3.° *Divisio judicum delegatorum.* **a)** *Ratione fontis* dividuntur in delegatos *ab homine*, qui immediatam Ordinarii commissionem, et delegatos *a jure*, qui immediatam canonis seu legis generalis commissionem recipiunt; illi saepe vocantur *Delegati extraordinarii* ad *Commissiones* quasdam, hi vero *Delegati permanentes* sive *Ordinarii*. Delegati *ab homine* subdividuntur in *Delegatos* a *Principe* seu a Rom. Pontifice, et *Delegatos Inferiores* seu ab Ordinariis Papae inferioribus; item in *delegatos* principales seu immediatos et *sub delegatos*, seu delegatos mediatos (1). Delegati *a jure* subdividuntur in *competentes ex sola delegatione*, v. g., cum Episcopi agunt tamquam Sedis Apostolicae Delegati et *competentes ex delegatione et officio*, v. g., cum agunt *etiam* tamquam Sedis Apostolicae Delegati; tunc enim ex utroque capite procedere possunt, et si procedant ex primo jurisdictio extenditur etiam in *exemptos*.

b) *Ratione causae* alii sunt *universales*, qui ad universitatem causarum, seu ad omnes species cujusdam generis deputantur, v. g., ad omnes causas officii abbatialis; alii *generales* qui ad omnes causas in certa specie contentas, v. g., ad causas beneficiales; alii tandem *speciales*, quibus una alterave causa committitur, ex. g., professio Tiburtii. Plures tamen auctores indiscriminatim loquuntur de universalibus et generalibus sub nomine Delegatorum *ad universitatem causarum*.

c) *Ratione potestatis* dividuntur: 1.° in delegatos *judices* et *arbitros*, prout a lege vel partium voluntate electi

(1) Delegati *ab homine* etiam dividuntur in delegatos *ad beneplacitum Ordinarii* (nostrum, nostrae voluntatis), et *ad beneplacitum Sedis*. Vide in Prolegomenis, ubi de rescriptorum duratione, quid de hoc sentiendum.

causis finiendis ex justitia vel ex bono et aequo incumbunt; 2.° in delegatos *magistratus* vel *administratores*, quibus plena jurisdictio seu regendi potestas committitur, delegatos *simplices*, qui deputantur ad causas jurisdictionis voluntariae, et delegatos *executores*, quibus gratia aut sententia ordinarii exequenda committitur. Erunt *meri* executores, si nulla causae cognitio; *mixti* vero, si aliqua causae cognitio simul eis committatur. Erunt *necessarii* si praecipiatur ipsis executio, quamvis delegans adjecerit conditionem vel clausulam urbanitatis «pro tuo arbitrio et conscientia» (S. C. C. 6 Dec. 1846), et erunt *voluntarii*, si negotium vere arbitrio delegati committatur.

d) *Ratione motivi*, alii sunt delegati *personales*, seu ob meritum personae, quorum mandatum cum ipsis expirat; alii *reales* seu ob dignitatem vel sedem quorum mandatum cum sede perseverat.

e) *Ratione numeri*, judex *singularis* dicitur si delegatio uni tantum fit, *solidalis*, si delegatio fit pluribus in solidum, et *collegialis* si fit pluribus *collegialiter*, sive cum formula «ut omnes procedant», sive etiam «ut si omnes non interveniant, videant duo vel tres». Judices *solidales* dicuntur etiam *collegiales*, sed improprie, quia singulis integra potestas competit, atque inter eos datur locus praeventioni. E contra *judex collegialis* agere debet *collegialiter*, idest, per majoritatem votorum legitime emissorum, aut per vota in delegatione constituta, quia omnes sunt revera judices unum tribunal integrantes.

VIII. **Vicarii.**—1.° *Notio.*—Vicarius in genere est qui vices alterius gerit; strictius vero dicitur qui legitime constituitur, ut praelati, parochi, aut beneficiati mortui, absentis vel impediti vices vel munus gerat in divinis mysteriis celebrandis aut jurisdictione exercenda. Hoc strictiori sensu Vicarius differt: **a)** a *Vicesgerente*, quia hic a Praelato constituitur ut locum ipsius Vicarii teneat; **b)** a *Locumtenente*, quia hic a Vicario ipso sibi substituitur; **c)** a *Pro-Vicario*, nam hic in locum Vicarii Ordinarii a praelato vel ab ipso Vicario praeficitur; **d)** a *Legatis* et *delegatis*, nam vicaria potestas interdum delegata, interdum ordinaria, saepius mixta est.

2.° *Divisio.*—**a)** *Ratione fontis* dividuntur in Vicarios

Apostolicos et *Inferiores*. **b)** *Ratione potestatis* in Vicarios *in divinis*, qui alterius officium exercent in actibus ministerii sacri, et in iis quae ad forum internum pertinent, et Vicarios in *jurisdictionalibus* seu *jurisdictionis*, qui vice aliorum jurisdictionem explicant in foro externo, sive contentiosam, sive voluntariam, ex. g.; Vicarii Generales, Foranei, Apostolici et Capitulares. **c)** *Ratione durationis* in *perpetuos* et *temporales*, prout in perpetuum vel ad tempus constituuntur. **d)** *Ratione finis* in *auxiliares*, *coadjutores*, *cooperatores*, *administratores*, de quibus infra ubi de episcopis et parochis. **e)** *Ratione formae* in Vicarios *a jure* vel *ab homine* constitutos, qui ab aliquibus confunduntur cum *delegatis a jure* vel *ab homine;* ab aliquibus vero cum *delegatis ordinariis* seu *ordinariis* ex *commissione officii* et cum simpliciter delegatam jurisdictionem habentibus.

IX. **Praelati exempti.**—Ita dicuntur qui gaudent *exemptione*. Videamus igitur: 1.° exemptionis naturam; 2.° divisionem, et 3.° acquisitionem.

1.° *Natura.*—In genere exemptio est liberatio quaedam a potestate Ordinarii inferioris legitime facta, vi cujus aliqui immediate Summo Pontifici subjiciuntur.

2.° *Divisio.*—**a)** Alia est *localis*, quae non subtrahit primo et directe a jurisdictione Episcopi personas, sed loca, et illas tantum quatenus sunt in loco exempto; unde si extra locum exemptum delinquant, subjacent Ordinario; alia *personalis* si ipsaemet et solae personae eximantur; alia *mixta* vi cujus aeque principaliter exempta sunt loca et personae. **b)** Alio modo exemptio distinguitur in *passivam*, quae directe personas, et ratione personarum locum ab Episcopi jurisdictione eximit, et *activam*, quae propria est Praelatorum *nullius* dioeceseos et *quasi-nullius*.

3.° *Acquisitio exemptionis.*—In genere exemptio, nisi notoria sit, non praesumitur, sed probanda est; nam Episcopus habet intentionem fundatam in jure ad totam dioecesim administrandam et regendam. Modus exemptionem probandi determinatur in C. 7 *De privilegiis* in 6.°

Tituli ad eam acquirendam sunt: *privilegium pontificium, et immemorabilis consuetudo;* quadragenaria enim non sufficit saltem pro *activa* (Const. Bened. XIV, *Apo-*

stolicae servitutis); sufficit vero pro *passiva*, si adsit simul titulus coloratus. Controvertitur autem num acquiri possit Episcopi concessione. Sententia probabilior negat, quia alienationem jurium suae Ecclesiae importat, quae fieri nequit nisi servatis juris solemnitatibus, quas inter est beneplacitum apostolicum.

Exinde sequitur quod, si in concedenda exemptione servatae fuerint juris solemnitates, haec concessio etiam successorem liget; nam est vera alienatio, quae de se perpetua est; e contra, si servatae non fuerint; nam Episcopus nequit successoribus praejudicium inferre, nisi servando juris solemnitates.

X. **Judices conservatores.**—Sunt judices delegati a Rom. Pontifice ad defendendas personas privilegiatas, quales sunt personae miserabiles et omnia fere instituta et collegia ecclesiastica, ab injuriis et violentiis manifestis absque judiciali causae cognitione. Potestas *conservatorum* limitata est in Sexto Decretalium, in Conc. Trid. (Sess. 14, c. 5, de R.) et constitutionibus Clementis VIII, Greg. XV et Innoc. X. Cum lites inter Regulares et Ordinarios inde non fuissent sopitae, Clemens XIII (Const. *Cum omnium*) declaravit Superiores Regularium non posse constitui conservatores temporaneos, et nullo modo expedire, ut privilegio utantur eligendi conservatores, sed ad Sedem Apost. recurrere oportere Regulares in missionibus degentes. Cum recursus ad Sedem Apost. frequens evaserit, totum jus de *conservatoribus* practica utilitate caret.

ARTICULUS II.

DE ACQUISITIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE

Cum jurisdictio ecclesiastica acquiratur per *titulum* legitimum, et hic titulus diversus sit in adeptione jurisdictionis *delegatae* et *ordinariae*, distinctis paragraphis loquemur: I. de titulo in genere; II. de adeptione jurisdictionis delegatae; III. de adeptione jurisdictionis ordinariae.

§ I.—DE TITULO IN GENERE

I. Quid sit titulus. II. Quotuplex. III. Quisnam titulus ad jurisdictionem exercendam requiratur.

I. **Quid sit.**—In genere est actus, quo confertur potestas peragendi munia ecclesiastica. Proprie vocatur *missio* vel *injunctio* canonica, et tres actus requirit; scilicet, *designationem* magistratus, liberam jurisdictionis *collationem* et introductionem seu *immissionem* in munus.

II. **Quotuplex.**—Alius est *verus*, alius *falsus*. Ille est qui nullo vitio laborat, ad quod requiritur concedentis libera potestas, recipientis habilitas et debita forma in actu concessionis. *Falsus* dicitur qui laborat vitio circa unum aut plura ex tribus requisitis modo indicatis. Hic dicitur *putativus* relative ad eos, qui vitium ignorantes illum legitimum reputant. Iterum *falsus* potest esse *fictus*, si non fuit concessus a superiore, vel non pro casu, loco, tempore aut persona de quibus agitur: *coloratus*, si fuit concessus a legitimo superiore, sed laborat vitio occulto actum irritante; quod quidem vitium esse potest vel in *concedente*, ut titulus Vicarii Generalis mortuo Episcopo, quando mors Episcopi ignoratur, vel in *recipiente*, ut si habeat hic irregularitatem vel excommunicationem occultam, vel in *actu*, ut si intercesserit simonia occulta; et *simpliciter nullus*, si fuit concessus a superiore illegitimo, vel si a legitimo, sed laborat vitio manifesto.

III. **Quisnam titulus ad exercendam jurisdictionem requiratur.**—Ad valide et licite requiritur per se seu ordinario *verus titulus*, quamvis aliquando sufficiat ut talis existimetur ab eam exercente, si aliunde concurrant quae pro valido exercitio nunc dicentur. Ad valide vero illam exercendam sufficit *putativus*, tam pro delegata quam pro ordinaria, et quidem in utroque foro, dummodo: 1.° existat error communis et probabilis circa vitium tituli; 2.° ejus sit naturae vitium, cui Ecclesia mederi possit; 3.° probabilius si adsit etiam titulus *coloratus*.

§ II.—DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS DELEGATAE

I. Quis possit delegare. II. Cui delegatio facienda. III. Quaenam delegari valeant. IV. Qualis delegatio esse debet.

1. **Quis possit delegare et subdelegare.**—Generatim delegare potest quicumque habet ordinariam potestatem, nisi ex natura rei vel jure communi aut speciali prohibeatur quominus deleget; *licite* vero delegatio non fit absque gravi causa prudenti ordinarii ipsius arbitrio aestimanda. Delegati vero a Papa, vel ad universitatem causarum, vel a jure generatim possunt subdelegare, nisi videlicet electi fuerint industriâ personae (C. ult. lib. I, t. 29, et C. 62, lib. II, t. 28; S. C. U. I. *De mandato* etc.; 1. Mart. 1889, 18 Mart. 1891, 14. Dec. 1898, 3 Maji 1899, 13 et 20 Dec. 1899). Hi textus juris et praxis abunde faciunt contra Bouix (De judiciis I, p 146).

Industriâ personae praesumitur quis electus juxta Monacelli (Annalect. Jur. Pont. 27e livr. col. 863): I. Quando ratione confidentiae committitur. II. Quando conscientia oneratur. III. Quando praestatio consilii requiritur in certo actu ad tempus. IV. Quando mandatur negotium non determinatum. V. Quando delegatus datus est ad partis instantiam. VI. Quando agitur de re et controversia, quae ingenium et hominis peritiam respicit. VII. Si expresse subdelegatio prohibeatur. Prohibitio vero nihil operatur, si partes consentiant, excepto casu, quo inquisitionem fieri vel Ecclesias provideri Papa mandaverit.

Ceteri delegati ad specialem causam generatim subdelegare nequeunt potestatem; committere tamen possunt *nudum ministerium* seu simplicem executionem circa delegationem, imo subdelegare articulum incidentem vel etiam jurisdictionalem, si expresse vel tacite potestas subdelegandi ei fiat. Qui vero subdelegati sunt ad *nudum ministerium* nequaquam iterum subdelegare valent (S. Poenit. 27. Apr. 1866).

II. **Cui delegatio facienda.**—*Capaci, idoneo* et *subdito*, seu iis solis, qui immunes sunt a vitiis quae excludunt a jurisdictione, et habent dotes ad eam possidendam requisitas. Porro vitia, quae excludunt, vel sunt *a natura*, ut defectus rationis, vel a *lege* ut excommunicatio; et generatim quae ab officio ordinarii excludunt, pariter a delegati munere arcent.

Capacitas exigit tonsuram; Papa tamen delegare potest etiam laicos, minime vero Episcopus, nisi forte juxta aliquos ad causam temporalem alicujus clerici judicio arbitrario decidendam et adhibito assessore ecclesiastico. *Delegati Apostolici* debent habere alias dotes, de quibus egimus ubi de rescriptis; quae tamen exigi nequeunt in subdelegatis Delegatorum Apostolicorum (Sancti ad Tit. 29, l. I, n. 14; Sebastianelli I, 102; Wernz II, 556, contra alios Doctores).

Idoneitas exigit sollertiam, discretionem et alia quae muneri obeundo necessaria sunt ex juris naturae vel canonici dispositione. In specie minores 18 annis nequeunt delegari nisi a Rom. Pontifice, majores 18 annis de consensu partium, et a quocumque si 20 annum excesserint.

Subdito diximus delegationem esse faciendam; unde Rom. Pontifex omnes fideles compellere potest ad delegationem suscipiendam; Praelati inferiores suos tantum subditos, licet extraneos etiam delegare possint modo isti velint (C. 28 h. tit., et C. 11 lib. I. tit. 31).

III. **Quaenam delegari valeant.**—Quae sunt in potestate jurisdictionis nec mere personalia sint, sive natura sive lege. Papa proinde nequit delegare infallibilitatem, nec alii Ordinarii quae ordinis sunt; quaeritur tamen de delegatione confirmationis presbytero facta, si ab Episcopo concedatur. Pariter Papa nequit sibi substituere *Vicarium jurisdictionis universalis*, nec Ordinarii inferiores alteri *universam jurisdictionem* delegare sine consensu Papae, neque subdelegare sibi commissam ob industriam personae, ut supra explicatum est; bene vero omnes facultates sive habituales, sive ad tempus, sive ad casus particulares determinatos ab Apost. Sede sibi delegatas, et quidem subdelegare possunt generali modo et quibuscumque viris ecclesiasticis sibi bene visis, et non tantum pro particulari casu vel soli Vicario Generali. Insuper hujusmodi facultates censeri debent *reales*, ac proinde transire ad successores ordinarios, quibus ad hunc effectum quod attinet Superiores Ordinum Religiosorum comparantur. Haec omnia intelligenda sunt dummodo in facultatibus aliquid horum expresse non prohibeatur (S. C. U. I. loc. cit. n. I).

IV. **Qualitates delegationis.**—Delegatio potest esse

a jure vel *ab homine*, *cumulativa* cum ordinaria vel simpliciter delegata. Hic quaerimus tantum de simpliciter delegata ab homine, pro qua haec quatuor requiruntur: 1.° Si facultas delegata necessaria sit ad valorem actus, delegatio debet esse positiva, idest, *expressa*, vel ita praesumpta ut quibusdam signis indicetur consensus de praesenti; si vero tantum necessaria sit ad liceitatem actus, sufficit licentia rationabiliter praesumpta, vel ratihabitio rationabiliter sperata, nisi agatur de ordinibus conferendis. 2.° Actus delegationis intimari debet delegato. 3.° Ab hoc acceptari debet saltem implicite. 4.° Debet esse *libera*; tamen si metu etiam grave et injusto obtineretur, non ideo probabilius invalida esset delegatio; imo nec si dolo obtenta, dummodo dolus non afficiat causam motivam concessionis.

Minime tamen requiritur ut actus delegationis sit scriptus, nisi in casibus a Jure expressis.

§ III.—DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS ORDINARIAE

Tria puncta complectitur haec paragraphus: I. constitutionem officiorum, quibus annexa est jurisdictio; II. varios modos quibus obtineri potest officium ecclesiasticum, et III. qualitates in promovendis requisitas.

Cum haec omnia arctissime connectantur cum beneficiorum materia, de qua in secundo Libro pertractatur, lectores volo praemonitos me dumtaxat acturum de iis, quae arctius ad jurisdictionis adeptionem referuntur; sit igitur

PUNCT. I.—DE CONSTITUTIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM

I. Quo jure annectatur jurisdictio officiis ecclesiasticis. II. Quinam in Ecclesia instituere possint officia ecclesiastica.

I. **Quo jure annectatur jurisdictio officiis ecclesiasticis.**—Ei qui eligitur in *Romanum Pontificem* certum est jurisdictionem plenissimam et immediatam in universam Ecclesiam *immediate a Christo* obvenire. Quoad *Episcopos*, alii dicunt eis obvenire *immediate a Christo*, sed indeterminatam et dependentem a Romano Pontifice in eligendo subjecto, in populo regendo, in ejus exer-

citio et quoad ejus durationem. Alii rationabilius asserunt eos habere jurisdictionem *a Deo mediate*, idest, mediante Papa, sed gaudere jurisdictione propria et ordinaria, quia ipsorum gradus est a Christo institutus ut sint Pastores ordinarii; et a Pontifice fit participatio jurisdictionis, ut eos in hoc gradu constituat. Rationes praecipuae hujus sententiae sunt: primo, quia non sunt entia absque necessitate multiplicanda; secundo, quia non concipitur jurisdictio sine subditis; tertio, argumenta adversariorum facile solvuntur; quarto, non est verum jurisdictionem conferri a Deo in *consecratione*, neque in sola *confirmatione*, neque *initialiter* in consecratione et *perfective* in confirmatione; quae omnes theoriae veterum hispanorum praesertim hodie communi favore non gaudent, sed cum Láynez dicunt per viam *injunctionis* a Rom. Pontifice Episcopis conferri.

Quoad *cetera officia* certum est eis annexam esse jurisdictionem *jure* solum *ecclesiastico*, seu consensu Ecclesiae expresso, tacito vel praesumpto.

II. **Quinam possint in Ecclesia constituere officia.**— 1. Summus Pontifex constituere potest quaecumque officia, et *privative* novos *episcopatus* et officia *quasi-episcopalia* vel *majora*, capitula *cathedralia* et *collegiata*, *dignitates novas* in capitulis, non tantum redintegrandas, praesertim si sint inusitatae et in jure non expressae, simplices *canonicatus supranumerarios cum jure spectativae* et *canonicatus honorarios cum privilegiis specialibus* a jure communi alienis (Constat ex pluribus decisionibus S. C. C. et ex praxi). Pro officiis majoribus Papa utitur opera S. C. Consistorialis, vel S. C. de Prop. Fide, vel S. C. Negot. Extr.; preces pro collegiatis mittuntur ad S. C. C.

2. Quoad *reliqua officia*, certum est ea omnia *omnem* et *solum Episcopum* instituere posse. Quoad *parochias* indubium est illas posse ab Episcopo institui, positis quibusdam conditionibus, de quibus in II Libro agemus. Magis libere instituere potest *Vicarium Generalem*, *Vicarios Foraneos*, *Curiam Episcopalem*, *Vicarios Parochorum*, *officia minora* in dioecesi, *novos canonicatus simplices* etiam *honorarios*, et de capituli consensu *redintegrare dignitates* extinctas, servatis semper aliis de jure servandis.

PUNCT. II.—DE PROVISIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM

Provisio est modus legitimus acquirendi officium ecclesiasticum. Quadruplex est hic modus, nempe: electio, postulatio, libera collatio et institutio; sed hic tantum agemus de duobus prioribus, qui praecipue ad jurisdictionem acquirendam spectant, et de quibus sermo fit in tit. 5 et 6, lib. I Decretalium. Priusquam autem de modis agamus, praestat de ipsa providendi potestate in genere loqui.

A) DE POTESTATE PROVIDENDI IN GENERE

Dupliciter considerari potest: I. juridice; II. historice.

I. **Disciplina circa potestatem providendi.**—1.° Ille tantum potest valide et licite concedere officia ecclesiastica qui potestate ecclesiastica pollet. Potestas vero, ut diximus, in Ecclesia non residet penes populum, sed penes Apostolos et legitimos successores, Papa non invito vel contradicente. Nec Christus proinde nec Apostoli nec eorum successores pendent a populi vel laicae potestatis consensu in provisione officiorum, et si quod jus in provisionem habent plebs vel princeps, id ex mera concessione Ecclesiae derivari debet.

2.° In genere provisio *officiorum majorum*, quovis modo fiat, uni *Romano Pontifici* reservata est; *inferiorum* vero collatio, confirmatio aut institutio ita *soli Episcopo* competit, ut habeat juris praesumptionem quoad liberam collationem aut saltem quoad confirmationem vel institutionem, si qui jus eligendi vel praesentandi probaverint; imo ex Concil. Trid. (Sess. 14, c. 12 R.) in casu *fundationis, institutio* debet Episcopo, non alteri inferiori reservari, neque alii quam Ordinario loci licet praesentare nominatos a patrono.

3.° In concreto juxta disciplinam vigentem: *electio Papae* uni Collegio Cardinalium reservatur et electi *acceptatione* perficitur; *Episcopi* per solam *collationem liberam Rom. Pontificis*, licet interdum ex privilegio apostolico praecedat electio, praesentatio, nominatio vel commendatio aliorum; dignitates *supra-episcopales* et *primae Capitulorum* reservatae sunt Rom. Pontificis

collationi, aut confirmationi, aut institutioni, ad ipsumque Rom. Pontificem pertinet provisio aliorum plurium juxta Regulas Cancellariae, constitutiones apostolicas et conventiones cum Guberniis. Officia vero *dioecesana* non reservata *libere* conferuntur ab Episcopo, si agitur de *Vicario Generali, Vicariis Foraneis* et *Cancellariis* et aliis *Curiae* officialibus; *Canonicatus cathedralis simul* cum Capitulo, *collegiatae* vero *electione* Capituli conferuntur *confirmanda* ab Episcopo, nisi ex consuetudine vel conventionibus aliud obtinuerit; *parochialia* vero *libere* conferuntur, nisi sint incorporata, patronata vel alias reservata, et servetur forma concursus; et a fortiori ad Episcopum libere collatio pertinet aliorum officiorum *simplicium* vel *curatorum* dioecesis. Quae singula proprias sedes nanciscuntur sive in I sive in II Libro, ubi etiam de jure hispano fit sermo.

II. **Historia Provisionis Officiorum.**—1. *Praelatorum* electio initio ad unum presbyterium vacantis Ecclesiae spectabat, accedente *testimonio* plebis et interdum consensu. In Ecclesia orientali jam inde a Conc. Nicaeno episcoporum *electio* ad *comprovinciales* episcopos pertinuit, in occidentali vero ad *clerum dioecesis,* donec saec. XII tandem reservata est *capitulo cathedrali; confirmatio* tamen a metropolitis obtinenda migravit saec. XIV ad Rom. Pontificem, imo ipsa *electio* coepit ipsi *reservari,* quod est jus vigens nisi aliud jure particulari obtinuerit. 2. *Capitula* cathedralia et collegiata, in vita communi jam a saec. VIII saltem constituta, admittebant clericos *nutu praepositorum,* unde imminuta fuit potestas ordinaria conferendi canonicatus. Magis restricta fuit dissoluta vita communi, unde *dignitates* per capituli electionem, *canonicatus* per simultaneam collationem Episcopi et Capituli, dignitates vero et canonicatus *collegiatae* per electionem Capituli ab Episcopo confirmandam providebantur, accedente saec. XIII *optionis* jure. Saec. XIV et deinceps imminuta fuit potestas *inferiorum collatorum* ope *reservationum* praesertim quoad *primam dignitatem* in capitulis, per *menses papales* provisionum et per jus *primariarum.* Quibus non obstantibus, Episcopi habuerunt semper intentionem fundatam in jure circa officiorum provisionem. 3. Olim concessio *inferiorum* officiorum concurrebat cum *ordinatione*; quae in potestate erat Episcopi audito interdum plebis placito. In Ecclesia orientali certe a saec. V haec praxis fuit immutata ob praediorum oblationes, imo in Ecclesia occidentali Episcopus, qui in aliena dioecesi ecclesiam aedificabat, obtinuit, ut secundum

desiderium suum, clerici ab ordinario loci ordinarentur vel instituerentur. Hinc paulatim ortum est *jus patronatus* fundatoribus ecclesiarum concessum, ab Alexandro III sancitum, in decretales translatum, et quoad substantiam etiam hodie vigens eodem modo, posita Episcopi approbatione quoad officia. Cetera, quae huc pertinent, propriam sedem habent in singularibus tractatibus de officiis et beneficiis.

B) DE ELECTIONE IN GENERE

I. Electionis natura. II. Personae eligentes et eligendae. III. Forma et qualitates electionis. IV. Intimatio et confirmatio electionis.

I. **Natura electionis.**—*Late* sumpta est nominatio personae praeficiendae. *Stricte* est canonica vocatio ad officium vacans. *Strictissime*, uti hic sumitur, est: Personae idoneae ad Praelaturam ecclesiasticam vacantem per vota legitimorum electorum canonica vocatio a Superiore confirmanda.

Dicitur *idoneae* ut distinguatur a postulatione; *ad Praelaturam* ut omnia officia pastoralia comprehendat; *vacantem*, ut excludantur intrusiones, praevii tractatus et promissiones; *per vota legitimorum electorum*, quia requiritur consensus interesse habentium; *canonica vocatio*, quia celebrari debet cum solemnitatibus juris; *a superiore confirmanda*, quia non tribuit jus in re sicut collatio. Hinc electio strictissime sumpta differt a *collatione, postulatione, praesentatione, nominatione*, sive consultoria sive solemni, et a *supplicatione* et *commendatione*.

II. **Personae eligentes et eligendae.**—1.° *Eligentes.* Electio fieri debet, uti diximus *per vota legitimorum electorum*. Legitimi autem electores in genere sunt clerici pertinentes ad capitulum, collegium vel communitatem, cujus Praelatus est eligendus, gaudentes qualitatibus jure communi vel speciali ad eligendum requisitis (C. 1 et 14 h. t.); quod si de Episcopo agatur, tantum sunt Canonici, qui senatum episcopi constituunt. Jure vero speciali jus eligendi competere potest aliis qui non sint de Capitulo. Ita ex *praescriptione* immemorabili, vel saltem 40 annorum cum titulo colorato, vel ex *privilegio apostolico*, vel *unanimi capitularium consensu* pro una vice, nisi certo numero electio reservetur (et olim etiam

ex *fundatione*), eligere possunt *clerici extranei* a Capitulo. *Laici* vero eligere non possunt absque *privilegio apostolico*, nisi agatur de *monialibus* vel de ordinibus *sociorum laicorum*.

Specialiter ab electione arcentur: I. Laici et clerici extranei. II. Canonici, qui non sunt subdiaconi tempore electionis; carent enim voce activa et passiva in capitulo. III. Impuberes, furiosi et mente capti. IV. Suspensi ab officio et beneficio, vel ab officio tantum. V. Nominatim interdicti aut violatores interdicti localis, excommunicati vitandi semper, et non vitandi si exceptio eis opponatur, et infames juris. VI. Pro illa vice *scienter* eligentes indignum. VII. Qui absque legitimo impedimento tempus habile ad electionem transcurrere patiuntur. VIII. Qui permiserunt electionem fieri per abusum laicae potestatis. IX. Absentes legitime non impediti, quibus de jure communi neque procurator neque litterae permittuntur. X. Quivis elector pro seipso.

Si quis interveniat *qui voce activa careat*, non facit numerum; sed electio valet, nisi nullitas exprimatur, uti decernitur cum scienter admittitur laicus vel excommunicatus vitandus. Si *capitulares* fiant *inhabiles* vel *juri suo cedant*, consolidatur in aliis jus eligendi, etiamsi *unus* tantum supersit qui eligere velit, nec aliud jure speciali sit cautum.

Superioribus tandem electio competit *jure devolutionis*, quae in genere est translatio juris conferendi officium *ipso jure* et cum *conditionibus primae collationis* facta in *immediatum Superiorem* ecclesiasticum ob negligentiam vel culpam collatoris, vel electorum, vel patroni, vel nominatoris.

Electio, quando ex negligentia non completur *intra tempus* a jure definitum, devolvitur ad Superiorem immediatum; casu vero quo *scienter* eligatur *indignus* vel non servetur *forma Concilii Lateranensis* relata in c. 42 h. t., devolvitur ad Romanum Pontificem.

Hinc ex disciplina vigenti Praelaturae *electivae et consistoriales* immediate ad Rom. Pontificem devolvuntur, uti et electiones irritae ob vitium formae substantialis, vel in persona electa, et ob negligentiam vel vitia immediati Superioris; in ceteris officiis electivis non exemptis jus eligendi generatim devolvitur ad Episcopos.

2.° *Eligendi.*—In definitione electionis dicitur quoad eligendos: *Personae idoneae.* Haec idoneitas exurgit ex

qualitatibus in promovendis requisitis, de quibus infra.

III. **Forma et qualitates electionis.**—Forma electionis consistit in legitima ejus expeditione secundum solemnitates a jure praescriptas. Alia est *accidentalis* sese referens ad ea quae praecedere vel praeparare debent actum electionis; et alia *substantialis* sese referens ad triplicem modum eligendi: per *scrutinium* nempe, *compromissum* et *inspirationem* divinam.

1.° *Forma accidentalis*, seu ea quae praecedere debent actum electionis sunt: **a)** *Vacatio* praelaturae, adeo ut vacationi *praevii tractatus* nulli sint, electioque vi horum facta irritari debet. **b)** Si vacet morte praelati, praecedere debet ejusdem honorificum sepelium; hinc non decet tractatus et electionem celebrare ante sepulturam vel tertium depositionis diem, nisi necessitas urgeat. **c)** Loci et temporis electionis designatio. **d)** Vocatio omnium, qui ad electionem jus habent; secus electio irritari poterit ad petitionem spreti. **e)** Indictio precum pro impetrando bono Pastore, Missa de Spiritu S., electorum S. Communio, Hymnus *Veni Creator* ab omnibus in loco electionis clara voce recitandus, protestatio de non excludenda persona habili, vel admittenda inhabili, absolutio a censuris in ordine ad effectum canonicae electionis, examen electorum, juramentum de digniore eligendo; sed harum formalitatum omissio non irritat electionem. **f)** De convenientia etiam tractatus praevii ad deliberandum de persona eligenda si extranea et ignota sit, et olim ad faciendas, si voluissent, capitulationes Ecclesiae utiles ab eligendo servandas; nam quae sunt in praejudicium Ecclesiae vel electi, etiam jurata, sunt ipso jure irrita; hodie etiam utiles sunt interdictae et irritae (c. 27 *de jurej.*; Const. S. Pii V *Durum*, Gregor. XIII *Inter Apostolicos;* Innoc. XII *Ecclesiae*, et Ben. XIV *Pastoralis*).

2.° *Forma substantialis*, seu qua fieri debet ipsa electio ut sit valida, triplex est: **a)** per *inspirationem* et *quasi-inspirationem*; **b)** per *scrutinium* et **c)** per *compromissum*. Ad *sortes* nonnisi quando constat de idoneitate eligendorum, et si, post duo vel tria scrutinia, vota hinc et inde aequalia sint, recurrere licet, saltem si agatur de officiis non qualificatis (arg. S. C. C. 2 Maj. 1857). Jure singulari valet etiam *accessus*.

a) *Electio per inspirationem* locum habet quando alicui miraculo divinitus persona eligenda assignatur; *per quasi-inspirationem*, quando nullo pacto, vel turpi conspiratione aut violentia praecedente, omnes electores

unanimiter aliquem Praelatum proclamant (C. 42 h. t).

b) *Electio per scrutinium* est illa quae, praesentibus omnibus qui debent, volunt et possunt interesse, celebratur per collectionem suffragiorum circa eam personam, in quam consentit major et sanior Capituli pars. Ut sit valida et legitima quinque actus requiruntur: *Deputatio scrutatorum* de collegio; *votorum inquisitio* secreta, ordinata, scribenda et a tertii arbitrio libera; votorum *publicatio* legitima; *collatio votorum*, seu numeri comparatio, et *promulgatio decreti electionis* coram Capitulo, et convenienter coram plebe vel conventu.

Absentes a loco electionis suffragium dare possunt per procuratorem, dummodo: I. elector justo detineatur impedimento; II. procurator ex electoribus nominetur; alias enim rejici potest; et III. ferat iste suffragium cui ipsi a committente determinatum sit, et si non fuerit determinatum, cui ipse proprium det. Non licet vero suffragium ferre per epistolam, quamvis nullus ex electoribus munus procuratoris assumere velit (C. 42 h. t.).

Modus, quo perficitur electio per scrutinium hic est: Electores, in loco designato intra ambitum viduatae ecclesiae capitulariter collecti, tres scrutatores fidedignos eligunt de gremio Capituli, qui jurent de actu fideliter agendo et secreto servando. Deinde scrutatores a se et a capitularibus, prius de eligendo digniori jurantibus, suffragia per schedas colligunt, accedendo etiam ad infirmos, si qui sint in loco electionis; suffragia vero debent esse *certa* et *absoluta* (idest, non alternativa seu conditionata, nisi conditio ipsi actui insit natura sua vel de jure), et *determinata*. Incontinenti fit suffragiorum publicatio, et vident scrutatores quisnam majorem numerum retulerit suffragiorum, confectoque electionis decreto, publicatur uti facta. Antiquitus fiebat triplex collatio: numeri ad numerum, meriti ad meritum et zeli ad zelum, idest, rectitudinis intentionis in electoribus. Sed major pars semper praesumitur sanior, nisi contrarium probetur (C. 42. h. t.).

c) *Electio per compromissum* est delegatio a *toto* Capitulo facta in unam vel plures personas idoneas, ut ipsius vice ac *nomine* perficiant electionem juxta limites mandati.

Ad hoc requiritur: I. Ut compromissarii sint *clerici* de gremio vel extranei, modo sint *idonei*. II. Ut *unanimi* consensu Capituli eligantur, vel a majori parte si omnes

in compromissum consenserint; quia quod omnes tangit ab omnibus probari debet. III. Ut servent limites compromissi; hoc enim fieri potest vel *absolute* de quocumque idoneo eligendo, quo casu et postulare poterunt, vel *limitate* et *restrictive* ad determinatas personas, vel cum aliquibus conditionibus. IV. Ut in modo servent substantialia scrutinii, uti sunt suffragiorum collectio, publicatio, collatio, et communis electio (c. 8 et 52 h. t.). V. Compromissarii nequeunt sibimet dare suffragium (c. 35 et 42 h. t.); sed possunt electioni consentire de se factae ab aliis et suo consensu complere electionem (c. 33 h. t.), quod non est incontroversum, licet fere ab omnibus tradatur (Sebastianelli, I, 230). VI. Si ita compromissarii vel major eorum pars elegerunt idoneum et decretum publicarunt, capitulares illum admittere debent ut electum a se (c. 8 h. t. et 21 h. t. in 6.°).

Cessat compromissum: I. Revocatione, re adhuc integra. II. Lapsu temporis praefixi. III. Electione vel postulatione facta, licet quacumque ex causa non sortiatur effectum. Si indignum elegerint, quin Capitulum consenserit, ad hoc devolvitur electio. Si negligentes fuerint, ad Superiorem devolvitur.

3.° *Qualitates electionis.*—Hae sunt: **a)** *Libera* debet esse a quacumque coactione cujuscumque potestatis; facta per vim metumve per se est irritanda. **b)** Fieri debet *forma collegiali* seu capitulari; **c)** Intra *ambitum ecclesiae viduatae*, nisi adsit rationabilis causa mutationis. **d)** Intra *tempus habile*, quod est trimestre ad Episcopatum et Praelaturas regulares, et semestre ad alias Praelaturas inferiores. Tempus tamen ignoranti vel alias juste impedito non currit, et computatur ab habita notitia vacationis, et, frustrata electione absque Capituli culpa, aliud tempus ei conceditur (c, 4, 28, et 41 h. t.; c. 2. de *concess. Prael.*). **e)** *Immunis* a labe simoniae, secus nulla esset electio, nisi in fraudem electi commissa fuerit, vel nisi electus contradixisset eamque ignoraverit (C. 33 de simonia).

IV. **Intimatio et confirmatio electionis.**—1.° *Intimatio* facienda est electo intra octo dies a solemni promulgatione decreti electionis, secluso legitimo impedimento; aliàs a prosecutione electionis prohibentur electores pro ea vice, et per triennium suspenduntur ipso jure ab

omnibus beneficiis in eadem ecclesia (c. 16 h. t. in 6.°); sed de hac suspensione silet Constitutio *Apostolicae Sedis*, ac propterea non viget.

Electus, si sit sui juris, infra mensem debet declarare utrum assentiat electioni necne; alioquin ab omni jure excidit, quod sibi ex ipsa obvenerat electione (c. 6. h. t. in 6.°). Si vero electus exposcere veniam a superiore suo teneatur, hanc quam cito exquirere debet (ibid.), et nonnisi a venia obtenta mensis ad deliberandum decurrere incipit. Praestito consensu, tenetur electus per se vel per procuratorem intra trimestre *confirmationem* a suo superiore petere sub poena latae sententiae peremptionis electionis; et si confirmatio spectet ad S. Sedem, intra mensem vel per se, vel per specialem procuratorem iter aggredi debet ad Romanam Sedem secum ferens acta electionis ut confirmationem obtineat (c. 16 h. t. in 6.° et Clem. 2 § ult. h. t.). Ab hac lege excipitur natura sua electio Romani Pontificis, et etiam aliorum si *antecedens* confirmatio data sit per legem scriptam vel consuetudinariam favore electionis rite factae; quo favore gaudent Vicarius Capitularis ubi solet eligi, plures abbates exempti et Superiores Generales, qui statim ab electione administrare incipiunt.

Per electionem intimatam et legitime acceptatam, acquirit electus: **a)** Jus *ad petendam confirmationem* a superiore, qui, si renuat, poterit per alium superiorem adstringi ad electionem confirmandam, dummodo nihil canonicum obstet; **b)** Jus *ad ipsam praelaturam*, seu ad rem, non in re; nam electus in jure vocatur *promovendus* (c. 16 *de Accus.*); inter ipsum et ecclesiam ratum matrimonium non censetur initum, et si moriatur ante confirmationem, censetur adhuc durare prima Praelaturae vacatio (c. 6. h. t. in 6.°).

2.° *Confirmatio.* — Videamus: **a)** ad quem spectet; **b)** quid eam praecedere debeat; **c)** quandonam facienda, et **d)** ejusdem effectus. Jam supra diximus de *necessitate* et *tempore* eam petendi.

a) Jure Decretalium confirmatio spectat ad *superiorem immediatum*, qui et appellationem recipere potest; sic Abbas non exemptus ab Episcopo; Episcopus a Metropolitano; hic a Primatu; Primatus a Patriarcha, et hic

a R. Pontifice. Postquam vero provisio episcopatuum R. Pontifici reservata est, confirmationis locum tenere videtur solemnis promulgatio electi vel praesentati in Consistorio Papae (*preconización*).

b) *Praecedere* debet confirmationem ex parte confirmantis citatio nominalis oppugnantis electionem. Si nullus adsit contradictor, nihilominus per edictum generale ad valvas ecclesiae electi citari debent si qui sint, qui impugnari posse electionem existiment, ut infra determinatum et peremptorium tempus compareant. Haec citatio necessaria est sub poena nullitatis confirmationis (c. ult. h. t. in 6.°). Sub eadem poena praecedere debet examen circa electionis formam et personam electi.

c) Quoad *tempus* confirmationis *concedendae*, nullum determinatum est in jure, sed si nimis protahatur, electus appellare potest ad superiorem confirmantis.

d) Effectus concessae confirmationis sunt: I. Dat electo *jus in re*, et jus petendi aut capiendi *institutionem corporalem*. II. *Vinculum confirmat* ecclesiam inter et electum, quod a solo Papa dispensari valet; unde ab hoc tempore ecclesia non censetur vacans. III. Jus administrandi ei confert; sed Episcopi hodie hoc jus non acquirunt priusquam litteras suae confirmationis Capitulo exhibuerint, et adhuc in hoc casu excipiuntur actus qui *consecrationem* aut *pallii* usum requirunt. IV. Fruitur reliquis *honoribus* et *privilegiis* et *titulis* dignitatis suae, quae non competant ratione consecrationis, v. g., potest se vocare Episcopum, non incurrit poenam suspensionis vel interdicti occasionaliter latam, potest sibi eligere confessarium, celebrare in altari portatili, etc. V. Nequit impugnari ab electoribus, nisi ex nova causa aut noviter cognita.

C) DE POSTULATIONE

I. Postulationis natura. II. Regulae. III. Effectus.

I. **Natura.**—Postulatio *solemnis* nihil aliud est quam petitio ab eo qui jus eligendi habet facta, ad Superiorem directa, ut hic ad Praelaturam aliquam sive dignitatem ecclesiasticam dispensative *admittere* velit aliquem, qui

ob defectum vel canonicum impedimentum eligi non poterat.

Ex qua definitione sequitur: 1.° Eos tantum postulare posse, quibus competit jus eligendi, quia postulatio est subsidiarium medium electionis. 2.° Eos tantum postulari posse, qui eligi nequeunt ob aliquod impedimentum canonicum, dispensabile tamen, idest, quod possit et soleat dispensari ad Praelaturas obtinendas, quique de cetero habiles sunt ad munus Praelaturae debite exercendum. 3.° Postulationem fieri debere ad Superiorem, cui competit jus confirmandi Praelatum, dummodo super impedimento quo detinetur postulatus dispensare valeat.

In specie 1.° *sunt postulabiles,* etsi canonice impediti, qui laborant defectu *natalium* ex simplici fornicatione; qui laborant defectu *aetatis*, vel *ordinis,* vel *matrimonii cum ecclesia,* haud exclusis episcopis titularibus, aut *professionis solemnis* ad praelaturam regularem veram. Hi omnes indigent Brevi eligibilitatis vel privilegium quo tollatur discrimen inter electionem et postulationem, ut contingit in aliquibus Concordatis. 2.° *Non sunt postulabiles* qui laborant impedimento juris *naturalis et divini* aut quod non admittit validam vel licitam petitionem, velut infantes, amentes, mulieres, plane rudes, criminosi, infames; aut impedimento quod *non soleat dispensari,* ut bigami, spurii, insigniter deformes, Episcopi ob crimina in monasterium ingressi; aut qui *speciali lege vetantur,* velut violatores interdicti, minores 27 annis ad episcopatum, mendicantes ad praelaturas episcopali inferiores vel extra Ordines suos, adeo ut postulati negotium per se vel per alios in Urbe prosequentes, si se annum 27 non attigisse sciant, inhabiles usque ad 35; ceteri vero saeculares et religiosi sint perpetuo ineligibiles, impostulabiles et inhabiles ad quasvis dignitates et beneficia; qui vero scienter postulant impostulabilem, aut repetunt postulationem temere factam et a Superiore ob vitium personae reprobatam, aut postulant minorem 27 annis, aut mendicantes ad praelaturas episcopatu inferiores vel extra suos ordines, privantur *pro ea vice* jure eligendi et postulandi, quin post Const. *Apostolicae Sedis* suspensionem triennii a beneficiis incurrant.

Postulatio vero *simplex* est, qua non petitur dispensatio, sed solum licentia et consensus Superioris ad postulati promotionem, qui eidem immediate subest.

Simplex postulatio requiritur et sufficit si *Cardinales,* qui non sunt episcopi residentiales vel suburbicarii, ad

sedem non suburbicariam sint promovendi; cum confirmatio non erat reservata S. S. opus fuit licentia Rom. Pont. vel legati a latere ad deserendum monasterium et transeundum ad cathedralem omnibus praelatis Sedis A. immediate subjectis; et multo magis sufficit licentia Superioris pro Praelatis non exemptis, religiosis, clericisve alienae dioecesis, si eligantur episcopi.

II. **Regulae postulationis.**—Quae de formalitatibus, loco et tempore electionis diximus, hic quoque vigent. Ad validam postulationem in sententia probabiliori requiruntur eaedem formae substantiales electionis, in quantum natura postulationis, ut scrutinium, etc., patitur. Hinc requiritur pars major votorum, si electores vel compromissarii postulent. Si concurrat cum electione, quod evenit quando pars aliqua unum *eligit* per se habilem, altera vero pars alium *postulat*, electus vincit postulatum si vel uno suffragio tertiam votorum partem superest, dum postulatus ad vincendum electum indiget duabus tertiis partibus. Ita DD. communiter ex c. 40 de *Elect.*

Si concurrat cum postulatione, idest, si diversi diversum postulent, sufficit major pars suffragiorum ad validitatem postulationis. Debet intimari postulato intra idem tempus ac electio; sed postulatione nondum praesentata Superiori, electores habent jus variandi. Hae vero regulae sunt, ut cuique patet, pro solemni postulatione; quia simplex est mera petitio consensus superioris.

III. **Effectus postulationis.**—1.° Postulatio *solemnis*, post processum informativum a Superiore admissa, vim habet confirmatae electionis, ita ut postulatus plenum jus consequatur perinde ac si electus et confirmatus fuisset (c. 2. h. t.). Ante admissionem, si jam praesentata fuit Superiori, id operatur ut postulatores ab illa resilire non possint (c. 2. h. t.); sed nullum jus confert postulato, qui, si administrationem accipiat ecclesiae, omni postulationis commodo privatur, et qui ad eam illum admiserint, pro illa vice jure eligendi privantur, quod tunc ad Papam devolvitur.

2.° Quoad *simplicem* postulationem, si ante electionem fiat, licentia data efficit ut eligi possit; et si fiat post electionem, ut confirmari possit; licentia vero generalis religioso data ei non prodest.

PUNCT. III.—DE QUALITATIBUS IN PROMOVENDIS REQUISITIS.

In genere promovendus ad officium ecclesiasticum debet esse dignus; et talis censetur qui omnes qualitates, tum absolute ad officia in genere, tum relative ad officium de quo agitur, habet jure communi vel speciali requisitas. Generatim clerici qui judicantur digni ad sacros ordines, digni etiam ad officia reputantur, nisi ratio officii aliquid amplius requirat, aut post ordinationem aliquid supervenerit quod impediat. Communes qualitates sunt: I.ª Aetatis maturitas. II.ª Morum gravitas. III.ª Scientia debita. IV.ª Torus legitimus V.ª Ordo seu status clericalis. De singulis breviter, adjectis nonnullis quaestiunculis ad rem pertinentibus.

I. **Aetatis maturitas.**—Ad *Summum Pontificatum* sufficit quoad validitatem aetas septennio major; ad *Cardinalatum* aetas Episcoporum, si Cardinales diaconi excipiantur, pro quibus sufficit aetas 22 a. attigisse; ad *Episcopatum* aetas 30 annorum completorum; ad *Praelaturas Inferiores*, ad *Vicariatum Generalem*, et ad dignitates, personatus et beneficia *Curata* annus 25 inchoatus, et 40 inchoatus pro *Poenitentiario* (S. C.C. 15 Jan. 1890); ad *Dignitates*, *Personatusve* ecclesiae cathedralis, necnon collegiatae, absque cura vel cum cura secundaria animarum, annus 22 (Conc. Trid. sess. 24, c. 12, de Ref.) et quidem completus (S. C. C. 4 Sept. 1591); ad simplices *Canonicatus cathedralis* ecclesiae, aetas ordini sacro praebendae annexo respondens (S. C. C. 12 Febr. 1644); ad *Canonicatus* vero *collegiatae*, etiam insignis, annus 14 inchoatus, nisi ex lege fundationis major aetas praescribatur aut minor sufficiat; ad *Beneficia* quaelibet simplicia et *Pensiones* ecclesiasticas sufficit etiam attigisse annum 14; et tandem ad officia *Regularia* aetas definitur indirecte ratione professionis, curae animarum vel quasi-episcopalis jurisdictionis annexae, et directe etiam ex Regulis, Romanis Pontificibus et Declarationibus SS. Congregationum, quae requirunt 30 annos completos ad Praelaturas proprie dictas.

II. **Gravitas morum.**—Exigitur tam negativa quam positiva. Ex defectu ipsius excluduntur fere omnes

criminosi, censura manifesta irretiti, *infames, inhabiles* et *irregulares.* De vi diversa horum impedimentorum supra dictum est.

In specie excluduntur infideles; haeretici eorumque fautores, defensores, receptatores, credentes, et eorum filii usque ad secundam generationem in linea masculina, ad primam in feminina; schismatici, perjuri, sacrilegi, usurarii manifesti, sodomitae, falsarii litterarum apostolicarum, publici alearum lusores, excommunicati manifesti, suspensi, personaliter interdicti, violatores interdicti localis; qui suae electioni ante ipsius decretum consentiunt, simoniace electi, quamvis sine culpa promovendi, nisi in electionis fraude commissa fuerit; qui semel post electionem ut indigni repulsi sunt, et qui electionis tempore plura beneficia incompatibilia possident (c. 1 *de Post.*; 27 *de Simon.*; 12 *de Elect.*).

III. **Scientia debita.**—In genere quae necessaria sit ad officium vel ad ordinem adnexum. Speciatim pro *Episcopis* et *Scholasticis* eligendis requiritur ut Doctores sint vel Licentiati in Sacra Theologia aut Jure Canonico, vel saltem ab aliqua Academia studiorum sufficientiam scientificam justificatam habeant (Trid. sess. 22 c. 2, de ref.); vel si Regulares sint, simile testimonium a Generali habeant; decet ut iidem gradus academici exigantur pro Archidiacono, Poenitentiario, Vicario Capitulari, Vicario Generali, Dignitatibus et saltem pro dimidia parte Canonicatuum. Ex Reg. 20 Canc. Apost. de idiomate, provisio beneficii *curati* est nulla nisi persona intelligat et loqui sciat idioma loci; quod Missionariis etiam inculcatur a S. C. de Prop. Fide.

IV. **Torus legitimus.**—Legitimatio *per subsequens matrimonium* et *per professionem religiosam* non sufficit ad Praelaturas obtinendas, et minus ad Cardinalatum vel Episcopatum.

V. **Ordo.**—Ad *beneficia simplicia* sufficit tonsura: ad *canonicatus* Ecclesiae *Cathedralis* requiritur subdiaconatus saltem; ad *canonicatus* Ecclesiae *Collegiatae* idem, si vocem in Capitulo habere velint; ad *Dignitates* veras vel *Officia curata*, presbyteratus infra annum saltem a jam tonsurato suscipiendus; ad *Episcopatum* ut saltem a sex mensibus promovendus sit in presbyteratu constitutus, vel, ut alii volunt, in subdiaconatu, et, si presbyteri sint, ut consecrationem infra trimestre a prae-

conizatione recipere velint. Ad Papatum per se nullus ordo neque tonsura praecedens requiritur. Notetur quod promoti ad beneficium ordinem aliquem habens annexum, sufficit ut eum recipere possint intra annum a promotione (c. 6. *de Transact.*; 9 *de Aetate*; 8 *de Praeb.*; Conc. Trid. sess. 22 c. 2, de ref.; id. s. 24, c. 12, de ref.).

VI. **Nonnullae quaestiones.**—Qui supradictas qualitates habent, *digni* vocantur; sed quaeritur in primis an promotio indigni sit irrita. Dicendum aliquando esse *irritam*, aliquando *irritandam*, quod ex verbis, quibus lex utitur, judicandum est. *Irrita* est promotio si promotus «electionis tempore pateretur vel in *ordinibus*, vel in *scientia*, vel in *aetate* defectum» (c. 12, *de Elect.*). Item promotio *excommunicati manifesti* quamvis tolerati; quoad suspensum, dubitatur an sit irrita vel irritanda; item dubitatur quoad irregularem. Quando irrita est promotio, fructus mala fide percepti restituendi sunt; imo et percepti bona fide, nisi cum eadem consumpti sint, ait retineri possint ob laborem.

Provisio digni, praetermisso scienter digniore, est peccatum grave ex genere suo, sed non est nulla, neque rescindenda nisi in casibus a jure expressis, v. g. in concursu parochiali, et pro Italia in concursu ad praebendam theologalem vel poenitentialem, et pro Hispania in praebendis, quae per oppositionem providentur.

Ad incardinationem quod attinet, hodie reprobata est praxis excludendi ab officiis clericos extraneos a dioecesi eo tantum quod extranei sint (S. C. EE. et RR. 17 Dec. 1847; S. C. C. 22 Dec. 1894). Pariter, quae de aliis qualitatibus praeficiendorum disputabantur, v. g., de parentela cum fundatore, de *naturalitate* vel civitate, de *nobilitate*, etc., vel ad juris historiam vel ad jus particulare dumtaxat pertinere noscuntur. Quae vero auctoritas laica invexit, nonnisi ex tolerantia Ecclesiae uti facta servantur.

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE ET RESTRICTIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE

I. Quando restringatur jurisdictio ecclesiastica. II. Modi quibus cessat jurisdictio delegata. III. Modi quibus cessat jurisdictio ordinaria.

I. **Quandonam restringatur jurisdictio ecclesiastica.** —Restringitur quando ei subducuntur nonnulli subditi aut subducitur certa materia, quae alioquin ei subjecisset. Subducuntur subditi per *exemptiones*; subducitur materia per *reservationes*.

Ligari etiam aut suspendi potest jurisdictio per censuras et irregularitates. Sed de his omnibus in suis locis aut dictum est, aut dicetur.

II. **Modi quibus cessat jurisdictio delegata.**—Hi sunt: 1.° Renuntiatione delegati acceptata a Superiore. 2.° Revocatione notificata delegato. 3.° Morte delegati, si agatur de delegatione personali. Quoad alios modos satis dictum est, ubi egimus de amissione privilegiorum.

III. **Modi quibus cessat jurisdictio ordinaria.**—Sunt iidem, quibus vacant beneficia, queis jurisdictio annexa est; unde de illis agemus, cum sermo sit de beneficiorum vacatione in secundo Libro.

ARTICULUS IV.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS HABENTIUM JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM

§ I.—DE JURIBUS

I. Jura Superiorum ecclesiasticorum. II. Regulae praecedentiae.

I. **Jura.**—Generatim sunt jus ad obedientiam et reverentiam inferiorum. Quando vero ex duobus superioribus alius praecipit aliquid, et alius contrarium, in rebus quae vere ad utriusque jurisdictionem pertinent, majori superiori primae deferendae sunt. Attamen clericus magis tenetur obedire suo Episcopo quam Metropolitano, quia iste non est Superior nisi in casu appel-

lationis vel legitimae provinciae visitationis. Quoad reverentiam serventur sequentes:

(II. **Regulae praecedentiae.**—Quinque vulgo numerantur praeeminentiae causae: 1.° Praerogativa ordinis. 2.° Praerogativa consecrationis 3.° Dignitas, aut jurisdictio, sive potestas; quae quidem praefertur ordini. 4.° Antiquitas, ceteris paribus. 5.° Praerogativa ordinantis; unde ordinatus a Papa potior habendus est aliis ejusdem ordinis et dignitatis.) His addi potest privilegium quorumdam insignium; unde Abbas mitratus non mitrato praefertur.

Notetur tamen quod ii, qui in ritibus sacris et precibus publicis vestiti sunt sacris paramentis, praecedunt eos etiam superiores, qui vestes communes gestant, et quod («Episcopus dioecesanus in sua ecclesia et dioecesi in consecrationibus et actibus pontificalibus exercendis, praeferendus est aliis Archiepiscopis et Episcopis etiam anterioribus, excepto Metropolitano ejusdem, licet alias debeat advenas honorare» (S. Rit. C. 10. Jan. 1609).)

§ II.—DE OBLIGATIONIBUS

Obligationes jurisdictionem habentium aliae sunt *positivae*, quae in certis actibus praestandis consistunt, de quibus alibi dicemus, et aliae *negativae*, quae in excessibus ab ipsis vitandis consistunt. De his excessibus videbimus: I. quinam sint; et II. remedia canonica subditis concessa adversus eos.

(I. **Excessus Praelatorum** seu abusus jurisdictionis vitandi, sunt: 1°. Sibi vindicare jurisdictionem in subditos alterius. 2.° Extendere jurisdictionem in materiam alienam. 3.° Si superior, qui non est immediatus, sine causa a canonibus probata, ad suum trahat tribunal causam, quae in prima instantia erat a judice inferiore dijudicanda. 4.° Si principales superiores sine causa sufficienti injuste auferrent vel restringerent jura inferiorum. 5.° Novum gravamen sine causa sufficienti subditis imponere, ut si novus census indebite exigatur; si subditi inhoneste tractarentur; si leges canonicae in judiciis, in censuris et poenis inferendis non observarentur, etc. 6.° Omnes illi actus, per quos indebite re-

stringuntur exemptorum privilegia (Vid. tit. XXXI lib. V Decr. *De excess. Prael.*).

II. **Remedia canonica contra excessus Praelatorum.** —Subditis haec juris remedia suppetunt contra excessus Praelatorum: 1.° *Supplicatio*, seu humilis repraesentatio exhibita ipsi Superiori, ut re cognita aliud decernat. 2.° *Querimonia*, seu *appellatio extrajudicialis*, quo nomine intelligi potest actus quilibet, per quem subditus laesus, extrajudicialiter a judice inferiore recurrit ad superiorem. 3.° *Appellatio simplex* seu proprie dicta, idest judicialis. 4.° *Recusatio judicis*, cujus reus declinat jurisdictionem propter causas a canonibus admissas. Sed de iis fusius in tractatu *de Judiciis*.

TITULUS IV.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN SPECIE.

Duabus sectionibus loquemur: I. De jurisdictionis potestate in singulis clericis. II. De jurisdictionis potestate in collegiis clericorum.

SECTIO PRIMA.

DE JURISDICTIONIS POTESTATE IN SINGULIS CLERICIS.

Totidem articulis agemus: I. De jurisdictione Romani Pontificis. II. De jurisdictione Episcopali. III. De jurisdictione supra-episcopali. IV. De jurisdictione quasi-episcopali. V. De jurisdictione infra-episcopali.

ARTICULUS I.

DE JURISDICTIONE ROMANI PONTIFICIS.

I. Doctrina catholica circa Primatum pontificium. II. Historia electionis Rom. Pontificum. III. Specialia pro ipsius electione. IV. Jura Rom. Pontificis.

I. **Doctrina catholica circa Primatum Rom. Pontificis.**—Ex S. Theologia novimus Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, et ideo esse jure divino Vicarium Christi, caput totius Ecclesiae et ipsum primatum habere non tantum honoris, sed et omnimodae jurisdictionis. Suprema, qua pollet, jurisdictio in universam Ecclesiam est ordinaria et immediata sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles (Conc. Vatic. Const. *Pastor Æternus*). Haec suprema potestas jure divino Papae acquiritur

eo ipso quod legitime electus sit, etiam ante consecrationem et coronationem.

II. **Historia electionis Rom. Pontificum.**—Antiquitus Romanus Pontifex designabatur a clero Romano, accedente populi consensu ferentis testimonium bonae vitae personae eligendae. A sexto circiter saeculo usque ad decimum invaluit ut, peracta electione, exposceretur etiam assensus Imperatoris. Processu temporis, ex Nicolai II praesertim Constitutione, potiores partes electionis reservatae fuerunt S. R. E. Cardinalibus, licet etiam clerus et populus admitterentur. Tandem inducta est disciplina praesens, quae in decreto Greg. IX sub. c. 6. t. *de Elect.* refertur, et qua electio exclusive reservatur S. R. E. Cardinalibus. Plures exinde datae fuerunt Constitutiones pontificiae ad formam et electionis circumstantias magis determinandas, inter quas eminent *In eligendis* a. 1562, *Æterni Patris* a. 1621, *Romanum Decet* a. 1692 et *Cum Romanus Pontifex* a. 1869 respective latae a Pio IV, Gregorio XV, Innocentio XII et Pio IX. In postrema statuitur ut si quibuscumque futuris temporibus Romanus Pontifex pendente alicujus Concilii generalis celebratione demoriatur, electio novi Pontificis a Collegio S. R. E. Cardinalium exclusive perficiatur.

Pius IX post occupationem Urbis a Gubernio italico perpetratam quatuor edictis, scilicet: Const. *In hac sublimi* 23 Aug. 1873, Const. *Licet per Apost. Litteras* 8 Sept. 1874, Const. *Consulturi* 10 Oct. 1877 atque *Regolamento da osservarsi dal S. Collegio in occasione della vacanza della Apostolica Sede* 10 Jan. 1878, electioni sui successoris sapienter providit. Insuper jussit suas ordinationes vim retinere *in futuris* electionibus, si ipsius successor, post breve forte tempus ex hac vita decedens, *novas* non tulerit leges.

III. **Specialia pro electione Rom. Pontificis.**—Ad haec capita reducuntur: 1.° Quod etiam Cardinales excommunicati, suspensi aut interdicti admittantur ad electionem faciendam (Clem. 2 *de Elect.*); sed qui ordine saltem diaconatus initiati non sint, nequeunt *valide* ferre suffragium, nisi jam ante consecuti sint *indultum* apostolicum.

2.° Lapsis decem diebus a morte Pontificis, Cardinales praesentes in Curia Conclave ingredi tenentur, atque illico in negotio electionis procedere, absentibus ex quacumque causa non expectatis; qui absentes, cum venerint, si nondum electio facta est, admittuntur, secus eam revereri ac ratam habere debent. Circumstantiis tamen

ita exigentibus, etiam ante praedictum tempus electio fieri potest, dummodo unus saltem supra medietatem Cardinalium tunc temporis existentium ad eam concurrant.

3.° Locus Conclavis determinari debet in Congregatione Generali praevia ab ipsis Cardinalibus praesentibus in Curia; sed communiter in Urbe est habendum. Electio vero in Conclavi *clauso* sub poena nullitatis fieri debet.

4.° Tempus, intra quod electio compleri debeat, definitum non est; jus enim Papam elegendi proprium est et exclusivum S. R. E. Cardinalium, quamvis unus solus Cardinalis in vivis esset, quin umquam ad alios, saltem ordinario, devolvi possit. Ne autem electio nimis protraheretur, Gregorius X (C. 34 *de Elect.* in 6.°) decrevit ut, si post triduum ab ingressu Conclavis electio facta non sit, Cardinalibus unius ferculi prandium et coena relinquantur ad alios quinque dies, quibus transactis infecta electione, panis, vinum et aqua usque ad perfectam electionem iisdem tantummodo administrentur; sed haec dispositio jam diu moderata a Pio IV in Const. *In eligendis*, hodie nullatenus observatur.

5.° Ad electionem requiruntur duae tertiae suffragiorum partes (c. 6 h. t. in 6.°).

6.° Datur accessus, idest, publicatis suffragiis, possunt Cardinales, scripto suffragio in nova scheda, accedere in electionem illius, qui aliquod suffragium saltem obtinuit; sed nequeunt novum suffragium dare illi, cui jam dederant in scrutinio (Greg. XV. Const. *Æterni Patris*). Unde si non mutant suffragium, hac formula accedunt: *Accedo nemini.*

7.° Licet conveniens sit ut in Papam eligatur aliquis Cardinalis, tamen potest absolute eligi quilibet, dummodo sit mas, rationis compos, baptizatus et fidelis (c. 6 h. t.).

8.° *Vetum*, quo Gubernia gallica, hispana et austriaca sibi reservant jus excludendi a jure passivo electionis unum quem velint ex Cardinalibus, nullo jure nititur; neque in praxi, quamvis positum antequam fieret suffragiorum publicatio, umquam toleratum fuit absque Sacri Collegii renixu et protestatione, uti evenit in recenti Conclavi anni elapsi 1903 pro eligendo successore Leonis XIII.

9.° Nulla et irrita est ipso facto electio si intercessit simonia, quae saltem conventionalis sit, et ex parte rei spiritualis consummata, vere notoria, non tantum occulta, ab electo conscio vel non repugnante, aut ab alio Cardinali intra Conclave commissa, dummodo electio ita procedat ex vi voti empti et venditi, ut absque illo non habeatur legitimus numerus suffragiorum, et contra eam excipi potest a quocumque Cardinali qui eidem electioni interfuit (Jul. II. Const. *Cum tam divino*).

IV. **Jura Romani Pontificis.**—Hoc generali principio continentur: Excepto *jure divino*, quod tamen authentice interpretatur, et in quo aliquando dispensare probabilius potest, omnia in Ecclesia subsunt Romano Pontifici omniaque potest, et indirecte etiam ei subduntur res temporales. In specie considerare possumus R. Pontificem: 1.° ut Summum Sacerdotem; 2.° ut Doctorem oecumenicum; 3.° ut supremum Legislatorem; 4.° ut supremum Gubernatorem; 5.° ut Judicem supremum; 6.° ut supremum Administratorem, et 7.° ut supremae Dignitatis insignibus ornatum.

1.° *Ut Summus Sacerdos* valide et licite conficit et administrat omnia sacramenta et sacramentalia; sibique reservat in utroque foro absolutionem quorumdam criminum graviorum, sive ratione peccati, sive ratione censurae, et illi soli competit indulgentias plenarias et jubilaeos concedere, festa, jejunia, abstinentias et rogationes pro tota Ecclesia instituere, Servorum Dei beatificatio et canonizatio, et sacrae liturgiae ordinatio.

2.° *Ut Doctor oecumenicus* definit infallibiliter veritates, quae ad fidem moresque spectant, et errores in universa proscribit Ecclesia.

3.° *Ut Legislator supremus* leges ferre potest pro tota Ecclesia, et pro unaquaque in particulari, canonibus abrogare vel derogare, in iisque dispensare, sicuti et ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici, imo et a pluribus juris divini positivi, ut a matrimonio rato et non consummato, a votis et juramentis.

4.° *Ut Gubernator supremus* exequutionem legum curat, statuens decreta et normas ad officia ecclesiastica, maxime excellentiora, instituenda et obeunda, ad ipsa nominando et omnes ecclesiasticas institutiones approbando, ordines praesertim religiosos. Item Legatos

mittit ad provincias ecclesiasticas, exigit ab Episcopis visitationem *ad Limina Apostolorum*, Conciliorum nationalium vel Provincialium acta recognoscit, supplet inferiorum defectus, abususque corrigit.

5.° *Ut Judex Supremus*, ipsi reservantur causae majores, avocat ad se quascumque vult, etiam in prima instantia, et in ultima de omnibus cognoscit.

6.° *Ut Administrator supremus* bonorum Ecclesiae solus ipse alienare potest immobilia magni valoris et mobilia pretiosa, aliisque ad id licentiam impertiri, et census, tributa, etc., super ipsis imponere.

7.° *Ut ornatus insignibus suae Supremae Dignitatis* in terra, praeter ornamenta episcopalia, *orario* seu stola semper utitur, cingit tiara seu triregno, tribus nempe circumdato coronis, quibus triplex ipsius magisterii, sacerdotii et imperii potestas suprema designatur, et quo primo Clemens V usus est (Armellini, Lezioni di Archeologia Cristiana, p. 420.); baculo recto utitur; solus ille in missarum solemniis pallio semper et ubique splendet, candida veste ornatur, quocumque se conferat crux sex brachiis constans ante ipsum praefertur, qua facultate destituuntur ipsi Patriarchae in Urbe et iis in locis, ubi praesens est Summus Pontifex aut ejus Legatus insignibus apostolicis utens. Insuper SS.^{um} Sacramentum, cum longum iter arripit, secum portare solet.

Dignitas pontificia maxime relucet, cum Rom. Pontifex in Consistorio apparet. Jam Consistorium in genere est consessus Cardinalium a Pontifice Romano habitus. Triplex distinguitur: *publicum*, *secretum* et *semi-publicum*. In *secreto* solum Cardinales admittuntur et sub ratione *promulgationis* et *confirmationis* agitur de creatione Cardinalium, de Dioecesum erectione, unione, dismembratione et controversiis inde exortis, ac de electionibus et promotionibus ad beneficia majora; quae omnia praeparantur et proponuntur a Congregatione Consistoriali, de qua postea. Item in hoc Consistorio, cum omnia jam a S. Rit. C. parata sunt ad canonizationem alicujus *Beati*, exquiritur consilium ab omnibus Cardinalibus, utrum Canonizatio dato tempore sit peragenda. Consistorium *publicum* jam pridem fuit ad quaenam caerimonialia explenda convocatum, scilicet, pro traditione Pilei seu Galeri Cardinalitii, quod etiam nunc viget, et

pro admittendis Principibus, Legatis S. Sedis, Oratoribus Principum, quod amplius in usu non est. Viget vero mos orationes habendi in Consistorio publico ab Advocatis Consistorialibus super meritis, virtutibus Servorum Dei et Beatorum, instando apud Summum Pontificem ut eorum Beatificationis aut Canonizationis causae committantur, seu ulterius promoveantur aut respective expediantur. Consistorium vero *semi-publicum* celebratur pro causis canonizationum, atque in eo hujusmodi canonizationes praeparantur; constat enim praesertim hoc Consistorium ex Cardinalibus, et omnibus Episcopis et Archiepiscopis in Curia praesentibus et suffragium dantibus de canonizatione alicujus Beati agenda. Hinc hujusmodi Consistorium imaginem quamdam refert Concilii generalis.

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE EPISCOPALI.

I. Quid sint Episcopi. II. Quomodo nominentur. III. Speciales Pii IX dispositiones. IV. Episcoporum insignia. V. Ipsorum jura. VI. Ipsorum officia.

I. **Quid sint Episcopi.**—Vocantur Episcopi illi clerici qui, assumpti auctoritate Romani Pontificis, dignitatem Principum obtinent et jurisdictionem principalem exercent in territorio, quod dicitur dioecesis, sub auctoritate et directione Romani Pontificis. Hi sunt proprie episcopi residentiales.

Sed sunt alii Episcopi, qui ordine episcopali insigniuntur, et tamen carent jurisdictione saltem propria et ordinaria. Isti olim dicebantur *in partibus infidelium;* nunc vero ex decreto Leonis XIII (14 Febr. 1882) (1) nominandi sunt Episcopi *titulares* vel annulares. Consecrantur titulis ecclesiarum antiquarum hodie non existentium, ut decenter in Curia Pontificis quaedam munia exercere possint ad legationibus pontificiis fungendum,

(1) Singularis opinio est Benedicti XIV hujusmodi Episcopos titulares posse jurisdictionem exercere in suam ecclesiam, si haec ad catholicam religionem revertatur.

vel ut Vicariorum Apostolicorum, Coadjutorum Episcoporum aut Capellanorum Regalium partes agant (1).

II. **Quomodo nominentur episcopi.**—Hac in re oportet distinguere disciplinam, quae in Occidente, et quae in Oriente viget.

1.° *In Ecclesia occidentali.*—Quamvis jure Decretalium Episcopi eligendi forent a Capitulis Ecclesiarum Cathedralium ad normas superius traditas, tamen hodie *jure communi* vigente ex regula secunda Cancellariae Apostolicae, provisiones omnium Sedium Episcopalium reservantur Romano Pontifici; unde provisio *jure communi* fit per *liberam collationem* Rom. Pontificis, quae vim habet electionis simul et confirmationis. Haec libera collatio ordinarie in Consistorio fit duplici modo: **a)** *Per absolute liberam nominationem*, quae ne praeviam quidem supplicationem vel commendationem Capituli Cathedralis vel Episcoporum comprovincialium supponit, quamvis in praxi non solent negligi legitima consilia vel desideria Capitulorum vel Episcoporum. **b)** *Post previam commendationem* complurium candidatorum (ordinarie trium) aut ab insignioribus clericis Ecclesiae viduatae cum voto Episcoporum comprovincialium, aut a *solis* Episcopis comprovincialibus factam. Haec commendatio non est *electio canonica*, et licet regulariter Rom. Pontifex unum ex clericis commendatis assumat, aliquando tamen alium non commendatum libere promovet (Collect. S. C. de Prop. F. n. 40 et seq.).

Prior disciplina viget potissimum in nominandis Episcopis titularibus, Vicariis Apostolicis in terris Missionum, qui dignitate episcopali sunt insigniti, nisi probetur exceptio; in Episcopis coadjutoribus cum jure successionis; et *per se et theoretice* in promovendis Episcopis regni Italiae, nam *de facto* in Italia limitatur jus Pontificis vel impeditur non solum propter *Regium exequatur*, sed etiam ob praetensiones jurispatronatus vel privilegiorum. Disciplina vero *commendationis* viget in Statibus foederatis Americae Septemtrionalis, in Ca-

(1) Adsunt tamen duo et viginti tituli episcopales a Rege Hungariae simplicibus presbyteris collati, qui olim erant sedes episcopales Hungariae et post sub Turcarum tyrannide abolitae sunt. Horum titulorum collatio meras honoris praerogativas confert nec characterem episcopalem, exceptis sedibus Bellogradien. et Semedrien. ac Tinisien., continet.

nada, Anglia, Hybernia, Belgio, Hollandia aliisque in regionibus, praesertim S. C. de Prop. F. subjectis.

〈*Jure particulari* in Ecclesia latina fit etiam: **a)** *Nominatione* vel *praesentatione* catholicorum Principum vel Praesidum civitatum et promulgatione in Consistorio facta, quae vim habet in hoc casu *institutionis canonicae*, late saltem sumptae; jus enim nominandi vel praesentandi est merum jus designandi personam, non concedendi officium, atque nititur hoc *jurepatronatus* (1), illud privilegio Apostolico sive in Concordatis, sive in specialibus Constitutionibus pontificiis concesso.〉 Porro etiam praesentatio illa ex decreto Conc. Trid. (Sess. 24. c. 1, de ref.) necessario fieri debet *de digniore*, intra tempus a jure provisioni dioecesum praefixum, nisi jure speciali longius tempus sit concessum ad obtinendam institutionem pontificiam.〈 **b)** *Electione* vel *postulatione* Capitulorum Cathedralium, quam sequitur publicatio in Consistorio vim habens confirmationis.〉

Disciplina *nominationis* vel *praesentationis* generatim viget in Austria, Bavaria, Gallia, Hispania, et in compluribus civitatibus Americae latinae, at pro diversitate regionum non levibus modificationibus est obnoxia. Ita, v. g., in Austria Imperator ex art. 19 Concordati a. 1885 debet uti consilio Antistitum praesertim comprovincialium. Salva quoque manserunt jura Capituli Olmucensis et Salisburgensis ad liberam electionem Archiepiscoporum, neque sublata sunt singularia privilegia Archiepiscopi *Salisburgensis* libere conferendi officia Episcopi Secoviensis, Lavantini et (saltem in tertia quaque vacatione) Gurcensis, itemque concedendi *institutionem* canonicam Episcopis Gurcensibus, qui in duabus aliis vacationibus ab Imperatore Austriae nominantur. In Gallia ex art. 17 Concordati a. 1801 solis praesidibus *catholicis* jus nominandi Episcopos est concessum.

Disciplina *electionis* vel *postulationis* praescripta est in *Austria* pro archidioecesibus Olmucensi et Salisburgensi, in omnibus dioecesibus *Borussiae* atque principatuum provinciae ecclesiasticae *Rheni superioris*, in *Helvetia* quoad dioeceses S. Galli, Curiensem et Basileensem (2). Quod jus Capi-

(1) Corona hispana habet jus praesentandi jurepatronatus regii innixum. Differentia inter nominationem et praesentationem stricte sumptam in II Libro fusius explicatur.

(2) Vid. pro his omnibus *Nussi*, Conventiones, p. 29 et seq.; *Wernz*. Jus Decret. Tom. II, p. 894 et seqq.

tulorum Cathedralium eligendi Episcopum dioecesanum pro diversis regionibus partim per expressas concessiones in Concordatis factis, partim per consuetudines toleratas non leviter limitatum et a plane *libero* jure eligendi multum alienum est.

2.° *In Ecclesia orientali.*—Quoad Patriarchas postea explicabitur. Episcopi vero Patriarchatus Armeniorum et Babylonensis Chaldaeorum ex Pii IX Const. *Reversurus* 12 Jul. 1867 et *Cum Ecclesiastica* 21 Aug. 1869 ita assumuntur, ut a synodo universorum Episcoporum Patriarchatus tres nominentur, e quibus Rom. Pontifex unum eligit, quem Ecclesiae viduatae praeficit. Apud *Syros* Episcoporum electio fit a synodo Episcoporum nationis ex terna a clero et *magnatibus* dioecesis vacantis sibi praesentata. Qua in propositione, si nullus candidatus idoneus reperiatur, secundo, imo etiam tertio nova terna est exhibenda. Quodsi, ne tertia quidem propositio dignam et idoneam contineat personam, ipsa synodus libere Episcopum eligit. Electus autem ante consecrationem et possessionem sedis, confirmationem pontificiam obtinere debet (Synod. Sciarfensis a. 1888 celeb. p. 223 et seqq.). In reliquis Patriarchatibus vel provinciis ritus orientalis, quamdiu Summus Pontifex aliter non provideat, standum est juri hucusque vigenti atque consuetudinibus a Sede Apostolica saltem toleratis (Collect. Lac. t. II, verb. Episcop., n. 39; Syn. prov. Ruthen. a. 1891, p. 117; Pius VII, Const. *In universalis* 22 Feb. 1807).

〈III. **Speciales Pii IX dispositiones.**—Episcopus in Consistorio publicatus habet plenum jus ad Sedem ad quam promotus est; sed hodie prae oculis habenda est Constitutio Pii IX *Romanus Pontifex* data V Kal. Sept. 1873, qua eis administratio interdicitur donec litteras suae promotionis Capitulo exhibuerint.〉 Jure Decretalium, quamvis in genere prohibebatur electis administratio Praelaturae donec confirmati fuissent, tamen exceptio fiebat quoad Episcopos immediate dependentes a Sede Apostolica et in concordia electos, quibus, si in remotis versarentur regionibus, idest ultra Italiam, precaria administratio concedebatur.〈 In supradicta vero Constitutione haec statuuntur:

〈1.° Capitulum Cathedrale non posse removere Vicarium Capitularem ab officio quousque novus Episcopus litteras Apostolicas suae promotionis exhibuerit.〉

2.° Constitutionem Gregorii X in c. *Avaritiae* h. t. in 6.° applicari etiam nominatis et praesentatis a supremis reipublicae civilis moderatoribus.

3.° Vacante quomodocumque Vicarii Capitularis officio, Capitulum debere novum Vicarium eligere; ita tamen ut electio non cadat in personam electi vel nominati ad dignitatem Episcopi illius Ecclesiae; secus deputatio nullius est valoris.

4.° Dignitates et canonicos transferentes curam et regimen sub quovis titulo in nominatum vel praesentatum incurrere ipso facto poenam excommunicationis majoris speciali modo Romano Pontifici reservatae et privationis fructuum beneficiorum, quae possident et aliorum proventuum ecclesiasticorum, si quos habeant.

5.° Easdem poenas incurri ipso facto ab ipsis nominatis et praesentatis ad ecclesias vacantes, quando earum curam suscipere audeant ex concessione vel translatione Capituli vel Dignitatis in eos peracta; simulque ab eis, qui paruerint his rebus, vel consilium vel favorem praestiterint.

6.° Nominatos et praesentatos administrationem acceptantes amittere jus quod quaesierant per nominationem vel praesentationem (idem viget jus pro electis ex c. 5 h. t. in 6.°), et si charactere episcopali insigniti sint, incurrere suspensionem ab exercitio Pontificalium et interdictum ab ingressu Ecclesiae, et utramque poenam R. Pontifici reservatam esse.

7.° Nulla esse ea omnia, quae geruntur in administratione Ecclesiae a nominatis, electis vel praesentatis, qui administrationem susceperint ante praesentationem litterarum Apostolicarum.

IV. **Quaenam sint Episcoporum insignia.**—Insignia illorum sunt: stemma gentilitium, vestis talaris, biretum et pileus coloris violacei, (pileolus ex concessione Pii IX 18 Jun. 1867, et biretum ex concessione Leonis XIII 3 Febr. 1888); galerus ornatus chordulis et sex floccis viridi coloris, rochettum, mitra, baculus, et si consecrati sint, crux pectoralis et annulus gemmatus. Sed plura ex hisce insignibus deferre nequeunt modo ostensibili extra propriam dioecesim, ea nempe, quae tantum adhibentur in exercitio Pontificalium; nam extra propriam dioecesim Episcopo non licet exercere Pontificalia,

etiam apud personas sibi subjectas, nisi de expressa licentia Ordinarii illius loci, secus suspenditur ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab exercitio ordinum (Conc. Trid. sess. VI, c. 5. de ref).

V. **Jura Episcoporum.**—1.° *Ratione ordinis.*—Si consecrati sint, possunt valide et licite in sua dioecesi omnia sacramenta et sacramentalia ministrare, ac *privative ad alios* confirmare et ordinare; chrisma, ecclesias et altaria consecrare vel dedicare, et si violata fuerint, reconciliare; benedicere et chrismate campanas ungere, calices et patenas consecrare, imagines majores et Abbates benedicere; virgines velare, Reges ungere (Confer Bened. XIV, Epist. I. ad Eugelb. Ab., a. 1748).

2.° *Ratione jurisdictionis.*—Ut principium generale statui potest Episcopum posse facere in sua dioecesi quidquid utile et necessarium sit ad bonum spirituale subditorum, et quod non est contrarium legibus generalibus Ecclesiae et praeceptis pontificiis. Ratio primae partis est, quia Episcopi sunt quodammodo successores Apostolorum, quatenus positi sunt ab Spiritu S. ad hoc ut tamquam Pastores ordinarii pascant suum gregem. Ratio limitationis est, quia eorum auctoritas, quamvis ordinaria, non est absoluta, sed dependens a Romano Pontifice. Hoc posito distinctius videamus jura Episcopi quoad munus docendi, praecipiendi, judicandi, corrigendi, puniendi et administrandi.

a) *Quoad jus docendi* potest: I. Praedicare in omnibus ecclesiis suae dioecesis, etiam Regularium, et nemo absque ejus facultate, vel saltem ipso contradicente si de Regularibus agatur, in sua dioecesi praedicare potest. II. Jus inquirendi in haereticos, et libros vel ephemerides et publicationes periodicas quae errores fidei vel moribus contrarios propugnant proscribendi, etiam sub censuris, et in hoc delinquentes puniendi (Conc. Trid. sess. 24 c. 3 de ref.; Encycl. Greg. XVI *Inter praecipuas*, 8. Maj. 1844, et Pii IX *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846, et nova Const. Leonis XIII *Officiorum et munerum*).

b) *Quoad jus praecipiendi* potest: I. Ferre leges tum intra, tum extra Synodum dioecesanam: quae quidem si intra Synodum, juxta omnes auctores perpetuae sunt; si vero extra Synodum ferantur, etiam valde probabi-

lius, ne dicam certo, quamvis nonnulli auctores contrarium teneant. Suis legibus nequit tamen juri communi contradicere, neque doctrinas, quae salva fide et absque temeritate a doctoribus traduntur, damnare (Bened. XIV de Syn. XIII c. 4. n. 3). II. Jubere etiam potest ea, quae ad divina officia pertinent, ut sacri ministri ea peragant juxta rubricas et quo decet modo (Const. Bened. XIV *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744). III. Dies festos praescribere praeter ordinarios et communes, qui a Regularibus etiam serventur (Conc. Trid. sess. 25 c. 12 de ref.). Urbanus tamen VIII die 13 Sept. 1642 in Const. *Universa* monuit Episcopos, ut ab indictione novorum festorum perpetuis futuris temporibus sese abstineant. Quo decreto non obstante, multi censent Episcopis ablatam non fuisse potestatem festa instituendi (Vid. Ferraris, *Festa*; sed obstat huic sententiae declaratio S. C. Rituum 23 Jun. 1703 ad 2.um. IV. Preces publicas indicere et orationes aut devotiones minus congruentes interdicere, maxime, si prelo mandentur. V. Libros de rebus sacris approbare, quos edere nefas est absque illius approbatione, et, si auctores clerici sint, ea indigent licentia quoad omnes libros edendos (Const. *Officiorum et munerum*). VI. Clerum suum in Synodum convocare. Clerici praeterea sine licentia Episcopi proprii non possunt e Dioecesi abire (Conc. Trid. sess. 23 c. 16 de ref.); imo, si abierint, possunt reduci etiam per impositionem censurae, etiamsi nullius Ecclesiae speciali servitio sint addicti (S. C. C. 26 Jun. 1833). Attamen clericos invitos retinere in dioecesi Episcopus non potest sine justa causa et quin ipsis de congrua sustentatione provideat (S. C. C. 14 Aug. 1880). Tenentur praeterea clerici acceptare in dioecesi illud munus quod ipsis commiserit Episcopus, saltem quoties necessitas Ecclesiae id exigit, et tunc Episcopus potest eos cogere sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam censuris; quod etiam potest cum iis quibus aliquod munus curam animarum respiciens commiserit, quique illud relinquere illico volunt, saltem quousque de idoneo successore providere valeat (S. C. C. 9 Jun. 1884; 31 Jan. 1891).

c) *Quoad jus judicandi:* in foro poenitentiae potest quoscumque subditos suae dioecesis absolvere ab omnibus peccatis et censuris Romano Pontifici non reserva-

tis; imo ex capite *Liceat* (Conc. Trid. sess. 24 c. 6 de ref.) confirmato et modificato a Pio IX in Constitutione *Apostolicae Sedis*, absolvere potest per se vel per vicarium specialiter deputatum ab omnibus peccatis et censuris occultis, quae non sint *speciali modo* reservata; et dispensare in irregularitatibus occultis ex delicto provenientibus, excepta quae oritur ex homicidio voluntario. Insuper in dioecesi nullus saecularium confessiones audire valet, nisi de licentia vel saltem approbatione ipsius; poenitentiarius tamen in Ecclesia sua et parochi quoad proprios subditos jurisdictionem ordinariam in foro interno habent; sed Episcopus potest sibi reservare quosdam casus a quibus neque poenitentiarius neque parochi absolvere poterunt absque speciali mandato. Haec vero reservatio non est nimis extendenda.

In foro externo. Episcopus judex est ordinarius quoad omnes causas clericorum tum civiles tum criminales in prima instantia cognoscendas, et quoad causas ecclesiasticas et mixtas fidelium dioeceseos. Aliquando Episcopus expulsus e sua dioecesi potest hanc contentiosam jurisdictionem exercere in dioecesi aliena, licentia petita, licet non obtenta ab Ordinario loci, praesertim contra suos expulsores, et contra consiliarios et fautores eorum (Clem. unica, tit. *de Foro competenti*).

d) *Quoad jus corrigendi et puniendi*, potest corrigere abusus quoad mores aut quoad sanctitatem cultus, etiam adhibitis censuris aut aliis poenis, praeter effusionem sanguinis aut mutilationem, proportionate ad delicta, et prout attentis circumstantiis expedire judicaverit, servatis tamen de jure servandis quoad modum procedendi.

e) *Quoad jus administrandi.*—Episcopo competit: I. Potestas instituendi, conferendi, uniendi, dismembrandi aut supprimendi beneficia suae dioecesis eo modo quo explicabitur in secundo Libro. II. Cura et tutela bonorum temporalium, quae ad ecclesias et loca pia spectant. III. Exequutio piarum voluntatum et generatim quidquid ad Ecclesiae bona temporalia recte conservanda et eroganda pertinet. Sed nequeunt, uti olim poterant in Synodo, reducere onera missarum celebrandarum, quia haec potestas reservata fuit S. Sedi (Const. Innoc. XII *Nuper* 23 Dec. 1697). Quae spectant ad jus

procurationis, exactionis, etc., in secundo Libro pertractantur.

VI. **Episcoporum officia.**—Praeter officia ethica, quae ex munere pastorali oriuntur, habent Episcopi haec praecipua officia juridica:

1.° Obligationem *Missam applicandi* pro fidelibus suae dioecesis iisdem diebus quibus tenentur parochi. Haec obligatio exurgit statim ac adepti sunt possessionem suae dioecesis; non imponitur autem Vicariis capitularibus, sede vacante (S. C. R. 12 Nov. 1831), nec Vicariis apostolicis nisi in locis, in quibus sedes episcopales jam canonice sunt erectae (S. C. de Prop. Fide 4 Febr. 1803 et 28 Mart. 1863).

2.° *Residendi*, de qua in II. Libro, cum de officiis beneficiariis communibus.

3.° Dioecesim quotannis, aut si valde extensa sit, quolibet biennio *visitandi* vel per se, vel ex justa causa per delegatum. Possunt ut comites sibi adsciscere, praeter notarium et secretarium visitationis, duos convisitatores, sive e capitulo cathedrali, sive ex aliis e clero. Haec visitatio, quae pro fine habet tueri orthodoxam doctrinam et bonos mores, cohortari populum ad religionem, pacem et innocentiam (Conc. Trid. sess. 24, c. 3. de ref.), paterna est; unde a decretis latis in visitatione non datur vera appellatio (Conc. Trid. ib.).

4.° *Visitandi Limina Apostolorum*, quae visitatio, cum antiquitus devotionis causa erga SS. Apostolos et Romanum Pontificem ab Episcopis perficeretur, obligatoria deinde evasit, et Xystus V per Constitutionem *Romanus Pontifex* 20 Dec. 1585 veterem obligationem confirmans statuit ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, licet fuerint S. R. E. Cardinales, ante munus consecrationis suscipiendum, tenerentur jurejurando spondere se statis temporibus Limina SS. Petri et Pauli personaliter visitaturos, et legitimo obstaculo impeditos, per procuratorem speciali mandato munitum.

Tempora autem adsignata in praedicta Bulla sunt: pro Episcopis Italiae et Insularum et provinciarum adjacentium ac etiam Dalmatiae et Graecorum, qui e regione sunt ipsius Italiae et Siciliae, quolibet triennio; pro Germanis, Gallis, Hispanis, Belgis, Bohemiis, Hungariis, Anglis, Scotis, Hybernis et ceteris omnibus, qui in Europa sunt circa mare Germanum et

Balticum ac omnium insularum Maris Interni (*Mediterráneo*) quarto quoque anno; pro remotioribus intra fines Europae, pro Afris nec non pro insulis Maris Oceani septemtrionalis et occidentalis Europae et Africae citra Continentem novi orbis, quinto quoque anno; pro Asiaticis vero et iis, qui in aliis mundi partibus degunt, quolibet decennio.

In hac visitatione Episcopi reddere debent rationem Ecclesiarum suarum et administrationis Pastoralis, statum dioecesis describere et quaestiones et dubia proponere S. Congregationi ad hoc specialiter institutae. S. Congregatio Concilii sub Benedicto XIV Instructionem edidit, qua per novem capita norma hujus relationis perficiendae assignatur (Vide opus egregium Ang. Lucidi *de Visitatione Sacr. Liminum* a. 1856 editum).

ARTICULUS III.

DE JURISDICTIONE SUPRA-EPISCOPALI.

Jure divino omnes Episcopi aequales sunt inter se, sive quoad ordinem episcopalem, sive etiam, Romano Pontifice excepto, quoad jurisdictionem. Existunt tamen gradus jurisdictionis intermediae inter Romanum Pontificem et simplices Episcopos, qui gradus non sunt juris divini, sed expressae vel tacitae participationes Pontificii Romani Primatus, quique hac de causa gradus supra-episcopales vocantur.

Haec jurisdictio intermedia aliquando sedibus adhaeret, et dicitur *realis*; aliquando existit penes personas singulares, et vocatur *personalis*. De his gradibus in praesenti nobis est agendum, et I. de realibus, II. de personalibus.

§ I.—DE JURISDICTIONE SUPRA-EPISCOPALI REALI.

Principia suprema omnibus gradibus, qui hac jurisdictione gaudent, communia, haec sunt: 1.^m Licet potestas horum graduum infra-papalium, sed supra-episcopalium, sit derivata a Romano Pontifice, non tamen est delegata, sed vere *ordinaria*, utpote vi officii sedi alicui in perpetuum concessa, salvis juribus Romani Pontificis

et jure communi. 2.m *Erectio* proinde, *innovatio* et *suppressio* horum graduum, imo et *tituli* et similium jurium honorificorum concessio Romano Pontifici reservata sunt. 3.m *Provisio* horum graduum jure communi pariter Romano Pontifici reservata est; jure vero particulari fieri solet iisdem modis ac provisio episcoporum, nisi alia forma a Rom. Pontifice praescripta, indulta vel tolerata fuerit, ut contingit in ecclesiis orientalibus. 4.m Jurisdictio supra-episcopalis,si consideretur respectu episcoporum, uti odiosa in jure habetur; unde illud Nicolai I obtinuit: «nihil privilegii habent prae ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis contulit».

In tali hierarchia supra-episcopali reali primum gradum obtinent patriarchae, secundum exarchae vel primates, tertium archiepiscopi seu metropolitae. De singulis distinctis punctis breviter agemus, addito puncto finali de eorum honoribus et insignibus.

PUNCT. I.—DE PATRIARCHIS.

I. Notio. II. Divisio. III. Sedes patriarchales. IV. Provisio Patriarchatuum. V. Patriarcharum jura. VI. Officia.

I. **Notio.**—Sensu stricto Patriarchae sunt qui ex officio et vi sedis episcopalis supremam post Rom. Pontificem dignitatem supra-episcopalem habent.

II. **Divisio.**—Plures Patriarcharum classes distinguuntur: 1.° alii enim sunt *reales*, qui vera jurisdictione patriarchali gaudent, et alii *titulares* qui tantum habent honorem. Ex his nonnulli antiquitus reales fuerunt, dum ceteri ab initio jurisdictione caruerunt, quique hac de causa *pure nominales* ab aliquibus auctoribus vocantur. 2.° Alii dicuntur *majores* seu *antiqui*, qui amplia jurisdictione gavisi sunt, et quorum hodie nullus exstat praeter Romanum, et alii *minores* seu *recentes*, et sunt ceteri omnes. Inter *antiquos*, *Apostolici* sunt certo Romanus, et valde probabiliter Antiochenus et Alexandrinus, et *non Apostolici* Hierosolymitanus et Constantinopolitanus. 3.° Alii sunt *orientales* seu ritus orientalis, et alii *occidentales* seu ritus latini. 4.° Alii demum vocantur *resi-*

dentiales, qui ad residentiam obligantur ratione Sedis, alii *non residentiales*.〉

III. **Sedes patriarchales.**—Jure quo utimur sunt quatuordecim, nimirum: Constantinopolitana (titul.); Alexandrina Coptorum (realis et resid.); Alexandrina Latinorum (titul.); Antiochena Graecorum Melchitarum (realis et resid.); Antiochena Maronitarum (realis et resid.); Antiochena Syrorum (realis et resid.); Antiochena Latinorum (titul.); Hierosolymitana (realis et resid.); Ciliciae Armenorum (realis et resid.); Lisbonensis (titul. et resid.); Indiarum Orientalium (titul. et resid.); Indiarum Occidentalium (titul. et resid.); Venetiarum (titul. et resid.); Babylonensis Chaldaeorum (realis et titul.). Omnes vero praedictos patriarchas praecedit Rom. Pontifex qui dicitur *Patriarcha Occidentis*.

Hujusmodi distributio facta est attentis ritibus nationalibus. Praeter enim latinum, cujus formae particulares sunt *Toletanus* et *Ambrosianus*, habentur inter orientales *Armenus*, *Coptus*, *Graecus* et *Syrus*. Armenus obtinet praesertim in Asia, Coptus in Africa, Graecus in Europa et Asia, et Syrus in Asia. Qui hisce ritibus praesunt, quandoque hierarchiam constituunt, quandoque immediate Sedi Apostolicae subjacent. Coptus dividitur in *purum* (hierarch.) et *aethiopicum* seu *abyssinium* (sub Vicario Apost.); Graecus in *purum* (sub Delegato Apost.), *Rumenum*, *Ruthenum*, *Bulgarumque* (sub archiepisc.) et *Melchitam* (sub patriarcha); Syrus tandem in *purum*, *Chaldaeum*, Maronitamque (hierarch.) et *Sorianum* seu *Malabaricum* (sub. Vicar. Apost. ritus syri).

〈IV. **Provisio.**—Fieri debet in forma *electionis* praescripta aut tolerata a Summo Pontifice cum agitur de patriarchatibus ritus orientalis; provisio vero quatuor ecclesiarum ritus latini, videlicet Constantinopolitanae, Alexandrinae, Antiochenae et Hierosolymitanae, quae jam inde ab anno 1301 inconsulta Sede Apost. fieri non amplius potuit, nunc postquam Praesules illarum Ecclesiarum, excepto Hierosolymitano, ad Praelatos honorarios redacti sunt, soli Romano Pontifici est reservata〉 (*Extrav. comm.* c. 3. tit. III). Patriarchae Armenorum et Chaldaeorum eligi debent a solis episcopis totius patriarchatus, et confirmari a Rom. Pontifice (Pius IX, Const. *Reversurus* 12 Jul. 1867, et *Cum ecclesiastica* 31 Aug. 1869, Encycl. *Quartus* 6 Jan. 1873, et S. C. de Prop. F. 25 Sept. 1802 et 1 Dec. 1837). Idem servatur in electione patriarchae Syrorum; sed tamen confir-

matio cum pallii latini praerogativa, post consecrationem jam factam, a R. Pont. est petenda. Pro electione aliorum patriarcharum servari debent legitimae consuetudines, tum quoad qualitates praeficiendorum, cum quoad formam et conditiones electionis, et acta ipsius mittenda sunt ad S. C. de Prop. F., ut, praevio examine, confirmatio Rom. Pontificis habeatur (*Collect.* S. C. de Prop. F. n. 30).

V. **Jura**.—Ex praxi antiqua patriarchis in specie competebat: 1.° Jus confirmandi et consecrandi, et, saltem in Synodo, transferendi et deponendi archiepiscopos et episcopos patriarchatus; 2.° convocandi et dirigendi Concilia patriarchalia; 3.° recipiendi appellationes ex omnibus provinciis patriarchatus, salvis appellationibus ad Sedem Apost.; 4.° elargiendi pallium graecum suis suffraganeis, recipientes pro se professionem canonicam et pro Rom. Ecclesia sponsionem obedientiae ab iisdem, postquam ipsi a Rom. Pontifice receperint pallium latinum, praestito sibi fidelitatis et obedientiae juramento (Decr. c. 23 tit. 33 lib. V; Collect. S. C. de Prop. F. n. 1933); 5.° instituendi et eximendi a jurisdictione ordinaria sibique immediate subjiciendi monasteria per simplicem elationem crucis in loco, quo erigebantur; quod vocabatur jus *stauropegii*; 6.° supplendi archiepiscoporum negligentiam in visitatione dioeceseos et beneficiorum collatione; 7.° Dominicae *crucis vexillum* ante se ubique deferendi, nisi in Urbe Romana, et ubicumque summus Pontifex praesens extiterit, aut ejus legatus utens insignibus Apostolicae dignitatis (Decr. cap. 23 t. 33, lib. V); 8.° praecedendi Cardinalibus ante saecl. X, non autem sequentibus saeculis; at saec. IX inter ipsos patriarchas obtinuit, ut, post Rom. Ecclesiam, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum haberet, servata cuilibet propria dignitate (Cap. cit.)

〈Antiqui illi patriarchae cum plena jurisdictione hodie non existunt; unde jura et officia sedium patriarchalium etiam nunc existentium potius aequiparantur praerogativis metropolitarum, et si quid ulterius habeant, id ex jure speciali uniuscujusque sedis vel ritus erui debet〉 (Collect. S. C. de Prop. F. n. 21 et seqq.).

Patriarchae vero titulares seu honorarii non residentiales, scilicet Constantinopolitanus, Antiochenus ritus latini et Alexandrinus, quia extra titulos Romae degunt, pallii honore non fruuntur, sed *exomide* sibi a Benedicto

XIII concessa (Const. *Romanus Pontifex* 30 Sept. 1724); quoniam vero Hierosolymitanus patriarcha latinus jam inde ab a. 1847 in suo patriarchatu residet cum jurisdictione (ex Const. Pii IX *Nulla celebrior*), iterum pallio donatur. Praerogativae denique Patriarcharum Indiarum Occidentalium, Indiarum Orientalium, Venetiarum et Ulyssiponensis ex singulis Bullis institutionis et legitima praxi erui debent. (Cap. 13. lib. II, tit. 27; cap. 8 lib. II, tit. 12; Const. *Injuncta*, Bened. XIV, Const. *Regis* Nicolai V pro Venetiis; Const. *Inter praecipuas* 17 Dec. 1737 Clem. XI et Const. *Inter praecipuas* 16 Jan. 1766 Clem. XIII pro Ulyssiponensi patriarchatu; Concordatum Leonis XIII cum Rege Lusitaniae a. 1886, art. 2 pro patriarchatu Indiarum Orient.; Bulla *Ubi alias* Benedic. XIV a. 1753 pro patriarchatu Indiarum Occidentalium) (1). Ex Decreto S. C. Caeremoniarum 3 Jun. 1893 omnes Patriarchae nuncupantur titulo *Excellentiae Reverendissimae*.

(1) In Hispania jam ab anno 1513 Rex Catholicus a S. Sede efflagitavit, ut titulus patriarchalis pro regionibus recenter inventis daretur suo Capellano majori Joanni Roderici Fonseca, Archiepiscopo Rosanensi in partibus, ut, ubi vellet, cumque Regis assensu, ibi patriarchalem sedem erigeret. At his precibus S. Sedes non abnuit. Sub Carolo vero I videtur Clementem VII a. 1524 Episcopo Giennensi Stephano Gabriel Merino titulum Patriarchae Indiarum Occidentalium primo concessisse. Ab initiis saeculi XVII sub Philippo III Didacus de Guzman ex concessione Pauli V jurisdictionem Regiae Capellae cum patriarchali dignitate cumulavit, sed, ut videtur, illam jurisdictionem obtinuit titulo Pro-Capellani Majoris, et ex tunc usque ad annum 1885 Patriarchae Indiarum jurisdictionem palatinam exercuere. Per Breve diei 21 Aprilis praedicti anni Archiepiscopus Toletanus una cum Compostellano titulum Capellani Regii majoris obtinuit et ex tunc titulus patriarchae Indiarum Occidentalium Toletanae Sedi annectitur.— Quoad jura et honores hujus patriarchatus, en quid in ipsa Bulla promotionis patriarchis dicatur: «Patriarchatus Indiarum Occidentalium Maris Oceani qui ecclesia, sede, capitulo, choro, clero et populo, omnique cura, regimine et jurisdictione tam spirituali quam temporali caret, sed solum in dignitatis Patriarchalis titulo et honore consistit, et cujus fructus, reditus et proventus nulli sunt, quique de jure patronatus charissimi in Christo filii nostri N. N. Hispaniarum Regis Catholici de fundatione, vel dotatione aut privilegiis apostolicis, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur», etc. In Concordato a. 1851 ei adsignati fuerunt, si Archiepiscopus vel Episcopus residentialis non sit, reditus 37.500 libell., et vi Constitutionis vigentis est Senator jure proprio.

VI. *Officia.*—Ut plurimum ipsa jura *onerosa* sunt. Speciatim Romani Pontificis nomen et auctoritatem suae praeponere debent, ipsique obedientiam jurare, Limina Apostolorum visitare et alia facere quae episcoporum et metropolitarum propria sunt.

PUNCT. II.—DE PRIMATIBUS ET EXARCHIS

I. Notio. II. Divisio. III. Jura Primatum.

I. **Notio.**—Dicuntur *primates* in ecclesia occidentali et *exarchae* in orientali dignitates metropolitis superiores et patriarchis inferiores, quae, auctoritate pontificia in aliqua metropoli insigni constitutae, aliquam jurisdictionem vel inspectionem in Episcopos alicujus provinciae vel regionis exercent, ita tamen ut ipsae patriarchae subjiciantur, vel si forte Rom. Pontifici sint immediatae subjectae, nomen Patriarchae non obtinent, v. g., Primas Carthaginiensis antiquus.

II. **Divisio.**—Distinguuntur: 1.° in *Patriarchas subjectos* et non subjectos seu *acephalos*, quales fuerunt occidentales, et, saltem ante Concilium Chalcedonense, Ephesinus, Caesariensis et Heracleensis. 2.° In *titulares* seu *mere honorarios* et in *residentiales* seu cum vera jurisdictione primatiali.

Olim omnes erant *residentiales*, puta Caesariensis in Ponto, Heracleensis in Thracia, Carthaginiensis in Africa, Ephesinus in Asia proconsulari; et in Occidente *Vicarii Nati* Sedis Apostolicae, quales fuere archiepiscopi Thessalonicensis, Arelatensis, Viennensis, Lugdunensis, Bituricensis et Remensis; Toletanus, Tarraconensis et Hispalensis; Pisanus in Sardinia et Salernitanus; Treverensis, Moguntinus, Salisburgensis et Magdeburgensis in Germania; Bremensis, Hamburgensis et ipsorum loco Lundensis in Suecia, Dania et Scandinavia; Gnesnensis in Poloniae regno; Strigoniensis in Hungaria; Cantuariensis et Eboracensis in Anglia; Harmacensis in Hybernia, et tandem in concilio Vaticano inter primates admissi sunt Bracharensis in Lusitania, Antibarensis in Montenigro, S. Salvatoris in Brasilia, et Mechliniensis in Belgio. Hodie omnes isti primates, Strigoniensi excepto, sunt mere honorarii.

III. **Jura.**—Plura erant antiquitus, praesertim ex jure particulari sumpta, et omnibus jure communi

competebant: 1.° praecedentia prae metropolitis et episcopis alicujus regionis; 2.° confirmare et consecrare metropolitas et obedientiam canonicam ab ipsis exigere; 3.° concilia plenaria vel nationalia convocare; 4.° appellationes recipere a metropolitis; 5.° crucis vexillum ante se delatio in suis provinciis; 6.° reges coronare.

Sed haec omnia, si primatem Strigoniensem, qui vera gaudet jurisdictione, excipias, evanuerunt, remanentibus tantum juribus honorificis; v. g., praecedentiae in Concilio oecumenico (1).

PUNCT. III.—DE METROPOLITIS.

I. Notio. II. Divisio. III. Jura Metropolitarum in genere. IV. Jura penitus abrogata. V. Jura vigentia ipsorum in suffraganeos. VI. Jura vigentia in subditos suffraganeorum. VII. Jura Metropolitarum in exemptos.

I. **Notio.**—Stricto sensu sunt dignitates inferiores primatibus, stabiliter constitutae ut in episcopos alicujus provinciae, qui comprovinciales vel suffraganei dicuntur, jurisdictionem exerceant, vel honorem prae ipsis habeant.

II. **Divisio.**—Distinguuntur: 1.° in *veros* seu *residentiales* qui alios sibi subditos habent, et mere *titulares*, qui sunt episcopi *exempti* cum titulo archiepiscopi, uti Lancianensis, Lucensis, Ferrarensis et Perusinus in

(1) In Hispania Archiepiscopi Toletani, Tarraconenses et Hispalenses ad invicem super dignitate primatiali contendunt, quamvis hi duo nonnisi per aliquod tempus auctoritatem exercuerunt ut Vicarii Apostolici seu Legati *nati*. At Concilio Toletano XII a. 681 celebrato, *salvo jure uniuscujusque provinciae*, jus instituendi et consecrandi episcopos in omnibus regni provintiis Pontifici Toletano tributum est, ex quo plures auctores dignitatem primatialem hujus Ecclesiae ab illo tempore repetunt. Sed ex praedicta concessione non satis constat jus Primatus. Si quae tamen jura veri Primatus extitere, mauritanica invasione penitus perierunt, et post recuperatam a. 1085 a mauris civitatem, nonnisi quoad jura honorifica ex concessione Urbani II (Breve a. 1088) dignitas primatialis toletanae ecclesiae restaurata fuit. Jure patrio Toleti Primas praeter dignitatem senatoriam est *Major Regni Cancellarius*, honores habet prout supremi duces militiae, et pinguiorem assignationem. Solet insuper delegari a Pontifice Bullae Cruciatae Commissarius generalis.

Italia, aut absque ulla exemptione solo titulo archiepiscopi comprovincialibus praecedunt, aut meris episcopis titularibus praeficiuntur. 2.° In *subjectos* patriarchis vel exarchis et non subjectos seu *acephalos* quales sunt metropolita Constantiae in Cypro, omnesque fere metropolitae, praesertim in Ecclesia latina.

III. **Jura Metropolitarum in genere.**— In veteri jure erant accurate definita, paulatim vero fuerunt restricta: sed jure Decretalium adhuc ipsis servata sunt plura jura, ut jus confirmandi et consecrandi suffraganeos, etc., quae post Conc. Tridentinum non amplius vigent. Hodie ut principium generale statuitur metropolitas praeter jurisdictionem dioecesanam in propriae dioecesis subditos habere etiam jurisdictionem ordinariam, sed extraordinario modo exercendam, in suffraganeos et in horum subditos.

IV. **Jura Metropolitarum penitus abrogata.**—1.° Jus in electionem, confirmationem et consecrationem comprovincialium; 2.° exigendi a suffraganeis obedientiam canonicam et accessum ad ecclesiam metropolitanam; 3.° dijudicandi causas criminales et civiles suffraganeorum etiam cum propriis subditis; 4.° suffraganeis concedendi litteras formatas et licentiam discedendi a dioecesi; 5.° dandi consensum alienationi bonorum a suffraganeis facienda; 6.° ordinandi liturgiam et festorum celebrationem pro tota provincia; 7.° administrandi dioeceses suae provinciae tempore vacationis sedium episcopalium. Ita communiter contra Jansenistas et Gallicanos ad antiquam disciplinam frustra recurrentes.

V. **Jura Metropolitarum in suffraganeos vigentia.** —1.° Jus concilium provinciale singulis triennis convocandi et dirigendi; 2.° ipsorum dioeceses visitandi, propria visitata et causa in concilio provinciali cognita et approbata; 3.° supplendi negligentiam capituli cathedralis in eligendo Vicarium Capitularem et ipsum etiam eligendi si inidoneum elegerint, aut ecclesia vacans capitulo careat; 4.° supplendi negligentiam suffraganei in conferendis beneficiis infra semestre, vel in instituendis praesentatis a patrono intra bimestre, non vero in aliis casibus non expressis (C. 3 et 5, de *suppl. negl.*; c. 2, de *concess. praeb.*; Const. Pii V *In conferendis*); 5.° denuntiandi suffraganeos ultra annum absentes vel non residentes, et hoc sub poena interdicti ingressus

ecclesiae (Conc. Trid. sess. 6, c. 1 de ref.); 6.° corripiendi et compellendi negligentes in erectione et conservatione seminarii dioecesani (Conc. Trid. sess. 23, c. 18, de ref.); 7.° reformandi vel confirmandi sententias suffraganeorum per appellationem ad ipsos delatam, et admittendi recursus ab ordinationibus extrajudicialibus, sed ordinarie cum effectu devolutivo tantum; 8.° judicandi causas civiles minores suffraganeorum in prima instantia, sive quas ipsi intendunt sive quas contra ipsos intendantur; sed hoc potius ex auctorum interpretatione, nam ex jure scripto nullae causae a solo metropolita absque Concilio provinciali definiri valerent; quidquid tamen sit de jure, hodie de facto etiam causae minores episcoporum Sedi Apost. deferuntur, et, si mere temporales sint, vi concordatorum vel licentia apostolica in foro saeculari definiuntur (S. C. U. Inq. 23 Jan. 1886); 9.° infligendi censuras in eos, saltem jure Decretalium; verius enim post Concilium Tridentinum non possunt eas ferre nisi in Concilio provinciali et tantum in minoribus causis; perseverat tamen jus Decretalium quoad officiales et Vicarios ita communiter ex Conc. Trid. sess. 24, c, 5, contra Ferraris, aliosque); 10. adigendi suffraganeos uti judices suspectos a suis subditis recusatos, ut arbitros eligant (C. 61 *de Appell.*); 11. alia demum jura recensentur a Ferraris quae valde dubia sunt, et in specie notandum ab Urbano VIII et Benedicto XIV Sedi Apost. reservatum fuisse jus in scriptis approbandi legitimas causas absentiae suffraganeorum.

VI. **Jura vigentia Metropolitarum in subditos suffraganeorum:** 1.° Metropolita est *judex competens* quoad omnes causas eorum, et quidem in *prima* instantia, si agatur de Vicario Generali delinquenti in jurisdictionem metropoliticam aut in officio vicarii sibi commisso; in *secunda* tantum in aliis causis vere vel aequivalenter definitis a suffraganeis; non tamen in mere interlocutoriis aut pendentibus etiam cum consensu Ordinarii; si vero causa intra biennium apud tribunal suffraganei non finiatur, liberum est partibus vel uni tantum tribunal metropolitanum adire (Conc. Trid. sess. 13, c. 1 et sess. 24, c. 20 de ref.; S. C. C. 4 Aug. 1691). 2.° Si subditus suffraganei querellam

moveat apud Archiepiscopum ex injusta excommunicatione, si excommunicatio notorie injusta sit, ab ea absolvere potest directe Metropolita; secus jubere poterit suffraganeo ut suum subditum absolvat; quod si iste renuat, Metropolita ipse absolutionem impertiri valet, recepta a subdito cautione juratoria de satisfactione quibus de jure sit peragenda (C. 8 *de Offic. Jud. Ord.*, et c. 54 de *Appellationibus*). 3.° Jus habet Metropolita per totam provinciam celebrandi in pontificalibus, populo etiam solemniter benedicendi, non exceptis quoad haec locis exemptis (*Clement.* 2 *de priv.*); sed hoc non implicat jus conferendi ordines absque suffraganei licentia, imo etiam quoad alia, praesente Legato *a latere* hujus assensus requiritur, et praesente Nuntio rogari hic debet ut benedicat; at Nuntius debet id Metropolitae remittere (Benedic. XIV Const. *Exemplis*; S. R. C. 9 Mart. 1593 et 2 Oct. 1601; Conc. Trid. sess. 5, c. 5, et sess. 14, c. 2 de ref.); 4.° Archiepiscopi hodie ex benigna Pii X concessione per Decretum Urbis et Orbis S. C. Indulg. 28 Aug. 1903 possunt concedere indulgentias centum dierum, praeter indulgentias unius anni in Ecclesiae dedicatione, dum antea jure Decretalium, Pontificalis et S. R. C., tantum 40 dierum, et 80 ex consuetudine. 5.° In visitatione dioecesis suffraganei, cum ad normam juris fiat, potest Metropolita per se vel per alios praedicare, confessiones audire, absolvere a reservatis suffraganeo, crimina notoria corrigere et punire, et in impedientes ejus jurisdictionem in iis quae ad visitationem spectant animadvertere (C. C. 16 *de Praescrip.*, 14 *de Cens.*, 1 et ult. *de eodem*, in 6.° et 1 *de poenis* in 6.°). 6.° Quaestores eleemosynarum pro ecclesia metropolitana restauranda suffraganeorum dioecesibus mittere Metropolitanus potest (C. 11 *de poenit.* et *remiss. peccat.* in 6.°), necnon constituere delegatos suos inter subditos suffraganeorum, quamvis tales subditi nequeant compelli ad acceptandum.

VII. **Jura vigentia Metropolitarum in exemptos.**— Jus habent: 1.° compellendi negligentes abbates et praelatos Regulares *nullius* ut predicationem divini verbi in paroeciis sibi subjectis non omittant (Conc. Trid. sess. 5, c. 5, de Ref.); 2.° convocandi regulares



negligentes in erigendis Congregationibus et deputandis Visitatoribus postquam sese in Congregationem erexerint ad normam Concilii Tridentini (Sess. 24 c. 8, de ref.).

Punct. IV.—de honoribus et insignibus dignitatum supra-episcopalium

Praeter nomen speciale et jus praecedentiae respondens proprio gradui in hierarchia ecclesiastica, omnes qui potiuntur auctoritate supra-episcopali fruuntur privilegio *crucis hastilis*, quae ante eos defertur elevata in territorio sibi commisso, nisi praesens sit Romanus Pontifex vel Legatus *a latere*, vel Cardinalis non legatus, vel Nuntius cum facultatibus Legati a latere (Clem. 2 *de priv.*) et indui cum eadem conditione mozetta et rochetto discooperto et *pallio* ornari (1). De aliis hono-

(1) Archiepiscopi pro regionum diversitate etiam civilibus titulis, praecedentiis muneribusque insigniuntur, e. g.: in Austria et Hungaria sex Archiepiscopi sunt principes, scilicet Goriti., Olmuc., Pragen., Salisburg., Strigoni et Viennensis. Vi officii sunt senatores omnes Archiepiscopi in Austria, et Hungaria, et in imperio Turcarum jurisdictione etiam civili gaudent Patriarchae et Metropolitae.

In Hispania praeter majores reditus, quibus Metropolitae augentur, habent etiam dignitatem senatoriam jure proprio (Constitución, art. 21), et honores militares ducibus militiae aequales. Juvat etiam dioecesum distributionem quoad cujusque subjectionem suis Metropolitanis agnoscere. In vigenti Concordato ita designantur: «Assignabuntur in Suffaganeas *Metropolitanae Burgensi:* Ecclesiae Calagurritana seu Lucroniensis, Legionensis, Oxonicensis, Palentina, Santanderiensis, et Victoriensis.—*Compostellanae:* Auriensis, Lucensis, Mindoniensis, Ovetensis et Tudensis.—*Caesaraugustanae:* Jacensis, Oscensis, Pampilonensis, Terulensis, et Tirasonensis.—*Granatensi*: Almeriensis, Carthaginiensis seu Murciensis, Gienensis, Guadicensis; et Malacitana.—*Hispalensi*: Canariensis, Cordubensis, Gaditana et Pacensis.—*Tarraconensi*: Barcinonensis, Gerundensis, Illerdensis, Derthusensis, Urgellensis et Vicensis.—*Toletanae:* Cauriensis, Cluniensis, Conchensis, Matritensis, Placentina et Seguntina.—*Valentinae*: Majoricensis, Minoricensis, Oriolensis seu Aloniensis et Segobricensis seu Castilionensis.—*Vallisolitanae:* Abulensis, Asturiensis, Salmaticensis, Segoviensis et Zamorensis.

Antequam anno infausto 1898 Gubernium Statuum Foederatorum bello insulam Cubanam subjecisset, ibi erat sub Hispaniarum dominio Sedes metropolitana *S. Jacobi de Cuba*, cui adhaerebant tamquam suffraganeae dioeceses *S. Cristophori de Avana* et Portoricensis. Nunc vero ex Const. Apost. Leonis XIII *Actum*

ribus et insignibus nihil amplius addendum; sed de pallio opere pretium erit investigare ipsius naturam, originem, benedictionem, concessionem, auctoritatem et usum.

I. **Natura pallii.**—Aliud est pallium graecum, aliud latinum, et utrumque potest considerari *materialiter* vel *formaliter*. Pallium latinum *materialiter* est fascia lanae candidae tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas sive fasciolas ante pectus et intra humeros pendentes, intextis partim in zona, partim in fasciolis sex (antiquitus quatuor) sericis nigrisque (antiquitus purpureis) crucibus, atque tribus aciculis aureis consuitur et alligatur.—Pallium graecum, dictum etiam *homophorion* vel *pastoricia pellis*, est indumentum laneum longius et latius pallio latino, crucibus rubris ut plurimum distinctum, atque post receptum pallium latinum a patriarchis ecclesiarum orientalium concessum metropolitis et episcopis ecclesiarum insigniorum (C. 23 *de privil.*, Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 19). Nos hic de pallio latino tantum loquemur, quod *formaliter* seu in quantum est signum ecclesiasticae jurisdictionis potest definiri: principale ornamentum ecclesiasticum de Corpore B. Petri desumptum a Rom. Pontifice Archiepiscopis et superioribus Dignitatibus concessum, exprimens potestatem supra-episcopalem, vel honoris saltem significationem.

II. **Pallii origo.**—Circa originem pallii quadruplex adest opinio: *Prima* ait inductum esse pallium ad imitationem *Ephod* et *Rationalis* Judaeorum; sed hae vestes non referunt figuram pallii. *Secunda* asserit originem habere civilem, et fuisse insigne honoris Archiepiscopis concessum ab Impera-

---

praeclare 20 Febr. 1903 Metropolitanae *S Jacobi de Cuba* in suffraganeas assignatae sunt praeter Avanensem sedes novae creationis *Pinar del Rio* et *Cienfuegos;* Portoricensis vero immediate subjecta S. Sedi interim declarata est.—Pariter in Insulis Philippinis post immutationem politicam per Bullam Leon. XIII *Quae, mari sinico* 17 Sept. 1902 Manilano Archiepiscopatui, praeter dioeceses Cebuanam, Caceresensem, Neosegoviensem et Jarensem jam prius existentes, tamquam suffraganeae adsignatae sunt dioeceses per dictam Bullam creatae, Lipensis videlicet, Tuguegaraoana, Capizana et Zamboangensis.

toribus christianis; sed haec opinio a peritis rejicitur, cum ante Imperatores christianos inveniatur in Ecclesia usus pallii. *Tertia* opinio, quam tuetur *Vespasiani* in dissertatione Romae edita a. 1856, ait originem habuisse a pallio, quo antiqui orientales utebantur, et quo successores in dignitate vel officio ornabantur, ut fecit Elisaeus cum pallio Eliae. Historia enim ecclesiastica similiter testatur Episcopos Hierosolymitanos usos fuisse pallio S. Jacobi, Alexandrinos S. Marci et Romanos S. Petri. Postremum refertur ab Eusebio Caesariense in Sermone *de Epiph. Domini*. Hinc pallium B. Petri assumi coepit ut signum dignitatis primatialis; et cum tractu temporis consumptum fuerit, inductum est ut in formam extremitatis antiqui pallii assumeretur loco vestis longioris. Romani Pontifices iis, quos participes fieri volebant propriae potestatis et dignitatis, pallium mittere usi sunt. *Quarta* tandem opinio, et fortassis verior, repetit pallium a *loro* usibus ecclesiasticis adaptato, sicut ex orario orta est stola et vestes profanae in sacras transierunt (Ita Grisar, Duchesne, Rohault de Fleury, Thurston, Naval, aliique).

III. **Pallii benedictio.**—Antiquitus in die anniversario martyrii B. Petri, hodie vero in pervigilio ejusdem diei post vesperas, ipse R. Pontifex pallia benedicit eademque deponit per suos capellanos, idest Auditores S. Rotae, in Confessione Basilicae S. Petri prope locum, in quo corpus ejusdem Apostoli custoditur.

IV. **Pallii concessio et receptio.**—Unus Rom. Pontifex pallium *latinum* concedit, nec nisi eo accepto patriarchae Orientis graecum concedere valent. Dignitates vero supra-episcopales, si *verae* sint, illud petere possunt et debent *fortiter*, idest, instanter, instantius et instantissime infra trimestre a consecratione vel institutione; si mere titulares sint, vel episcopi privilegiati, etiam illud impetrare valent. Petitio fieri solet in Consistorio sive personaliter sive procurante advocato consistorali; traditio vero fit, praestito fidelitatis et obedientiae juramento et taxa palliorum soluta, a Rom. Pontifice si Cardinali imponendum, a protodiacono Cardinali si aliis Praelatis vel eorum procuratoribus, qui jurare debent se illud cum reverentia delaturos. In hoc postremo casu imponi debet, sub poena nullitatis ab Archiepiscopo vel qualificata persona a Pontifice delegata, quae nonnumquam est summus reipublicae Princeps, et quidem emissa prius a recipiente fidei professione.

V. **Pallii auctoritas.**— Pallio obtento, auctoritas consequens haec est: 1.° *Patriarcham, Primatem* et *Archiepiscopum* se vocare potest (C. 3 lib. I. t. 8); 2.° plenitudinem pontificalis officii consequitur vel meram honoris significationem. Quare in vigore juris ante pallii concessionem nec illis *nominibus* nec *pontificalibus* fungi dignitates supra-episcopales valerent, quae fieri non possunt a metropolitis sine pallii gestatione (l. cit.); verum indulgetur patriarchis et archiepiscopis titularibus consecratis ut absque pallio se tales vocitent, et prohibitio illa jurisdictionis stricte intelligenda est. Hinc certe archiepiscopo sine pallio non licet convocare concilium provinciale, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos et episcopos consecrare (C. 28, § 1, lib. I, tit. 6); licet vero actus pallium requirentes delegare in sua dioecesi, vel extra suam saltem provinciam cum licentia Ordinarii peragere (ib. c. 11), et a fortiori potest actus perficere, qui pallium non exigunt vel illud excludunt, v. g., confirmare, processionem extra ecclesiam ducere (C. 1, lib. I, tit. 8), missam celebrare in diebus interdictis (ib. c. 47) et quosvis alios actus jurisdictionis dioecesanae, puta convocare et celebrare synodum (Bened. XIV, De Syn. lib. XIII, c. 11).

Cum vero datur meri honoris causa, nullam vim exerit in jurisdictionem et jura pontificalia; hinc per se pallii concessio nullum jus exemptionis aut praecedentiae tribuit; sed neque limitat usum antiqui juris proprii sedis vel personae cui conceditur.

VI. **Pallii usus.**—Circa pallii usum tria praecipue notare oportet: 1.° Cum in Patriarchis, Primatibus et Archiepiscopis non sit signum plenitudinis potestatis, sed tantum participationis ipsius, eo uti nequeunt nisi iis temporibus, quibus permissum est a jure, nempe: diebus solemnioribus in anno, die commemorationis suae consecrationis, et quando vel ordinat clericos, vel consecrat suffraganeos, vel dedicat ecclesias, et quidem tantum intra ipsas ecclesias. 2.° Cum sit signum territoriale, eo uti nequeunt nisi in proprio territorio. Archiepiscopus in provincia, Primas in natione, Patriarcha in territorio Patriarchatus, et insuper aliud impetrari debet si Archiepiscopus ad aliam sedem metropolitanam transferatur. 3.° Cum sit etiam signum personale, ne-

quit commodari, aut donari, sed retineri debet, et cum eo sepeliendi sunt; quod si Archiepiscopus translatus duo vel plura haberet, sepelitur cum omnibus, ita ut pallio recentioris Ecclesiae cadaver decoretur, alia autem collocentur sub capite, vel extendantur supra corpus.

§ II.—DE JURISDICTIONE SUPRA-EPISCOPALI PERSONALI

Hac jurisdictione gaudent Legati pontificii tum superiores, qui nomen Legatorum retinent, cum plures ex inferioribus, qui Delegatio Sedis Apostolicae vocantur. Videnda ergo erunt: I. Natura Legatorum pontificiorum. II. Divisio. III. Jura in genere. IV Jura Legatorum a latere. V. Jura Legatorum missorum. VI. Quomodo cesset Legatorum jurisdictio. VII. Delegati Sedis Apostolicae.

I. **Natura.**—Legati pontificii sunt praelati superiores qui Romani Pontificis personam gerunt in aliqua provincia vel natione, ideoque auctoritate pollent, causas ecclesiasticas inspiciunt et saepe administrant, malaque cognoscunt et accurate Sedi Apost. referunt. Romanus Pontifex vi Primatus apostolici potest quascumque personas et quocumque velit mittere, etiam sine consensu gubernii civilis, et cum jurisdictione stabili et independenti, et non solum cum munere civili (Confer respons. Card. Consalvi 9 Jan. 1802 ad Gub. Hispaniae et epist. Card. Jacobini 15 Apr. 1885 ad Nuntium Matritensem).

Hoc jure legationis activae et passivae de facto Rom. Pontifices usi sunt ab antiquis usque temporibus. Hinc invenimus legatos *a latere S. Petri* missos ad Concilia oecumenica orientalia; legatos *natos*, uti Vicarium Apostolicum Tessalonicensem a Damaso et Siricio jam constitutum, et alios in omnibus fere nationibus Occidentis ex privilegio apostolico sedibus vel saltem personis concesso; *apocrisarios* seu *responsales* penes Imperatores Romanos Byzantinosque et dein reges Francorum cum munere Nuntiorum Apostolicorum vel saltem uti gestores negotiorum (oradores, embajadores). Ex saeculo praesertim XI legatis a latere frequentius usi sunt, et potestas pro suo quoque gradu magis definita. Saeculo vero XVI Nuntii Apostolici nunc vigentes accesserunt stabili quadam ratione *legatis a latere, missis, natisque*, et auctoritatem similem obtinuerunt apocrisariis antiquis et legatis vel vicariis medii aevi.

II. **Legatorum divisio.**—Praeter antiquos *apocrisarios* (legados oficiosos), qui ad aulam Imperatorum vel regum mittebantur ad fovendam concordiam inter Ecclesiam et Statum, et jurisdictione carebant, *veri* legati, seu legati *judices*, jurisdictione scilicet pollentes (*legados jurisdiccionales*), sunt triplicis classis: *nati*, *missi* simpliciter et *missi a latere*. Legati *nati* seu *Vicarii Apostolici* vel *Primates* (his enim diversis nominibus in Historia designantur) sunt illi quibus ratione sedium episcopalium suarum officium legationis pontificiae in certam rempublicam vel provinciam competit. Legati *missi* sunt regulariter Praelati a Rom. Pontifice ad certam rempublicam vel provinciam pro gravibus negotiis missi aut transeunter, aut permanenter. Legati *a latere* sunt Cardinales a Rom. Pontifice assumpti ad graviora negotia in regnis vel provinciis expedienda, ita ut, his finitis, redeant in Urbem, et ita appellantur quia a latere Papae tamquam capiti assistunt.

Hodie vero *Legati* vocantur qui supremum gradum legationis obtinent, seu Legati a latere; ceteri omnes, qui ordinariam delegationem aut actorum executionem consequuntur, vocantur *Nuntii*, *Internuntii*, *Delegati Apostolici*, *Missi extra ordinem* (enviados extraordinarios), *Negotiorum Gestores* (Encargados de negocios). Ita ex *Regolamento pel servizio diplomatico della S. S.* a. 1889 redacto.

1.° *Nuntii* sunt *primae* aut *secundae* classis, quorum discrimen in hoc consistit, quod priores creari solent Cardinales, finita nuntiatura, et si, postquam creati sunt Cardinales, adhuc in nuntiatura per aliquod tempus permaneant, ut saepe fit, dicuntur *Pro-Nuntii* Apostolici.

In specie Nuntii primae classis sunt Viennensis, Parisiensis, Matritensis et Lisbonensis. Nuntiaturae secundae classis habentur Bavariae, Belgio et Brasilia (Praesid. *Petropolis*). Verum non habemus jus super constitutione Nuntiorum, licet praxes quaedam serventur; puta, hodie solent esse archiepiscopi titulares aut episcopi residentiales, et generatim exteri respectu provinciae sibi commissae et caeremoniae juris internationalis servari solent. Nuntii eminent Matriti praesertim, quo mittuntur cum facultatibus legati a latere nomine tenus, et ubi tribunali Nuntiaturae proprio gaudent, scilicet, Rota Hispana.

2.° *Internuntii* sunt ministri secundae classis Rom. Pontificis personam gerentes. Hodie resident in Hollandia (Hagae, *La Haya*), in Luxemburgo, et in civitate Bonaërensi (Rep. Argent.).

3.° *Delegati Apostolici* sunt ministri tertiae classis, quae secundae civili aequivalet, Rom. Pontificis personam gerentes apud gubernia, quique etiam funguntur munere *missorum* extra ordinem. Hodie resident S. Jacobi de Chile, in Columbia, in civitate Limana (pro Æquatore, Bolivia et Peru), et in Portu-Principis (pro rebuspublicis Sti. Dominici, Haitiana et Venezolensi).

4.° *Extra ordinem missi* vocantur generatim Delegati Apostolici et *Ablegati* Apostolici, qui scilicet extraordinariae missioni destinati sunt; v. g.: ad galerum rubrum novis cardinalibus tradendum; verum strictiori sensu vocantur hoc modo *latores regiae filacteriae* (fajas benditas), *ensis et galeri Domini* (estoque y birrete de General), et *rosae aureae.* Anno 1895 novum officium latoris *rosae aureae* novo Camerario Secreto *Ensis et Pallii participanti* commissum est. Hi omnes iter, legationem et reditum perficere debent juxta normas S. C. Caeremonialis.

5.° *Negotiorum gestores* stabiliter constituti hodie non existunt; hujusmodi vero titulum assumunt Auditores Nuntiaturae cum vicarie Nuntiaturam assumunt.

Officiales legatorum omnium debent hodie a Rom. Pontifice designari, et vi supracitati *Regolamento* in quinque classes distinguuntur: I. Auditores primae classis. II. Auditores secundae classis. III. Secretarii primae classis. IV. Secretarii secundae classis. V. Simpliciter *Addicti.*—Auditor parificatur secretario primae classis; titulus *Consiliarii* nonnisi per exceptionem a Papa conceditur, et omnes singularibus juribus subsunt quoad ingressum et constitutionem officiorum.

III. **Jura Legatorum in genere.**—Generatim omnes Legati conveniunt in hoc, quod potestas ipsorum dicitur *ordinaria* quatenus extraordinariae opponitur, et plures praerogativas communes habent, quemadmodum sunt eorum jurisdictioni plura jura subducta, qualia sunt ea quae Rom. Pontifex sibi expresse reservavit.

Hinc: 1.° possunt in provincia sua ordinare ea omnia quae episcopi in sua dioecesi, quaeque speciali mandato Rom. Pontificis non egent; 2.° condere statuta perpetua

juri communi haud contraria; 3.° provincialium causas appellationis definitivae cognoscere; 4.° praeficiendorum ad cathedrales causas examinare; 5.° a censuris speciali modo non reservatis provinciales intra provinciam absolvere, et 6.° *honoris* Legatorum apostolicorum praerogativam et inviolabilitatem canonis exigere (Const. *Apost. Sedis*).

Sed ipsis prohibetur: 1.° unire, dividere, subjicere, eximere et immutare episcopatus; 2.° postulationi, translationi, resignationi, depositioni aut restitutioni episcoporum sese immiscere; 3.° provisionem sibi reservare de cathedralibus, regularibus vel collegiatis ecclesiis vel de cathedralium dignitatibus; 4.° *delegati specialis* jurisdictionem ad se avocare, aut irritare sententiam legitimam, aut ab ea appellationem suscipere, vel restitutionem concedere, vel sese intromittere in causam Rom. Pontifici relatam (C. ult. *de Officio Legati*); 5.° judicare in prima instantia, nisi specialem delegationem habeant, aut Ordinarius infra biennium causam non absolvat, aut prius requisitus contra clericos procedere negligat (Conc. Trid. Sess. 24, c. 20 de Ref.); 6.° delegare causas aliis personis praeter judices delegatos (Conc. Trid. Sess. 25, c. 10 de R.), et 7.° absolvere a censuris speciali modo reservatis sine mandato speciali.

IV. **Legati a latere**—1.° Insigne ipsorum sunt vestis purpurea cum veste linea vel byssina, equus albus phaleratus, frenum et calcaria deaurata, quibus utuntur quamprimum Curiam egressi sunt. 2.° A solemni Romanae Curiae egressu cum honesto comitatu ad modum parvae curiae, ad instar Pro-consulum; reputantur ordinarii etiam quoad exemptos, oppida et civitates; sub baldachino ingrediuntur, clero et populo solemniter eos deducente; et jurisdictionem voluntariam (non contentiosam) exercere possunt intra et extra provinciam suam. 3.° Coram Legato a latere nonnisi de ejus licentia ceteri omnes legati insignia legationis, dignitates vero supra-episcopales crucem hastilem deferre vel pallio uti, et episcopi benedictionem dare aut mozettam ostendere possunt. 4.° Generatim vero habent in sua provincia eamdem, imo majorem prae episcopis jurisdictionem voluntariam et contentiosam, quae specialiter ipsis prohibita non sit vel aliis reservata; unde potestatem concurrentem habent cum Episcopis circa dispensationes, absolutiones, solemnizationem matrimonii et praesertim circa causas beneficiales quascumque, etiam pa-

tronatus ecclesiastici (sed non laici aut mixti, nec circa beneficia litigiosa, aut quae singulari jure, non ordinario, ab Episcopis conferuntur), imo possunt sibi reservare beneficiorum collationem, dummodo servent limites superius descriptos et quod statuit Tridentinum prohibens gratias spectativas, seu concessiones beneficii vacaturi. 5.° Demum post egressum e Curia Pontificis absolvere possunt quoscumque percussores clericorum, etsi non subditos et extra provinciam, ipsorumque jurisdictio non cessat, nisi post regressum in *Urbem*, momento quo illam ingrediuntur. Ante Concilium Tridentinum aliis quampluribus juribus instruebantur circa fere omnia, quae supra diximus prohibita esse omnibus Legatis.

V. **Legati missi** (1).—Jure communi sunt veri ordinarii in sua provincia, et concurrentem cum episcopis jurisdictionem habent, minorem tamen quam legati a latere, quia in provincia continetur, nec ad exemptos, nec ad causas beneficiales vi legationis in genere extenditur. Speciatim ipsorum potestas dimetiri debet ex legationis instrumento et Brevi facultatum, etsi mittantur cum Legati a latere potestate, ut accidit in Hispania. Quare plura possunt quoad processum informativum promovendorum ad episcopatus, dispensationes, appellationes, praecepta et decreta, aliaque ecclesiastica jura, adeo ut omnino falsa sit theoria eorum qui jurisdictionem Nuntiorum ad relationes diplomaticas restringebant et ad honores internationales legatorum *primae classis* et *Decanorum corporis Diplomatici* in aulis principum catholicorum, vi Conventus internationalis Vindobonae celebrati, vel ad procurationes hodie a Rom. Pontifice susceptas. Non tamen peragere possunt quae ipsis Legatis a latere subducta sunt et praesertim quae a Conc. Tridentino in foro contentioso sunt ablata.

VI. **Quomodo cesset Legatorum jurisdictio.** — 1.° Lapsu temporis consignati, aut finito negotio ad quod expediendum missus fuerat. 2.° Discessu a provincia cum animo non redeundi (c. 10, t. 30, l. I Decr.), sed jurisdictio *Legatorum a latere* non cessat nisi post regressum in Urbem momento quo illam ingrediuntur. 3.° Morte legati vel remotione ab ipso cognita (c. 4. *De restit. spoliat.*). 4.° Morte Papae legantis, si missio data fuerit

(1) De legatis *natis* seu *primatibus* jam in praecedenti paragrapho, ubi de dignitatibus supra-episcopalibus realibus dictum est.

cum clausula *ad beneplacitum legantis* (c. 5. *de Rescrip.*). Si vero simpliciter data fuerit, perseverat post mortem legantis, etiam quoad res non incoeptas (c. 2. de off. Leg. in 6.°). 5.° Causa ad Rom. Pontificem relata, si pro illa tantum constitutus est. 6.° Revocatione R. Pontificis ipsi legitime intimata, firmis remanentibus actis hucusque peractis usque ad egressum e provincia (1).

(1) Nuntiatura hispana jam ante saeculum XVI existebat, sed absque jurisdictione contentiosa, quam ab anno saltem 1537 obtinuerunt Nuntii ad preces Caroli V imperatoris. Sed non paulo post ex usu facultatum, quas Nuntii hispani acquisierant, plures discordiae exortae sunt, quibus finem imposuit a. 1639 *Concordia Facheneti*, sic dicta a Nuntio Matritensi tunc temporis, qui illam subscripsit. Per eam Nuntii hispani facultates amplissimae valde fuere limitatae quoad usum saltem. Anno demum 1766 per Breve 18 Dec. Clemens XIII Nuntiis hispanis plures facultates concessit, quae ad inspectionem praesertim, inquisitionem et visitationem ecclesiarum, etiam exemptarum, ad condenda decreta et ad cognoscendum et finiendum in ultima instantia quascumque causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, praesertim referuntur. Quoad *facultates gratiosas*, en quas actualis Nuntius habet: 1. Ad absolvendum ab omni censura Summo Pontifici reservata.—2. Ad residentiae dispensationem ob studiorum causam.—3. Ad dispensandam qualitatem Presbyteri ad beneficia lucranda necessariam.—4. Ad dispensationem loci sacri ad Missam aut alia munera sacra peragenda requisiti.—5 Ad dispensationem irregularitatum, quibus irretitus, quis beneficium ausus est accipere.—6. Ad concessionem Oratorii per sex menses, et ejus prorogationem per alios tres menses, dum quis ad Summum Pontificem recurrit, perpetuitatem gratiae sollicitans.—7. Ad Missas votivas et de Requie celebrandas atque Officium divinum ob defectum oculorum commutandum.—8. Ad usum comae fictitiae in Missarum solemniis.—9. Ad prorogationem temporis fixi ad Ordines suscipiendos.—10. Ad prorogandum terminum fixum ad praesentationem patroni.—11. Ad liberandum juvenes scholares ab onere divini Officii per sex menses.—12. Ut Vicarii Capitulares infra annum viduitatis litteras dimissorias concedere valeant.—13. Ad Moniales transferendas in alia ejusdem Ordinis Monasteria.—14. Ad concedendum *mutacios*.—15. Ad permutationem bonorum ecclesiasticorum.—16. Ut Moniales e Conventu egredi possint ad salutem in balneariis restituendam.—17. Ut quaelibet mulier in earum Monasteria ingredi possit ad hoc ut exercitia spiritualia peragat, aut etiam ad instar alumnae, famulae vel dominae cubiculariae (*de piso*).—18. Ut Regulares extra claustra degentes beneficia obtineant.—19. Ut Moniales e Conventu egrediantur infirmitatis causa.—20. Ad elargiendum in articulo mortis plenariam indulgentiam.—21. Ad benedictionem paramentorum, rosariorum, numismatum, et coronarum cum applicatione indulgentiarum Sanctae Birgittae.—22. Ad legendos libros prohibitos.—23. Ad dispensationem omnis voti sim-

VII. **Delegati Sedis Apostolicae.** – Ita dicuntur inferiores legati, seu clerici qui ex commissione Pontificis aliquam habent jurisdictionem extra Curiam, sed ordinario limitatam quoad locum, ambitum et stabilitatem,

---

plicis, etiam castitatis.—24. Ad dispensationem aetatis ad beneficia obtinenda consentaneae.—25. Ut Parochi extra tempora Ordines suscipiant.—26. Ad absolvendos emptores bonorum ecclesiasticorum.—27. Ad designandos Examinatores Prosynodales pro Concursu ad paroecias.—28. Ad dispensationem omnis cognationis spiritualis occultae, matrimonio contracto aut contrahendo, nisi inter levantem et levatum.—29. Ad dispensandum, matrimonio contracto, impedimenta occulta in tertio et quarto gradu consanguinitatis aut affinitatis.—30. Ad dispensandos gradus minimos affinitatis et consanguinitatis, etiam publicos, qui divulgentur post obtentam dispensationem alterius cognationis.—31. Ad corrigendos errores in dispensationibus et Litteris Apostolicis commissos, nisi in primo gradu affinitatis irrepserint.—32. Ad convalidandas dispensationes invalidatas ob reticentiam copulae in matrimoniis ante annum 1885 contractis.—33. Ad legitimandam omnem prolem praeter adulterinam.—34. Ad revalidandos actus nullos ob defectum jurisdictionis, Sede vacante.—35. Ad benedicendum Crucifixum Viae Crucis.—36. Ad concedendum septem annos et septem quadragenas indulgentiae visitanti ecclesiam determinatam.—37. Ad concedendum indulgentiam 100 dierum.—38. Ad accipiendas denuntiationes et eximendum ab eis.—39. Ad emenda bona ecclesiastica et redimendos census.—40. Ad redimenda onera pia quae bonis imponuntur.—41. Ad admittendum ad compositionem omnem debitorem Ecclesiae sive clericum sive laicum, ob cujuslibet generis titulum.—42. Ad dispensandum impedimenta sponsalium et publicae honestatis.—43. Ad dispensandum omnia impedimenta provenientia ex copula illicita.—44. Ad quodvis genus dispensationis ad petendum debitum.—45. Ad dispensandum impedimentum criminis ex adulterio cum pacto nubendi, neutro machinante.—46. Ad absolvendum a qualibet haeresi externa, etiam haereticos dogmatizantes.—47. Ad absolvendos duellantes et eos qui manus in clericos violenter imposuerint.—48. Ad absolvendos Massones.—49. Ad absolvendum Sacerdotem qui ausus est absolvere complicem in re turpi.—50. Ad habilitandas filias illegitimas quae cupiunt ingredi Religionem.—51. Ad accumulationem impedimentorum.—52. Ad permittendum ingressum dominarum in Regale Monasterium Scurialense.—53. Ad erigendam Capellam Mortuoriam.—54. Ad dispensandum impedimenta consanguinitatis aut affinitatis in gradibus minimis, id est, in tertio cum quarto, in secundo cum quarto et in quarto duplici vel simplici.—55. Ad dispensandum in 50 casibus omnia impedimenta publica, quae dispensari solent, non tantum matrimonio contracto, sed etiam contrahendo, exceptis voto solemni et ordine sacro.—56. Ad dispensandum, matrimonio contracto, in 60 casibus impedimentum tertii gradus consanguinitatis aut affinitatis.

et numquam vi proprii officii exercetur.—Pro more aliorum delegatorum distinguuntur ut explicatum fuit in art. I, tit. III, n. VII hujus libri.

ARTICULUS IV.

Jurisdictionem quasi-episcopalem vocamus eam, quae quamtumvis paulo inferior vel superior sit ratione facultatum ea, quam episcopi residentiales obtinent, non tamen derivat ab episcopali nec supra eam exercetur, sed a potestate Romani Pontificis, sive ex commissione officii, sive ex commissione personali. Hanc potestatem episcoporum similem, sed paulo inferiorem, possident Praelati inferiores dicti, inter quos eminent Abbates, et paulo superiorem Vicarii Apostolici. Episcopi vero auxiliares quamvis hoc sub respectu nequeant dici gaudere vera jurisdictione quasi-episcopali, ut ex dicendis patebit, quia tamen characterem habent episcopalem et a Rom. Pontifice nominantur, praevia petitione quorum interest, de illis etiam in hoc articulo loquemur. Unde I. sermo erit de Abbatibus; II. de Vicariis Apostolicis; III. de Episcopis auxiliaribus, et IV. per modum scholii de jurisdictione palatina, castrensi et Ordinum militarium in Hispania; hae namque dici possunt jurisdictiones exemptae quasi-episcopales.

§ I.—DE ABBATIBUS

I. Quinam abbates dicantur. II. Abbatum divisio. III. Provisio et benedictio. IV. Jura. V. Officia.

I. **Quinam abbates dicantur.**—*Etymologice* ita appellantur qui tamquam patres praesunt monasteriis. *In jure* abbates seu *praelati inferiores* dicuntur clerici *per se* ordinis episcopalis experti, in dignitate tamen inferiori constituti, qui a Sede Apostolica quaedam jura episcopalia majora vel minora obtinuerunt. Sunt igitur praelati ab Ordinariis exempti Sedique Apostolicae immediate subjecti.

II. **Divisio.**—Distinguuntur: 1.° in *regulares* et *saeculares*. *Regulares* sunt religiosi illi qui tamquam patres

praesunt saltem monasteriis cum vera jurisdictione quasi-episcopali. *Saeculares* sunt clerici saeculares qui cum eadem jurisdictione praesunt alicui saltem Ecclesiae. Antiquitus omnes erant *regulares*, sed progressu temporis abbatiae regulares clericis saecularibus, vel ipsis episcopis in *commendam* datae sunt, et nonnullae demum omnino saeculares evaserunt. 2.° In *usu pontificalium* gaudentes, vel carentes. 3.° In exemptos *personaliter*, *localiter* et *mixte*, vel *active* et *passive*. 4.° In *Abbates simplices*, qui potestatem non habent nisi in monachos et in personas degentes in monasterio sibi commisso; *Abbates quasi-nullius*, qui habent extra abbatiam populum et clerum sibi subditum in territorio sito intra limites alicujus dioecesis; et in *Abbates-nullius*, qui habent extra monasterium sibi subditum territorium distinctum a quavis dioecesi, idest, quorum abbatia et territorium independentia sunt et constituunt quasi-dioecesim separatam cum suo populo et suo clero (1). 5.° In exemptos exemptione *nativa*, quae privilegio apostolico vel consuetudine immemorabili nititur, quaeque solis abbatibus nullius competere valet, *dativam* quae privilegio apostolico expresso acquiritur, et *praescriptivam*, quae abbatibus simplicibus et quasi-nullius acquiri potest praescriptione quadragenaria cum titulo colorato.

III. **Abbatum provisio et benedictio.**—Abbates omnes regulares solemniter debent benedici infra annum a die electionis ab Episcopo in cujus dioecesi sunt, vel saltem ter eam benedictionem humiliter petere sub poena privationis officii sui. Si autem iste Ordinarius ter requisitus renuerit, Abbas potest postulare benedictionem a quocumque Antistite catholico. Hanc autem benedictionem iterari opus non est, etsi ad aliud monasterium Abbas transferatur (Const. Bened. XII *Commissi* 6 Maj. 1725).—Abbates saepe electione, interdum praesentatione, raro commendae jure praeficiuntur.

IV. **Abbatum jura.**—1.° De Abbatibus *simplicibus* nihil occurrit hic specialiter dicendum; nam ipsorum

(1) Ita praelati vere *nullius* sunt abbates S. Alexandri de Orosci in Albania et Novae Nursiae in Australia constituti a Leone XIII et a Pio IX, et Prior Cluniensis (*Ciudad-Real*) in Hispania.

jura eadem sunt ac aliorum praelatorum regularium, de quibus infra dicemus.

2.° *Abbates nullius*, cum sint veri Ordinarii, possunt ratione jurisdictionis quidquid Episcopi in sua dioecesi, nisi sit expresse eis denegatum. Ipsis autem expresse denegatur: **a)** Synodum dioecesanam convocare, ideoque examinatores synodales constituere, concursus parochiales indicere et parochias conferre; haec enim omnia fieri debent ab Episcopo viciniore, qui determinatur a minori distantia inter ecclesias cathedrales. **b)** Indulgentias concedere. **c)** Absolvere a casibus et irregularitatibus, in quibus possunt Episcopi ex cap. *Liceat* Tridentini. **d)** Clericos saeculares ad ordines sacros promovere eisque litteras dimissorias concedere, nisi ad Episcopum viciniorem. **e)** Visitationem vero quasi-dioecesis cumulative facere possunt cum Episcopo viciniore; sed si sanciant contraria, decreta episcopalia praeferuntur. **f)** Juxta veriorem sententiam nequeunt jus dicere in causis matrimonialibus (Instr. S. C. C. 22 Aug. 1840). Plura tamen possunt *privilegiis* quae ordinarie prohibentur, puta synodum celebrare, exercitium pontificalium quae ordinem episcopalem absolute non requirant, v. g.: ad confirmandum, solemniter benedicendum et consecrandum, etc. (S. R. C. 27 Sept. 1659, et 4 Jul. 1823).

3.° *Abbates quasi-nullius*, quamvis jurisdictione quasi-episcopali gaudeant, non veniunt nomine Ordinariorum, ut infertur ex decreto Leonis XIII per S. C. U. I. 20 Febr. 1888 dato; unde non tantum eis interdicuntur ea omnia, quae Abbatibus *nullius*, sed etiam reservatio casuum in foro conscientiae pro saecularibus, approbatio confessariorum pro ipsis, concessio facultatis concionandi, jus dicere in causis criminalibus et matrimonialibus, et in genere ea quae a Concilio Tridentino solis Ordinariis reservantur, quaeque hac de causa facienda sunt ab Episcopo in cujus dioecesi sunt, vel ab Episcopo viciniore (Bened. XIV *de Synodo*, lib. II, c. 11). Videtur tamen ipsis competere facultatem *suspendendi* ex informata conscientia, uti Praelatis in genere a Tridentino tribuitur (Sess. 14, c. 1 de ref.).

V. **Officia abbatum.**—1.° Abbates *nullius* tenentur: **a)** residere; **b)** missam pro populo applicare (Leo XIII,

Const. *In suprema* 10 Jun. 1882); **c)** visitare Limina Apostolorum (Bened. XIV, Const. *Quod sancta*); **d)** accedere ad Concilium provinciale, et juxta aliquos etiam ad dioecesanam synodum vicinioris Episcopi. 2.° Abbates *quasi-nullius* non tenentur ad visitationem sacrorum Liminum, nec ad visitationem proprii territorii, debent tamen accedere ad synodum dioecesanam Episcopi in cujus dioecesi existunt.

§ II.—DE VICARIIS APOSTOLICIS.

I. Natura. II. Divisio. III. Vicarii Apostolici in locis missionum. IV. Vicarii Apostolici sede plena. V. Vicarii Apostolici sede vacante. VI. Vicarii Apostolici Castrenses.

I. **Natura.**—Hoc nomine *Vicariorum Apostolicorum* non veniunt antiqui legati nati, neque legati a latere medii aevi, neque omnes vices Papae gerentes, puta Vicarium Urbis, sed «clerici quibus regimen pastorale in aliqua regione demandatur nomine Papae exercendum».

II. **Divisio.**—Duplex est suprema species Vicariorum: alii sunt in *regionibus missionum*, ubi hierarchia ordinaria nondum erecta est; alii in *regionibus sub hierarchia ordinaria* constitutis, ubi tamen Episcopus vel non existit, vel jure aut injuria vel casu impeditus est a regimine pastorali. Primi vocari solent *Delegati*, *Vicarii* aut *Praefecti* Apostolici; alii *Vicarii*, *Coadjutores* vel *Administratores* Apostolici.

III. **Vicarii Apostolici in locis Missionum.**—1.° *Delegati Apostolici.* Qui mittuntur nomine *Delegatorum Apostolicorum* ad missionum loca dependent a S. C. de Prop. Fide (1), charactere episcopali cum titulo archiepiscopali insigniri solent, et facultatibus paululum amplioribus aliquando ornantur; sed in ceteris omnino aequiparantur quoad constitutionem, jura et officia iis qui nomine *Vicariorum Apostolicorum* ab eadem Congregatione vel a Cong. Neg. Eccles. Extraordinariorum.

(1) Tales sunt qui resident Ottawae (Canadâ), in Pancaldi (Constantinopol.), Alexandriae (in Aegypto et Arabia), in capite regni helenici, in Kandy (Indiis Oriental.), in Bagdad (Messopotamia Kurdistani et Armenia Minori), in Ourmiuh (Persides), Beriti (Syria) et in Washington (Statis Foederatis Americae).

2.° *Vicarii Apostolici.* a) Qui hoc nomine mittuntur ad Missionum loca, ut nomine Papae in determinato territorio officium pastorale exerceant, jam a saeculo XVII solent charactere episcopali cum titulo ecclesiae episcopalis in partibus infidelium sitae insigniri, ac promoventur extra Consistorium per speciale Breve, semel praeparata promotione a S. C. de Prop. Fide ad normas Const. Benedicti XIV *Gravissimum* et recentiora decreta S. Sedis, vel a C. super Neg. Eccl. Ext., si de Vicariis agatur, qui ab illa dependent, quales sunt fere omnes qui in America latina existunt. Constitui solent a Papa, etiam sine notitia praevia Gubernii; tamen Vicarius Apost. Saxoniae, qui et Praefectus Apost. est in Meissen et Lansitz, proponitur a rege et a Papa confirmatur.

b) *Potestas* ipsorum generatim est eadem ac Episcoporum communis in suis dioecesibus, et ulterius habent alias 27 facultates, quae *formulae secundae* audiunt et *munerales* sunt, et aliàs quae in instrumento nominationis ipsis delegantur. Verum Vicarii, etsi Episcopi titulares sint et Ordinariorum nomine veniant, quia tamen ipsorum jurisdictio vicario nomine, Papae scilicet exercetur, et propria non est, nequeunt uti honoribus et privilegiis ratione loci Episcopis concessis, v. g.: indulgentias concedere, thronum in ecclesia habere, cappam magnam deferre, in canone nominari, crucem ante se ferre facere, collectam pro anniversario suae consecrationis addere (Cfr. Bened. XIV, Const. *Apostolicum* et de *Syn. dioec.*, lib. II c. 10, n. 8; Collect. S. C. de Prop. Fid., n. 46 et seqq., 120, 126, 131, 139, 141 et seqq.; Acta S. Sedis, vol. VII, p. 301 et seqq.).

c) *Officia* Vicariorum Apost. generatim eadem sunt ac pro Episcopis residentialibus, paucis exceptis vel limitatis, et insuper alia plura ob indolem missionum accedunt, a quibus Episcopi residentiales immunes existunt (Collect. cit., n. 93, 96 et seqq.). In specie tenetur Vicarius Apostolicus ad praedicationem, ad residentiam intra terminos Vicariatus (S. C. P. Fid. 24 Apr. 1861), ad visitationem Vicariatus (Const. Clem. IX *Speculatores*, 13 Sept. 1669), ad visitationem quoque Sacrorum Liminum, non quidem vi Constitutionis Xysti V, sed officii sui ratione, eamque saltem per procuratorem perficere debet, sufficitque sic eam peragere (S. C. de Prop. F. 3

Maj. 1828), et ad relationem S. Sedi faciendam de statu sui Vicariatus (S. C. de P. F., 24 Apr. 1861), sed non tenetur Missam pro populo applicare diebus festis, quamvis hoc ex charitate deceat (S. C. de Prop. F. 16 Jan. 1803 et 18 Aug. 1866).—Vicarii demum Apostolici ex ordinatione Bened. XIV debent constituere *Pro-Vicarium* seu Vicarium Generalem ex clero sive saeculari sive regulari, qui, Vicarii munere cessante, quin Coadjutor cum jure successionis habeatur, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus teneatur assumere regimen Vicariatus usque ad captam possessionem a novo Vicario Apostolico (Bened. XIV, Const. *Ex sublimi*, et Const. *Quam ex sublimi*; Schema Conc. Vatic.). Pro-Vicarius habet facultates Vicarii Capitularis, et etiam proprias Vicarii Apostolici, iis dumtaxat exceptis, quae ordinem episcopalem requirunt vel non sine sacris oleis exercentur; at necessitate cogente potest consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis omnino ab Episcopo benedictis (Id. ib.).

3.° *Praefecti Apostolici.* Duplicis classis sunt: alii qui proprium habent territorium, quique veri superiores sunt missionis, ad quam evangelizandam missi sunt, et alii quorum praefectura continetur territorio alicujus Episcopi, cui in quibusdam subjiciuntur. Utrique carent ordinario charactere episcopali, et antea, ut constat ex declaratione S. C. de Prop. F. 2 Aug. 1830, certo ipsorum potestas non considerabatur ut quasi-episcopalis nec quasi-ordinaria, et pendebat omnino a facultatibus personalibus, quae in eorum deputatione illis concedebantur vel quas deinde obtinerent. At postquam S.C.U.I. die 20 Febr. 1888 sancivit in dispensationibus matrimonialibus, quae committuntur Ordinario loci vel Oratorum Ordinario, nomine Ordinarii venire etiam Administratores seu Vicarios Apostolicos, et Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, fere omnes Praefecti Apostolici primae classis S. Congregationi de Prop. F. consulti sunt, num et ipsi venirent Ordinariorum nomine: et S. Congregatio ipsis notum fecit uti Ordinarios ab ea nunc considerari, ita ut hac in re S. Congregationis disciplina aliquam mutationem passa sit. Ex quo sequi videtur ea, quae de Vicariis Apostolicis dicta sunt ratione potestatis ordinariae, applicanda

etiam esse Praefectis Apostolicis, non vero quae ordinis sunt, nec quae ad facultates personales referuntur, cum hae restrictiores sint in Praefectis.

IV. **Vicarii Apostolici sede plena.**—In genere sunt qui gravi de causa a S. Sede deputantur ad regendam vel administrandam nomine Pontificis aliquam dioecesim, quae proprium habet pastorem vel ad ipsum juvandum aut supplendum. Aliquando nomine *Vicariorum Apostolicorum*, aliquando vero nomine *Coadjutorum Episcoporum* mittuntur, aliquando etiam nomine generico *Administratorum Apostolicorum*. Inter eos qui Vicariorum et eos qui Coadjutorum nomine insigniuntur aliquae extant differentiae juridicae et disciplinares, quas notare oportet.

1.° *Vicarii Apostolici* deputantur a R. Pontifice ad administrandam dioecesim Pontificis nomine, si gravis ratio, etiam citra culpam Episcopi, existat ob quam hic ab administratione personali removeatur, et sufficiens causa ad depositionem non subsit, neque Coadjutoris deputatio expediat; v. g., si male gubernet, senio sit affectus, suspensus, in residendo negligens, a gubernio injuste expulsus vel in regendo impeditus (Acta S. Sedis vol. II, p. 609 et seqq.; Vol. III, p. 203, seqq.). Generatim *totum* jurisdictionis exercitium ab Episcopo ad Vicarium transfertur, paucis exceptis pro quibus requiritur specialis delegatio; unde nec Episcopus in Vicarium procedere, nec hic causis criminalibus vel civilibus Episcopi se immiscere, aut procedere contra Vicarium Generalem potest, nec intercipere jurisdictionem quae vi Brevis deputationis Episcopo relinquatur, nec sibi quae ordinis sunt, aut celebratio synodi, etc., arrogare (S. C. EE. et RR. 15 Dec. 1587, 21 Jun. 1588, 20 Mart. 1612, 16 Oct. 1627 et 20 April. 1640). Jura honorifica, utilia et onerosa fere sunt eadem ac Vicarii sedis vacantis, de quo mox dicendum. Cessat restitutione Episcopi, vel remotione a munere, non autem, sedis vacatione, nec morte Rom. Pontificis; unde loco Vicarii Capitularis perseverat (S. C. EE. et RR. 17 Nov. 1590).

2.° *Episcopi Coadjutores.*—Saepe idem significant ac *auxiliares* vel suffraganei scilicet vicarios Episcopi in *pontificalibus* praesertim sub ipsorum dependentia; *stricte* tamen sunt episcopi titulares qui a legitima po-

testate constituuntur cum officio et facultate adjuvandi Episcopum in ipsius episcopatus administratione et regimine.—Alii sunt Coadjutores in *temporalibus tantum*, qui charactere episcopali non egent; alii in *spiritualibus tantum*, qui charactere insigniuntur ut pontificalia exercere possint; alii universaliter in utroque, ut quae ordinis et jurisdictionis sunt exerceant. Alii sunt coadjutores *cum futura* successione, qui et *perpetui* vocari solent, quique mortuo coadjuto statim evadunt proprii dioeceseon episcopi; alii vero *sine futura successione*, qui saepe *temporales* vocantur, sive dentur pro tempore determinato, sive ad vitam coadjuti. Disputant auctores an coadjutoria perpetua sit merum officium ad instar vicariatus generalis, quia, ut annotat Giobbio cum aliis canonistis, videtur collatio beneficii *facta nunc pro tunc*. *Jus nominandi* Episcopos coadjutores, etiam perpetuos, imo et ad sedes jurispatronatus, per se spectat ad Rom. Pontificem dumtaxat, aliis vero nonnisi speciali privilegio vel specialibus conventionibus, qualem perfecit Leo XIII a. 1890 respectu duarum sedium (Malta et Gozo).

Extraordinarie autem, cum scilicet detrimentum pateretur dioecesis nimium distans, si spectanda esset nominatio Papae, concessit Bonifacius VIII ut Episcopus sui compos sibi assumeret, de consensu Capituli, unum aut duos coadjutores; Episcopo vero in dementiam lapso, non in aliis casibus, liceret Capitulo vel duobus ipsius partibus unum aut duos coadjutores constituere cum onere referendi quamprimum totam rem Summo Pontifici, non secus ac si alias Episcopus a munere impediatur, et coadjutorem sibi assumere nolit. Praesides tamen Americae saepe jus nominandi coadjutores sibi arrogant.

Coadjutores vero *perpetui* non constituuntur a Rom. Pontifice nisi ob urgentem necessitatem vel evidentem utilitatem; v. g.: si lites pro successore praeviderentur, et tantum eliguntur qui qualitates habent pro Episcopis requisitas. Causae vero constituendi coadjutores temporales sunt corporis *infirmitas* perpetua; v. g.: paralysis, epilepsia, aut caecitas, *senium* grave, *amentia*, *dilapidatio* bonorum, et magna *negligentia*. Cognitis causis et praeficiendi qualitatibus a S. C. Consistoriali, ejus deputatio et tituli collatio fit a R. Pontifice in Consistorio, et postea litterae expediuntur.

(*Potestas* Coadjutoris dependet a tenore hujusmodi litterarum, et in ceteris a jure communi et a resolutionibus SS. Cong. RR.)

Hinc: 1.° Datus ob amentiam, est Coadjutor in temporalibus et in spiritualibus; datus vero sui compoti nequit se immiscere in iis quibus defungi potest et vult ipse coadjutus, nec ea expedire solus quibus ex rationabili causa Episcopus contradicit, etsi coadjutor datus sit invito et cum plena et libera potestate. 2.° Per se nequit coadjutor beneficia conferre, bona ecclesiastica alienare, nec tribunal habere separatum a tribunali coadjuti, nec sine ejus licentia abesse, nec indulgentias largiri, nec sine mandato dispensare ab interstitiis. 3.° Coadjutus autem nequit alteri quam coadjutori delegare quae ipse non potest aut non vult peragere (S. C. EE. et RR. 28 Maj. 1628), neque revocare acta legitime a coadjutore, aut eum punire, vel domum aut alia ad functiones episcopales necessaria ipsi denegare. 4.° Debet Coadjutor residere, et requisitus a coadjuto functiones pontificales obire, eumque comitari in dioecesis visitatione, et probabiliter suscipere Vicarium Generalem sibi ex commissione visitanti dioecesim adsignatum a coadjuto, huicque administrationis rationem reddere et ipsius loco Vicario Capitulari vel successori, modo perpetuus Coadjutor non sit. 5.° Procurationes in singulis casibus definiuntur. 6.° Ad *honores* quod spectat, non licet coadjutori ingredi civitatem pontificaliter; nec cruce uti, nec caudatario ad cappam pontificalem; neque mozetta super rochettum, sed mantelleto, nisi de Ordinarii licentia; nec pastorali baculo, nisi in casibus a Pontificali praescriptis; neque perficere benedictiones Sabbati Sancti, nisi celebret; nec epistolas pastorales dirigere, neque populum sine licentia Ordinarii benedicere, vel per civitatem sibi deferri et elevari umbellam sericam viridi coloris; quamvis deceat ut ad ecclesiam venturo ad pontificalia exercenda canonici et dignitates ei obviam eant usque ad cubiculum, satis tamen est ut aliqui canonici ei obviam eant usque ad portam ecclesiae et ut dignior ei aspersorium porrigat; dum celebrat, non est apponendum septimum candelabrum, nec sedere debet in throno, sed in faldistorio; nec duo canonici ei assistunt praeter ministros et presbyterum pluviali paratum ad librum; si vero missae solemni assistat cum cappa, potest confessionem facere cum celebrante et in fine benedicere; seditque in primo chori stallo, quin tamen debeant canonici facere circulos.

(V. **Vicarii Apostolici sede vacante.**—*Vicarii Apostolici* etiam gravibus de causis et omnino specialibus solent deputari a R. Pontifice vel a S. C. EE. et RR. per

litteras in forma Brevis ad regendam dioecesim vacantem Papae nomine et Vicarii Capitularis loco. Causae sunt: assassinium Episcopi, dissensus in deputatione Vicarii Capitularis, electio indigni vel inhabilis ad tale munus, longa sedis vacatio, et similes. Saepe saepius mittuntur sub nomine *Administratoris Apostolici*, quamvis hoc nomen valde genericum sit, ita ut sub ipso Vicarii Apostolici deputentur, tam in locis dioeceseon quam missionum, et sede vacante et sede plena (1). Vicarii Apostolici *sedis vacantis* ultra ordinariam potestatem Vicarii Capitularis habere solent speciales facultates determinatas in Brevi Deputationis, et, si charactere episcopali insigniti sint, ea, quae ordinis episcopalis propria sunt, peragere possunt; et *quod singulare* est, ab ipsorum sententiis ad metropolitam appellari potest (S. C. EE. et RR. 7 Jul. 1580, et 22 Apr. 1686).

Jura utilia continent praesertim necessaria ad sustentationem, accessum, recessum et solita Vicarii emolumenta quae a mensa episcopali desumuntur, nisi aliud cautum sit. *Jura honorifica* fere ad praerogativas Vicarii generalis reducuntur, unde a pluribus sese abstinere debent (Ferraris, v. Vic. Ap. n. 53, 16 et seqq.). *Officia* vero juribus respondent et similia sunt obligationibus Vicarii Capitularis. Demum ipsorum jurisdictio non cessat vacante Sede Apostolica, sed aliis de causis.

VI. **Vicarii Apostolici Castrenses.**—Species Vicariorum Apostolicorum omnino speciales sunt *Vicarii Apost. Castrenses*, qui scilicet, cum amplis facultatibus curae spirituali exercitus cujusdam imperii praeficiuntur, puta in Austria et in Hispania. Sed pro his videatur scholion de vicariatu castrensi hispano.

---

(1) In Hispania deputari solent *Administratores Apostolici* ad regendas dioeceses suppresas vi Concordati vigentis, sed de facto nondum aliis incorporatas, ut accidit in Coelsonensi, Barbastrensi et Rodericopolensi, vel sedem episcopalem vacantem, quae ad aliam civitatem transferri debeat, cum pro translatione et conservatione hinc et inde pugnatur, ut evenit in Calagurritana. Deputatio solet fieri Nuntiaturae Apostolicae decreto, praevia Gubernii notificatione.

§ III.—DE EPISCOPIS AUXILIARIBUS

I. Quid sint Episcopi Auxiliares. II. Jura ipsorum. III. Eorum officia.

I. **Quid sint Episcopi auxiliares** (1).—Ita vocantur Episcopi Titulares a Papa nominati ad instantiam vel postulationem Episcoporum, ut eos et sub eorum potestate in regimine dioeceseos adjuvent. Differunt essentialiter a Vicariis Apostolicis etiam ab iis, qui Coadjutores a nonnullis auctoribus vocantur; quia hi nomine Papae et independenter ab Episcopo proprio, illi e contra nomine et sub Episcopi dependentia jurisdictionem exercent. Etiam Episcopi Coadjutores quandoque ab auctoribus vocantur; unde hoc vocabulum secundum differentiam nuper allatam aliquando verum Vicarium Apostolicum, aliquando simplicem Episcopum Auxiliarem significat.

II. **Jura ipsorum.**—Pendent a voluntate dioecesani, cui auxilium praebent. Ipsis ordinario commendatur ordinis exercitium, praecipue in confirmatione, dioecesis visitatione et divini verbi praedicatione.

Quoad jurisdictionem pendent a Vicario Generali, et quoad reditus, percipiunt respondentes dignitati, quam in ecclesia cathedrali habere solent, et insuper in Hispania quod addit Gubernium usque ad 10.000 libellas.

III. **Eorum officia.**—Reducuntur ad hoc ut prompti sint auxilium praebere Ordinario dioecesano in his quae ipsis committantur (2).

---

(1) Aliquibus in locis etiam dicuntur *suffraganei,* haec enim vox, praeter designationem comprovincialis Episcopi, solet applicari auxiliaribus Cardinalium, et ex consuetudine locali aliis etiam sedibus.

(2) Vi Conventionis Hispanae 16 Mart. 1851 Dioecesis Albarracensis unietur Terulensi, Barbastrensis Oscensi, Civitatensis Salmaticensi, Coelsonensis Vicensi, Ibusensis Majoricensi, Nivariensis (*Tenerife*) Canariensi, Septensis (*Ceuta*) Gaditanae, et Tudelensis Pampilonensi.—Earum Episcopi dioecesium, quibus altera adjungetur, hujus etiam titulum gerent una cum proprio Ecclesiae quam regunt.—Episcopalis sedes Calagurritana et Calceatensis transferetur Lucronium, Oriolensis Alonium (*Alicante*) et Segobricensis Castilionem. Quod si accuratior alicujus dioecesis administratio *Episcopum Auxiliarem* exposcat, hujusmodi necessitati consueta

§ IV.—SCHOLION DE JURISDICTIONIBUS EXEMPTIS SPECIALI JURE HISPANO.

Praeter exemptionem Regularium quae ad jus commune spectat, adsunt in Hispania quatuor aliae jurisdictiones exemptae a Concordato recognitae, nempe: jurisdictio Nuntii, quae hodie praeterquamquod in personis Nuntiaturae, in ecclesia etiam S. Justi subrogata destructae ecclesiae Italorum exercetur, et de qua nihil amplius dicendum; jurisdictio Pro-Capellani Majoris Regum Catholicorum, jurisdictio castrensis et jurisdictio Ordinum militarium. De his tribus, distinctis punctis agendum est.

PUNCT. I.—DE JURISDICTIONE PALATINA SEU PRO-CAPELLANI REGUM

I. Origo et natura hujus jurisdictionis. II. Constitutio Capellae Regiae.

I. **Origo et natura hujus jurisdictionis.**—Sub fine saeculi XV Regumque Catholicorum rogatu Xystus V partialem exemptionem concessit Regiae Capellae, quamvis certis limitibus contentam. Philippo III rege, paroecia effecta est, et paulo post ad dignitatem quasi-collegiatae evecta cum jurisdictione quasi-episcopali in capellam et ecclesias secessuum regalium et in nonnullas Matritenses ecclesias quibusdam collegiis aut hospitalibus annexas, ut sunt Collegii Sanctae Elisabeth, Lauretani, Boni Eventus atque Montis-serrati.

Juxta Breve pontificium 21 Apr. 1885 et aliud posterius 19 Jul. 1892, jurisdictio habitualis residet penes Archiepiscopos Toletanum et Compostellanum, qui Capellani Majoris Regum titulo decorantur, et primus etiam titulo Patriarchae Indiarum Occidentalium insignitur. Jurisdictio vero actualis est tota penes Episcopum titularem Sedunensem (*Sión*), qui sub titulo Pro-

---

forma canonica occurretur.—Similiter, auditis Episcopis, constituentur *Vicarii Generales* pro iis locis, in quibus ob praedispositam hoc in articulo conjunctionem, vel aliam ob justam causam necessarii videantur.—Septae autem et Nivariae *Episcopi Auxiliares* statim constituentur (Art. 5).

capellani Majoris illam exercet independenter omnino a Capellanis Majoribus.

II. **Constitutio Regiae Capellae.**—Sub praesidentia Pro-capellani Majoris adsunt capellani regii, qui vicibus canonicorum funguntur et a Rege nominantur. Ex his alii curam animarum exercent in diversis capellis seu ecclesiis jurisdictioni palatinae subjectis; alii tribunal constituunt, cujus praeses Vicarius Capellae est, apud quod causae in prima instantia cognoscuntur et terminantur, sicut in secunda apud tribunal Rotae; alii diversa exercent officia sub nominibus *Receptor*, *Sumiller*, *Grefier* aliisque. Pro-capellano mortuo vel deficiente, jurisdictio pro tempore transit ad Vicarium.

PUNCT. II.—DE JURISDICTIONE CASTRENSI

I. Origo jurisdictionis castrensis. II. Quomodo exerceatur. III. Quinam illi subjiciantur. IV. Jura singulorum hanc jurisdictionem exercentium.

I. **Origo jurisdictionis castrensis.**—Jure communi milites subjiciuntur jurisdictioni ecclesiasticae territorii in quo versantur, at in Hispania jam ab a. 1644, die 26 Sept. Philippus IV ab Innocentio X Breve obtinuit, quo Capellano Majori a rege nominando facultas tribuebatur, quamdiu bella adversus Lusitaniam perdurarent, tum ad sacramenta militibus administranda, cum ad eorum causas ecclesiasticas extrajudicialiter cognoscendas et finiendas, latis etiam censuris adversus rebelles et implorato auxilio brachii saecularis ad alias poenas infligendas. Sed bello transacto res ad pristinum statum restitutas fuisse videtur. Anno tamen 1705 Carolus de Borja et Centellas, Episcopus titularis Trapezi, et dein Patriarcha Indiarum Occidentalium, nominatus fuit, ut videtur, Vicarius generalis castrensis maris et terrae; sed deinde ipsius facultates dismembratae sunt, et quae exercitui maris referebantur, Episcopo Mindoniensi fuerunt tributae. At vera organizatio jurisdictionis castrensis obtenta est sub Philippo V cum ipsius regatu Clemens XII Breve *Quoniam* expedivit die 4 Febr. 1736. Facultates in hoc Brevi Patriarchae Indiarum concessae erant ad septennium et sub nomine *Vicarii generalis Castrensis* exercebantur; sed ab anno 1892 actu exercetur ab Episcopo titulari Sedunensi sub nomine Pro-Vicarii generalis Castrensis. Inter documenta pontificia, quae quolibet septennio dari solent ad prorogandam Vicarii vel Pro-Vicarii jurisdictionem, eminent Breve Clem. XIII *Cum*

exercitibus 10 Mart. 1762 et Leonis XIII *Quae catholico nomini* 11 Sept. 1883. Plura etiam regia decreta data sunt super organizatione cleri castrensis, inter quae ea 6 Jun. 1879, 17 et 30 Apr. 1889 et praesertim illud 27 Mart. a. 1901 ab Weyler subscriptum, quod nunc viget.

〈II. **Quomodo jurisdictio castrensis exerceatur.**—Ut praeses adest delegatus pontificius sub nomine *Pro-Vicarii generalis Castrensis*, cujus jurisdictio quasi-episcopalis quolibet septennio renovatur. Apud Pro-Vicarium adest Sub-Vicarius (*Teniente Vicario*) primae classis, qui Assessoris Pro-Vicarii partes agit, et Auditor-Secretarius qui defectu Pro-Vicarii generalis jurisdictionem exercet. Pro-Vicarius tamen ex recenti concessione pontificia potest, pro suis absentiis et infirmitatibus, quem malit ad suam jurisdictionem exercendam nominare. Praeter tribunal Pro-Vicarii, cui praeest supradictus Sub-Vicarius primae classis, adsunt tres Sub-Vicarii delegati secundae classis pro insulis Baleáribus, Septa et Melilla, aliique duo, qui sunt pro suis respectivis districtibus Episcopus Canariensis et Nivariensis (*Tenerife*). Undecim praeterea Capellani majores, 52 Capellani primi et 72 secundi curam animarum exercent, in exercitu terrestri (1), sicut in maritimo capellani classis (*de la armada*).

III. **Quinam huic jurisdictioni subjiciantur.**—Juxta Breve 11 Sept. 1883, *Quae catholico nomini*, ter saltem renovatum: 1.° *ratione militiae* ei subjiciuntur, qui ad militiam activam pertinent, eorumque familiae, ut uxores, filii non emancipati et domestici. 2.° *Ratione servitii*, qui exercitum sequuntur eique inserviunt ducis auctoritate. 3.° *Ratione loci*, qui degunt in locis subjectis jurisdictioni castrensi, ut sunt castella, castra fixa, hospitalia militaria, armamentaria, fabricae et collegia militiae, naves belligerae aut militiae servientes.〉Excipiuntur tamen, qui in moeniis munitis Septae vel aliis praesidiis minoribus Africanis degunt, qui subjacent jurisdictioni ordinariae, nisi alio ex capite eximantur. 〈Demum 4.° *ratione officii*, clerici, qui proprium habent officium a Vicario generali dependens, si aliud officium non habeant ex quo ordinario subjiciantur.〉 Ex Brevi

(1) Assignatio pecuniaria pro Sub-Vicario primae classis est 6.000 libell., pro singulis Sub-Vicariis secundae classis 4.800, pro singulis Capellanis Majoribus 4.000, pro primis Capellanis 2.400 et pro secundis 1.800.

a. 1862, art. 23, Regi competit declarare cuinam jurisdictioni in dubio quis subjiciatur.)

IV. **Jura exercentium hanc jurisdictionem.**—Jurisdictio castrensis exercenda est tum quoad jura, tum quoad officia ad normam Const. Clem. XII *Quoniam* a. 1736 et Clem. XIII *Cum exercitibus*, necnon aliarum litterarum apostolicarum, quae hanc jurisdictionem exemptam quolibet septennio prorogant. Ex illis haec eruuntur principia:

1.° (Delegatus seu Vicarius generalis eadem habet jura in suum clerum et subditos ac Episcopi in suas dioeceses; immo ex speciali delegatione ampliora habere solet:) unde venit sub nomine Ordinarii et suspendere potest clericos subditos ex informata conscientia ad normam capitis *Cum honestius* Concilii Tridentini.

(2.° Sub-Vicarii antea vulgo vocati Sub-delegati aequiparantur Vicariis Generalibus Episcoporum;) unde ab ipsorum tribunali nequit appellari ad tribunal Vicarii, sed immediate appellandum est ad Rotam Nuntiaturae.

(3.° Capellani sunt quasi parochi castelli, navis, phalangis, etc. Tamen ut matrimonia autorizare valeant, indigent speciali delegatione Sub-Vicarii castrensis; et si matrimonium contrahant, qui foro castrensi subjacent, cum persona subjecta Ordinario, capellanus castrensis et parochus matrimonio assistere debent, sed functionibus sacerdotalibus fungi debet parochus sponsae, et jura parochialia aeque inter utrumque dividuntur) (Breve Clem. XII a. 1768). Si vero Missa velationum non celebretur immediate post matrimonium, stipendia ipsius ad unum parochum castrensem spectant. Cum subditi jurisdictionis castrensis non habent proprium capellanum, vel hic abest a loco in quo ipsi resident, proprius tunc illorum parochus est parochus ordinariae jurisdictionis, qui tamen non jure proprio agit, sed delegato a jure per eum, qui habet jurisdictionem castrensem, et sub hujus dependentia; unde illam jurisdictionem eo modo et intra eos limites exercere debet ac ipse capellanus castrensis si ibi inesset. (Notetur demum, capellanos castrenses ad sua munera ecclesiastica explenda, posse eligere inter ecclesias jurisdictionis ordinariae, et parochos teneri ecclesiarum electarum januas ipsis

patefacere, subministrare necessaria ornamenta ad munera sacra peragenda et campanarum usum ipsis permittere (Reg. disp. 8 Jun. 1889 et 8 Mart. 1856).

PUNCT. III—DE JURISDICTIONE ORDINUM MILITARIUM

I. Ad quos ordines spectet. II. Origo et vicissitudines hujus jurisdictionis. III. Quomodo in praesenti haec jurisdictio exerceatur.

I. **Ad quos ordines spectet.**—Non omnes Ordines militares sed tantum Ordines Calatravae, S. Jacobi, Turobricae (*de Alcántara*) et Montesae jurisdictione pollent.

II. **Origo et vicissitudines hujus jurisdictionis.**—Origo repetenda est ab exemptione Ordinum militarium, qui, sicut alii religiosi regulares, de ordinaria jurisdictione exempti sunt, et cum plura oppida a maurorum dominatione abrepta obtinuissent, etiam quoad illa jurisdictionem exemptam exercuerunt. Antiquitus per Vicarios, priores et parochos exemptos ad plura oppida in diversis regionibus sita ipsarum jurisdictio extendebatur. In Concordato vero a. 1851 stipulatum fuit ut determinatum territorium jurisdictioni Ordinum militarium, qui jamdiu saeculares evaserant, assignaretur, sub nomine Prioratus, ab Episcopo titulari Priore regendum, aggregatis aliis territoriis jurisdictioni ordinariae. Adhuc haec stipulatio non erat exequutioni demandata cum gubernium eversivum a. 1868 suppressit tribunal Ordinum militarium, et a. 1873 ipsos militares Ordines dissolvit. Hac data occasione, Pius IX, per Bullam *Quo gravius*, ipsorum jurisdictionem exemptam abolevit, eorumque territoria aggregavit dioecesibus intra quarum limites existebant, et ea, quae extra dioecesim, proximiori Cathedrali. Per Bullam vero *Ad Apostolicam* 18 Nov. 1875 idem Pontifex determinavit territorium Cluniae nonnullorumque oppidorum, super quo jurisdictio Ordinum militarium exerceretur modo nunc vigente.

III. **Quomodo in praesenti haec jurisdictio exerceatur.**—Episcopus Prior, ut praelatus vere *nullius*, exercet jurisdictionem ordinariam quasi-episcopalem in ea

quasi-dioecesi cum capitulo et clero parochiali. Habet etiam Vicarium generalem a Priore nominatum, dummodo nominatus sit bene visus Magno Ordinis Magistro, et cujus jurisdictio perseverat post mortem Prioris. Provisio omnium officiorum ecclesiasticorum in quasi-dioecesi pertinet ad Regem, ut Magnum Ordinum Magistrum, praeviis tamen oppositione quoad canonicatus de officio, et concursu quoad paroecias; et praevia praesentatione ternarum a Priore efformatarum pro dictis paroeciis et canonicatibus de officio.

A tribunali Prioris appellatur ad Tribunal Metropolitanum Ordinum, constitutum ex decano praesidente, duobus ministris numerariis, quorum unus clericus esse debet, duobus substitutis et fiscali. In tertia instantia cognoscit Rota.

Ad informationem et ad expeditionem negotiorum Ordinum Prioratus adest Consilium Ordinum, cujus praeses est decanus Tribunalis Metropolitani, vocales duo ministri supradicti et alii quatuor consiliarii sine retributione. Prior, Canonici et Consiliarii ad Ordines militares pertinere debent.

ARTICULUS V.

DE JURISDICTIONE INFRA-EPISCOPALI

Jurisdictionem infra-episcopalem in genere appellamus eam quae sub dependentia Episcopi exercetur, veluti quaedam delibatio a jure vel ab homine propriae suae potestatis. Hanc praecipue participant Vicarius generalis, Vicarius foraneus et Parochus; quapropter distinctis paragraphis loquemur: I. De Vicario generali. II. De Vicario foraneo. III. De Parochis. IV. De Vicariis et Coadjutoribus Parochi.

§ I.—DE VICARIO GENERALI

I. Vicariorum generalium origo. II. Natura. III. Nominatio. IV. Potestas. V. Honores. VI. Cessatio. VII. Specialia quoad Vicarium generalem Urbis.

I. **Vicariorum generalium origo.**—In suo gravissimo munere, Episcopi debuerunt semper a quibusdam adjuvari. Ideo olim constituti fuerunt *Chorepiscopi*, idest simplices presbyteri (aliquando tamen charactere episcopali insigniti) quibus a dioecesano pars territorii ruri committebatur ipsius nomine gubernanda, et etiam aliquos actus pontificales, praecipue confirmationem exercere. Sunt qui valde probabiliter putant eos semper veros Episcopos rurales fuisse a civitate episcopali dependentes.

Chorepiscopis successerunt secundum aliquos *Archipresbyteri* et *Archidiaconi*, quorum illi Episcopo juvabant in potestatis ordinis, hi vero in potestatis jurisdictionis exercitio; at in veriori sententia, Archidiaconus jam saeculo saltem IV maxime eminebat cum cura externae administrationis, saeculo vero VI etiam ruri obtinuit cum propria jurisdictione, quae ineunte saec. X et certe in XI transiit in ordinariam in suis archidiaconiis. Sed cum Archidiaconorum arrogantia sese subtrahere conaretur ab Episcoporum dependentia, ob magnam potestatem qua, ut Vicarii nati et perpetui Episcoporum, gaudebant (videatur integer Tit. Decret. *De officio Archid.*), accidit ut, ad abusus compescendos Concilium Lat. IV, speciali dispositione relato in cap. 14. de *Off. Jud. Ord.*, facultatem concesserit Episcopis sibi eligendi Vicarium generalem a persona Archidiaconi distinctum, quo facto sensim sine sensu horum potestas jurisdictionis prorsus ex desuetudine evanuit.

II. **Natura.**—Vicarius generalis dicitur ille clericus qui, Episcopi deputatione vel mandato, jurisdictionem moraliter saltem universalem exercet in tota dioecesi; quare ab Episcopo constituitur et removetur. Jurisdictio ejus est delegata quoad fontem, seu *vicaria*; non originaria, sed ordinaria quoad modum, haeret enim officio; unde Vicarius generalis venit etiam sub *Ordinarii* nomine.

III. **Nominatio.**—Videndum est an Episcopus teneatur sibi assumere Vicarium generalem; an plures habere possit, et quaenam dotes in Vicario generali assumendo requirantur.

1.° Absolute et ex lege explicita, Episcopus non te-

netur Vicarium generalem sibi assumere; verum inspectis gravibus negotiis, quae persolvere debet Episcopus variisque occupationibus sacri ministerii quibus distrahitur, juxta sensum c. 15 *de Off. et Potest. Jud. Ord.*, dici potest illum generaliter teneri; et de facto C. EE. et RR. hanc obligationem urget (1). Sebastianelli, Lega et Wernz fatentur hanc obligationem urgeri non posse nisi in casu notabilis et diuturnae absentiae (S. C. C. 26 Febr. 1859).

2.° *Quoad numerum.*—Si Episcopus duabus dioecesibus aeque principaliter unitis praesit, potest et aliquando debet pro unaquaque distinctum constituere Vicarium generalem (S. C. C. 2 Oct. 1706). Si uni tantum praesit, quadruplicem hypothesim distinguere possumus. *Prima*, si dividantur negotiorum genera, ut uni contentiosa, alteri voluntaria jurisdictio committatur quoad usum licitum, salva actuum validitate si ab altero ponantur, sicut accidit in nonnullis dioecesibus, praesertim gallicanis: et tunc, qui jurisdictionem exercet contentiosam *Officialis* vocatur, titulum *Vicarii* altero servante. Etiam in Hispania aliquando haec praxis servatur; sed qui exercet jurisdictionem contentiosam, retinet nomen *Vicarii generalis*, dum ille, cui gratiosa committitur, *Provisor* appellatur. *Secunda*, si dioecesis dividatur in duas vel tres partes, et in qualibet constituatur unus Vicarius, qui tamen valide jurisdictionem exercere possit in tota dioecesi. Hae praxes a jure non reprobantur; sed non plenissime aptantur intentioni juris; nam Tridentinum loquitur non de Vicariis, sed de Vicario generali Episcopi. *Tertia*, si in solidum jurisdictio omnis committatur singulis Vicariis, ita ut detur locus praeventioni. Haec praxis, sicubi vigeat, damnari non debet, quamvis non respondeat intentioni juris (S. C. C. 23 Mart. 1599); sed (saltem in Italia) ubi non sit consuetudine introducta, non admittitur (S. C. C. 29 Apr. 1893). *Quarta*, si

(1) Juxta Decretum-Legem d. 6 Dec. 1868 super fororum unificatione (art. 3), Provisores seu Judices ordinarii dioecesani possunt, absque potestatis civilis interventu, libere ab Episcopis nominari, ad normas canonum, quin necessaria sit ut prius *Regia schedula auxiliatoria*, quae ex abusu potestatis saecularis requirebatur. Hodie sufficit ut Episcopi nominationem praedictam Ministerio *Gratiae et Justitiae* notam faciant.

jurisdictio collegio Vicariorum committatur, quod a jure dissonum videtur; quando enim agitur de generali negotiorum gestione, non apte negotia collegialiter aguntur. Exemplum habemus in praescriptione Tridentini super deputatione Vicarii Capitularis. Quare talis modus reprobatur (S. C. EE. et RR. 24 Sept. 1827).

3.° *Dotes* in deputando ad Vicarium generalem sunt: **a)** Ut sit clericus saltem tonsurae initiatus saecularis vel regularis; exceptis minoribus S. Francisci et mendicatibus, qui ad religionem non mendicantium transierunt; sed requiritur consensus Superiorum et licentia Apostolica degendi extra claustra, locis missionum fortasse exceptis (C. 2, l. II, t. 1; Extr. com. C. 1, l. III, t. 8; Clem. C. 1, l. V, t. 2; S. C. EE. et RR. 15 Jan. 1597 et 8 Maj. 1615). **b)** Ut 25 annos inchoatos natus sit, quia id exposcit ejus dignitas et jurisdictio (c. 7 *de Elect.*). **c)** Ut non sit bigamus (c. un. *de bigam.*), nec conjugatus (S. C. EE. et RR. 11 Sept. 1812). **d)** Ut sit Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico, aut alias quantum fieri potest idoneus (C. Trid. sess. 24, c. 16 de ref.) dummodo ei detur jurisperitus assessor (S. C. C. et S. C. EE. et RR. apud Ferraris). **e)** Ut residere possit in civitate seu loco sedis episcopalis; unde excluduntur curam animarum habentes, etiam in Cathedrali (S. C. C. 3 Febr. 1685) (1). Haec praeter alia omnibus promovendis ad officia ecclesiastica communia. Valde etiam expedit ut minime a dioecesi, ubi jurisdictionem debet exercere, sit oriundus, nec Episcopo propinquus (Cap. *Decenter* 6, Dist. 89, Pars 1.ª).

IV. **Potestas Vicarii generalis.**—Cum induat naturam potestatis ordinariae, jurisdictionem ordinariam acquirit vi officii sui, seu ex mandato generali, et ea omnia potest quae Episcopus ex potestate ordinaria iis exceptis, quae a jure vel Episcopo excipiantur expresse, vel quae adeo gravia existimentur, ut praesumatur Episcopus noluisse ea peragi absque sua scientia et judicio.

(1) In Hispania requiritur insuper vi Const. Urb. VIII. *Decretum Romanum*, ut sit sacerdos. Ante annum 1868 leges regni abusive etiam exigebant in Vicariis generalibus qualitatem Doctoris vel Licentiati in Jure civili, nisi jam prius jurisdictionem exercuissent.

Hinc excipiuntur: 1.° Causae criminales (c. 2 *de offic. Vic.*) et matrimoniales (Trid. sess. 24, c. 20 de ref.). 2.° Collatio beneficiorum (c. 3 *de offic. Vic.*) 3.° Visitatio dioecesis (c. 6. *de Off. Ord.* in 6.°). 4.° Convocatio synodi. 5.° Concessio litterarum dimissorialium, nisi Episcopus in remotis agat (c. 3 *de Tem. Ord.*). 6.° Absolutio a casibus Episcopo reservatis. 7.° Erectio confraternitatum earumque canonica aggregatio, aut earum statutorum approbatio (S. C. Indulg. 18 Aug. 1868). 8.° Exploratio voluntatis puellae habitum regularem suscepturae vel professionem emissurae, nisi Episcopus sit absens aut legitime impeditus (Trid. sess. 25. c. 17 de *Reg.*). 9.° Dispensatio in votis, juramentis aut legibus in quibus Episcopus dispensare potest. 10. Concessio indulgentiarum. 11. Licentiam concedere ad aedificandum nova monasteria vel conventus in dioecesi. 12. Suppressio aut unio beneficiorum (Benedictus XIV. *de Syn.* l. II, c. 8). 13. Exercitium ordinis episcopalis etsi Vicarius charactere episcopali sit insignitus.

Ad haec omnia indiget mandato speciali, quod solet dari vel immediate post deputationem ad officium Vicarii per folium scriptum, in quo facultates ab Episcopo ei designantur, vel data occasione ad aliquod negotium peragendum.

Etiam ex consuetudine tacente Episcopo introducta aliqua ex dictis peragere poterit Vicarius generalis virtute mandati generalis, sicut etiam Episcopus ejus potestatem ordinariam restringere potest, quamvis non penitus vel fere annihilare.

Singulare est quod Vicarius generalis unum tribunal cum Episcopo constituat in iis, quae ad jurisdictionem ordinariam referuntur; unde non datur appellatio a sententia definitiva Vicarii ad Episcopum. Hic non tenetur ex delictis et gestis Vicarii *extra officium suum* patratis, in ceteris autem obligatur civiliter et eatenus sententias Vicarii annihilare vel corrigere potest quatenus id posset quoad actus a seipso gestos.

V. **Honores Vicarii generalis.**—Vicario generali, etiam praesente Episcopo, praecedentia publice privatimque debetur ac locus eminentior super quaecumque Dignitates atque Canonicos, est enim Superior, et habet post Episcopum jurisdictionem in omnes. Ut autem Vicarius in choro et in processionibus praecedentiam habeat, habitu vicariali indutus esse debet. (S. C. R. 11 Maj. 1641). Et quidem si canonicus vel dignitas sit,

velitque distributiones quotidianas percipere, in habitu chorali et in loco suae dignitatis vel canonicatus sedere tenetur (S. R. C. 12 Apr. 1603). Demum, etiamsi incedat habitu vicariali non praecedit Dignitates et Canonicos sacris indutos vestibus ministrantes (1).

VI. **Cessatio Vicarii generalis.**—Cessat Vicarius generalis in suo munere: 1.° Revocatione Vicario intimata quae, ut licita sit, fieri debet ex rationabili causa, quin per eam honor Vicarii laedatur; secus daretur redintegratio (S. C. EE. et RR. 3 Jul. 1610). 2.° Morte Vicarii. 3.° Renuntiatione Vicarii, quin necessaria sit acceptatio Superioris. 4.° Quotiescumque jurisdictio Episcopi amittitur, suspenditur vel limitatur, etiam jurisdictio Vicarii cessat, suspenditur vel coarctatur, cum eadem sit ac jurisdictio Episcopi, salva tamen doctrina alibi exposita de errore communi cum titulo colorato. 5.° Remotione ob delicta gravesque negligentias. 6.° Censurâ Vicarii Generalis, quo in casu etiam substitutus, pro-vicarius seu Locum-tenens a seipso constitutus etiam cessat, sed non Vices-gerens quod forte ab Episcopo sit constitutus. 7.° Verius non cessat nec suspenditur ob Episcopi captivitatem.

VII. **Specialia quoad Cardinalem Vicarium in Urbe.**—Vicarius generalis Urbis, qui hodie semper est Cardinalis, non solum est Vicarius jurisdictionis, sed etiam Vicarius in divinis. Hinc: 1.° exercet etiam munia episcopalia. 2.° Ejus jurisdictio censetur ordinaria et vitalicia; unde non cessat Pontificis morte.

Quamvis ex dispositione c. 5 *de Offic. Vic.* ejus jurisdictio videatur intra moenia Urbis concludi, tamen hodie de jure protenditur ad quadragesimum ab Urbe lapidem, iis locis exceptis, quae aliis dioecesibus subjacent (Const. *Romanae Curiae*, 22 Dec. 1755). Coarctata jurisdictione Cardinalium in suis titulis ad servitium Ecclesiae et ad internam disciplinam ecclesiasticam (Const. Innoc. XII *Romanus Pontifex*, 17 Sep. 1592), et cessante hac de causa ipsorum quasi-episcopali jurisdictione, ad Cardinalem Vicarium talis jurisdictio

(1) Juxta Tribunalis Supremi hispani sententiam d. 6 Jul. 1889 convicia in Provisorem vel Vicarium generalem punibilia sunt ceu delictum injuriarum adversus Auctoritatem in propriarum functionum exercitio; quod quidem ex § 2.ª articuli 482 constat una cum art. 269 Codicis Poenalis vigentis.

devoluta est.〉Hic ad instar Ordinarii dioecesani, tum quoad potestatem ordinis, tum quoad potestatem jurisdictionis ea omnia gerit quae Episcopus in propria dioecesi.〈Excipitur tantum visitatio pastoralis ~~quae speciali Congregationi commissa est~~, cujus praefecturam sibi reservat R. Pontifex, et cujus praeses est ipse Vicarius, et collatio beneficiorum, quae a Dataria fit vel a Cardinalibus in suis titulis.〉

Cardinalibus titularibus demortuis, succedit Vicarius Urbis in jurisdictione qualicumque, quam in titulos hodie ipsis relinquitur (Eug. IV, Const. 1 Febr. 1431). Peculiare etiam est quod potest *exteris* in Urbe commorantibus primam tonsuram conferre sine dimissoriis propriorum Ordinariorum (Greg. XIV, 20 Mart. 1599; S. C. C. 21 Apr. 1701). Proprio etiam et singulari tribunali instruitur, quod coalescit: 1.° e Cardinali *Vicario Urbis* et sui districtus; 2.° e Praelato *Vicesgerente*, et 3.° quatuor aliis vicariis particularibus, scilicet *Locumtenente civili* et *Promotore fiscali* pro materiis ecclesiasticis; e *Deputato* pro regimine monasteriorum monialium, et e *Defensore* ex officio professionis religiosae et vinculi matrimonialis. Vicarius et Vicesgerens suos habent *auditores*, et camellarii munus habetur a *Secretario* cum *Substituto;* quos adjuvant notarii et actuarii, aliique officiales minores. *Vicesgerens*, fingendo cardinalem Vicarium tamquam Episcopum, gerere dicitur partes ejus *Vicarii generalis* tam circa ejus jurisdictionem ordinariam delegatamve in omnibus causis, quam circa exercitium pontificalium in ordinationibus, consecrationibus et confirmationibus peragendis, et si Vicarius Urbis moriatur *Sede Apostolica vacante*, habet quamdiu Sedes vacat omnes facultates Card. Vicarii (Clem. XI Const. *Apostolatus* 4 Oct. 1732).

§ II. — DE VICARIIS FORANEIS.

I. Quid sint. II. Ipsorum origo. III. Jura et munia. IV. Cessatio.

〈I. **Quid sint.**—Sunt Delegati Episcopi stabiles, ut extra civitatem episcopalem jurisdictionem exerceant intra determinatum dioeceseos territorium in negotiis tantum tenuioris momenti.〉Confundi igitur non debent cum *Vicariis districtus* (de partido), qui sunt vicarii particulares instructi potestate Vicariorum generalium pro determinato tantum dioecesis territorio.

II. **Ipsorum origo.**—Ab antiquis decanis ruralibus repetenda videtur, qui uti rectores ecclesiarum principalium ruri, scilicet *baptismalium*, in presbyteros titu-

(1) in quia C. V. petendi a Cardinalium coetu apud Vicariatum constituto ese Const. Sap. Consil.

lorum minorum seu *oratoriorum* ruris majoritatem habebant. Quemadmodum vero dioeceses in complures archidiaconatus primo aevo medio divisae sunt, ita archidiaconatus in districtus minores fuerunt dismembrati, quos *Archipresbyteratus*, *Decanias*, *Christianitates* appellarunt. Decanorum tamen potestas semper fuit varia et valde restricta.

III. **Eorum jura et munia.**—Pendent a mandato Episcopi et a constitutionibus synodalibus. Hodie levius quoddam ipsorum remanet vestigium nostris in archipresbyteris ruralibus (*arciprestes*), qui solummodo vigilantiam circa vitam et mores clericorum, et legum ecclesiasticarum observantiam exercent, de quibus Episcopo reddunt rationem, et quandoque aliqua ipsis negotia pertractanda committuntur.

Consulendum est igitur jus particulare cujusque regionis. *Generatim* vero ipsis competit jus moderatum visitandi parochias, invigilandi ad instar testium synodalium de vita et honestate cleri et populi, concedendi licentias minoris momenti; v. g.: absentiae a paroecia per aliquot dies, indulgendi quasdam dispensationes vel absolutiones, vel speciales functiones peragendi, vicarios mittendi in parochias per mortem vacantes, etc., et tandem gaudent saepe quibusdam juribus utilibus et honoribus; v. g.: tituli, praecedentiae in congregationibus extraliturgicis, etc.

IV. **Cessatio.**—Cessat Vicarius foraneus in munere morte, resignatione, translatione ad alium districtum, libera Episcopi revocatione, salvo tamen Vicarii honore, privatione extrajudiciali ob culpam gravem Vicarii in munere commissam, et aliis modis quibus cessat delegati jurisdictio.

§ III.—DE PAROCHIS

I. Quid sint parochi. II. Variae parochorum species. III. Natura potestatis ipsorum. IV. Eorum jura. V. Eorum officia. VI Quomodo cessent in officio.

I. **Quid sint parochi.**—Parochi dicuntur clerici ad curam animarum deputati et ad ministrandum *ex officio* et proprio nomine verbum Dei et sacramenta certo dioecesanorum numero, qui ab iisdem vicissim sacra-

menta recipere aliquatenus tenentur. *Parochia* ex disciplina vigente denotat aut *territorium* ubi parochiani consistunt, aut *parochianos* ipsos, aut *ecclesiam* ubi congregantur, aut *officium* vel *beneficium* curatum. *Parochianus* vero dicitur fidelis qui intra paroeciae fines habet domicilium vel quasi-domicilium, et sensu lato fidelis vagus seu peregrinus vel forensis qui simpliciter commoratur in paroecia. Ut dignoscatur ad quam quisque paroeciam pertineat, attendi debent limites certi; et si dubii sint limites praescripti, porta principalis domus, libri parochiales, aliaque adminicula demonstranda (S. C. EE. et RR. 6 Maj. 1870; 30 Apr. 1869; S. C. C. 26 Jul. 1873, 12 Jul. 1884 et alias saepius).

II. **Variae parochorum species.**—Jure communi parochi *inamovibiles* esse debent; ast dantur etiam in Gallia et Belgio parochi *amovibiles, succursalistae* nuncupati, quos Episcopus potest ad nutum revocare et alio mittere, ita tamen ut hoc prudenter et haud frequentius faciat.

Insuper parochus esse potest vel persona physica, vel moralis, puta monasterium vel capitulum, quo in casu deputari debet vicarius temporaneus vel perpetuus (1).

III. **Natura potestatis parochi.**—Est delegata *in radice,* cum sit tantum juris ecclesiastici, et quaedam participatio officii pastoralis Episcoporum; sed ordinaria *in exercitio* seu ratione *tituli,* quia competit officio. Haec jurisdictio praecipue pertinet ad forum internum; parochi enim in foro externo non habent nisi quamdam oeconomicam in parochianos potestatem. Hinc 1.° Episcopus nequit auferre vel nimis limitare potestatem parochi; potest tamen quasdam functiones in paroecia peragendas alteri sacerdoti delegare, imo *eximere* a cura ordinaria parochi *communitates religiosas* vel *pia instituta* eaque proprio capellano subjicere (C. 2, lib. II, tit 37; S. C. EE. et RR. 26 Jul. 1876 et 16 Febr. 1877); 2.° parochi, quamvis careant potestate legislativa, judiciali et coërcitiva, possunt ex officio dare praecepta externa et *publica* (*ecclesiae* vetitum), inquirere et exami-

(1) In Hispania vi Concordati omnes paroeciae annexae personis moralibus, etiam pleno jure, ad jus commune redactae sunt ita ut amplius personae morales nequeant esse parochi (Art 12).

nare (v. g., impedimenta matrimonii), moderate coërcere dyscolos, publice docere, et voluntariam jurisdictionem exercere, quae continetur in potestate oeconomica super parochianos et in administratione externa paroeciae.

IV. **Parochorum jura.**—Aliqui distinguunt *jura* parochialia a *functionibus* parochialibus, et a *mere sacerdotalibus*. Sed communius distinguuntur in jura parochialia *stricto* sensu, ea nempe quae *solis* parochis competunt, nisi aliud privilegio vel consuetudine obtineat, et parochialia *lato sensu*, ea scilicet quae parochis ratione officii competunt, et quidem obligatorio modo, sed aliis non exclusis, nec cum onere parochianorum ad ipsum dumtaxat recurrendi. Perspicuitatis gratia, omnia parochorum jura distincte exponemus in ordine ad praedicationem, sacramenta, sacramentalia, potestatem administrativam, confraternitates, sepulturam et funera fidelium et emolumenta, annotatis in singulis, si quae sint, quae illis solis spectent.

1.° *Quoad praedicationem.*—**a)** Praedicare possunt per se in sua paroecia, quo casu Episcopus hoc officium alteri commendare nequit. **b)** Inter missarum solemnia praedicare possunt, quamvis eodem tempore alibi Episcopus praedicet; quod aliis prohibetur. **c)** Si in festis confraternitatum praedicare velint, quando in parochiali ecclesia peraguntur, possunt; sed non habebunt jus ad eleemosynam, quae elargiretur praedicatori a confraternitatibus electo: si tamen eis sponte offeratur, eam accipere possunt. **d)** Jus habent *auctorizandi* ad praedicandum in suis paroeciis Regulares transeuntes non approbatos ab Episcopo, si hic sit absens; minime vero sacerdotes saeculares, nec semel.

2.° *Quoad sacramenta.*—**a)** Ipsis privative competit, aliis vero de ipsorum mandato, administratio baptismi, viatici, extremae-unctionis, communionis paschalis, quae quidem in propria paroecia fieri debet, et matrimonia suorum parochianorum publice denuntiare et *auctorizare*; non vero excluditur circa haec omnia jurisdictio Episcopi ejusque Vicarii generalis, et ab iis specialiter delegatorum. Non tamen desunt auctores, qui potestatem delegandi ad *auctorizandum* matrimonia denegant Vicariis generalibus. **b)** Competit parochis,

sed non privative, distribuere sacram communionem fidelibus, eosque ad primam communionem (1) admittere extra tempus paschale; si tamen postremum solemniter fiat, attendi debent consuetudines particulares et privilegia (S. C. C. 21 et 23 Jul. 1888). **c)** Item ipsis privative competit Eucharistiam deferre infirmis devotionis causa, si id publice, uti praescriptum est, seu lumine praecedente fiat. **d)** Item, sed non privative, celebratio missarum solemnium per annum pro vivis et defunctis (S. R. C. 10 Dec. 1703). **e)** Celebratio missae solemnis in Coena Domini, salvo privilegio favore ecclesiarum, quae habent jus asservandi SS. Sacramentum. **f)** Relate ad sacramentum poenitentiae, quamvis liberi sint fideles apud quoscumque confessarios approbatos confessionem peragere, parochi, ex vi officii, jurisdictionem personalem fori interni in proprios parochianos acquirunt, quae quidem jurisdictio non est delegabilis, et pendet ab Episcopo qui eam potest restringere, sed non sic ut penitus eam annihilet. Parochi tamen, vi jurisdictionis in parochianos suos, ubicumque valide eos in confessione audire possunt, quamvis pro liceitate petenda sit venia ab ecclesiae rectore, in qua confitentur (Berengo). Ex consuetudine tamen fere generali, aut ex concessione expressa Episcopi, in tota dioecesi quorumcumque poenitentium saecularium confessiones audire possunt. 3.° *Quoad sacramentalia.*—Ipsis reservantur benedictiones fontis baptismalis, domorum tempore paschali, nuptiales, et omnes, quae solemniter fiunt in via publica infra limites paroeciae. Non tamen eis reservatur benedictio cereorum, cinerum, palmarum, animalium, panum, frugum et post partum; nam hae benedictiones ab aliis etiam, extra ecclesiam parochialem, perfici possunt (Resol. S. C. C. 13 Jun. 1893 communicata

(1) Nulla lex generalis primam communionem reservat parochis, et, juxta Catechismum Concilii Trid., judicium de puerorum idoneitate ad illorum parentes et confessarium pertinet; consuetudo tamen regionis legitime praescripta servanda est. Quoad horam ministrandae Eucharistiae, plures tenent ministrari posse quacumque hora diei; alii vero negant dari posse extra tempus quo licet Missam celebrare; cui sententiae favere videtur declaratio S. R. C. 7 Sept. 1816, juxta quam communionis distributio facienda est a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur, vel ad formam Rubricae, vel ad forman indulti.

Archiep. Compostellano 8 Mart. 1896). Ita conciliantur resolutiones quae videntur contrariae.

Etiam parochis competit, quamvis non privative, functiones Hebdomadae Majoris peragere.

4.° *Quoad potestatem administrativam.*—**a)** Jus habent ut vocentur ad Synodum, atque ut ibi sedeant post canonicos et archipresbyteros, servato inter se ordine antiquitatis a capta possessione. **b)** Possunt etiam, vi consuetudinis generalis, dispensare in casibus particularibus tantum, a lege jejunii, auditionis missae et quietis dominicalis, justa interveniente causa, suos parochianos. **c)** Jus invigilandi et promovendi bonos mores parochianorum. **d)** Nemo, Episcopo ejusque Vicario exceptis, absque parochorum licentia, saltem praesumpta, in ecclesia parochiali aut parochiali annexa praedicare, confessiones audire, celebrare aut alias functiones ecclesiasticas peragere potest. Jus habent praesidendi functionibus ecclesiasticis, electionibus et congregationibus fabricae, beneficentiae et piarum associationum, quae in ecclesia parochiali aut oratoriis vel ecclesiis ipsi annexis celebrantur. **f)** Jus administrandi bona temporalia paroeciae, nisi ex ecclesiae concessione laici in subsidium parochi vocentur.

5.° *Quoad confraternitates.*—**a)** In ecclesiis harum propriis, sola Ordinarii licentia, functiones non mere parochiales fieri possunt; quas inter processiones intra ambitum Ecclesiae numerantur. **b)** Nequit parochus in his ecclesiis aspersorium porrigere Episcopo, oblata administrare aut eleemosynas, quas ipsis fideles imperciantur, nec capellanos earum adstringere ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis. **c)** Confraternitates, etiam quae in ecclesiis parochialibus erectae sunt, congregationes ab statutis praescriptas absque parochi licentia vel interventione habere possunt, dummodo aliud ipsa statuta non praescribant et officia divina vel functiones ecclesiae non impediantur. **d)** Item confraternitates possunt bona ipsarum propria independenter a parocho administrare, nisi aliud in statutis ordinetur.

6.° *Quoad sepulturam et funera fidelium.*—Ipsis ordinarie competit jus sepeliendi eos qui in paroecia sua decedunt, eisque funera perficiendi, et *quartam* canoni-

cam percipiendi, si in aliis ecclesiis fiant. Sed de his juribus copiosius et magis distincte, sicuti de *juribus stolae*, in Libro secundo agemus.

7.° *Quoad emolumenta.*—Jus habent ad congruam sustentationem, sive ex beneficio vel pensionibus a guberniis vel a beneficiatis ex praescripto Episcopi solutis (S. C. EE. et RR. 15 Mart. 1889), sive ab oblationibus et decimis fidelium pro diversitate regionum suppeditandam.

V. **Parochorum officia.**—Quemadmodum patrisfamilias est filios gignere, educare, alere, corrigere, verbo et exemplo instruere, eorum matrimonia approbare, et demum, si necessarium sit, illos sepelire; ita parochus debet parochianos suos undâ baptismatis abluere, verbo pascere, promptus esse ut sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae illis ministrentur, tamquam testis necessarius eorum conjugiis assistere, supremas preces pro illis fundere; eorum, uno verbo, animarum curam continuam habere. Sed speciali modo tenetur parochus:

1.° Personaliter fidei professionem et sponsionem juratam permanendi in obedientia Romanae Ecclesiae facere; sed de hoc alibi dicendum.

2.° Verbum Dei annuntiare diebus dominicis et festis solemnioribus, et tempore Adventus et Quadragesimae ter in hebdomada, si Episcopus ita praescripserit. Si monitus ultra trimestre praedicare desinat, suspensionis poena plecti potest. (Conc. Trid. sess. 5, c. 2, de ref.; sess. 24, c. 4 et 7 de ref.; Const. Innoc. XII *Apostolici* 23 Maj. 1723; Bened. XIV Const. *Etsi* 7 Febr. 1748).

3.° Materialiter et formaliter residere, de quo in Libro secundo.

4.° Missae Sacrificium offerre pro populo sibi commisso diebus dominicis et festis de praecepto, etiam in illis, quae ex Apostolicae Sedis indulgentia non amplius uti tales celebrantur. (Const. Bened. XIV *Cum semper* 19 Aug. 1744; et Pii IX *Amantissimi Redempt.* 3 Maj. 1858). Si praesit duabus ecclesiis, in utraque ecclesia sive per se, sive per alium missam pro populo applicare tenetur, nisi parochiarum unio sit plenaria et tituli extinctiva (S. C. C. 22 Febr. 1862). Si autem ipse infirmitate fuerit detentus, tenetur per alium officium suum

adimplere (S. C. C. 14 Dec. 1857). Haec missa differri nequit in aliam diem, nisi parochus adeo pauper sit, ut necessaria sibi fuerit pinguior oblatio diebus festis illi tributa, et insuper licentia Episcopi obtineatur (Const. Innoc. *Nuper* 24 Apr. 1689, et Bened. XIV *Cum semper* 19 Aug. 1744). Huic obligationi satisfacere debet parochus per se et non per alium, nisi adsit causa canonica: quae causa non est applicatio missae pro defuncto, et am praesente cadavere (S. C. C. 26 Jan. 1771), quavis contraria consuetudine reprobata (S. C. C. 25 Sept. 1858 et 4 Febr. 1883); salvis tamen indultis apostolicis quoad festa suppresa.

5.° Sacramenta et sacramentalia etiam extra casum necessitatis parochianis rationabiliter petentibus administrare.

6.° Regimen externum oeconomicum diligenter praestare: **a)** *inspectione scholarum*, salvis exemptionibus et juribus particularibus, si injustae leges laicae non opponantur; **b)** bonorum parochialium sedula administratione; **c)** curâ pauperum et miserabilium personarum omnibus mediis ex disciplina vigenti receptis; v. g.: nosocomiis, conferentiis S. Vincentii a Paulo aliisque charitatis socialis institutis, de quibus in nostro *Jure publico* egimus; **d)** vigilantia et cura pastorali.

7.° Ordinatos habere libros parochiales, scilicet *Baptizatorum*, *Confirmatorum*, *Matrimoniorum*, *Status animarum*, et *Defunctorum*. Hi tres habeantur ab omnibus parochis, priores ubi confertur baptisma vel chrisma (Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de ref. et Rit. Rom. tit. X, c. 2 et seqq.). *Expedit* etiam habere tabularium omnium bonorum ecclesiasticorum paroeciae et documentorum, etc.

VI. **Quomodo parochi cessent in officio.**—Cessant generatim sicut ceteri beneficiarii, et insuper delictis vel negligentiis jure communi vel particulari pro parochis constitutis (Remissive) (1).

(1) Praeter ea quae juris communis sunt, haec quoad parochos notare opportet in Hispania: 1.° ipsos habere characterem publicorum officialium in auctoritate constitutorum (Trib. Supr. Sent. 6 Jul. 1881), et consequenter 2.° calumnias vel injurias ipsis illatas persequendum esse *ex officio*; 3.° auctoritatem municipalem non pollere potestate ad censuras vel correptiones ipsis infligendas

Boletin Oficial del Obispado de Vich de 15 de Noviembre de 1910

§ IV.—DE VICARIIS PAROCHORUM

I. Notio ipsorum. II. Species. III. Cooperatorum constitutio. IV. Coadjutorum constitutio. V. Administratorum constitutio. VI. Scholion de Vicariis parochorum in Hispania.

I. **Notio ipsorum.**—In genere *Vicarii* parochorum vocantur presbyteri qui vices parochi gerunt in cura animarum. Pro regionum et officiorum sibi delegatorum varietate, diversa nomina sortiuntur. Ita vocantur vicarii, coadjutores, auxiliares, capellani, vice-curati et alias.

II. **Species vicariorum parochialium.**—Jure communi dividuntur praesertim: 1.° in *cooperatores* qui parocho digno in auxilium dantur ob negotiorum molem, iique sunt aut beneficiati curati aut ad nutum removibiles; 2.° in *coadjutores* qui parocho ex causis in jure expressis auctoritate ordinarii imponuntur in perpetuum vel ad ad tempus, in totum vel pro parte ministerii exercendi; 3.° in *administratores* seu *oeconomos*, quibus universa cura animarum committitur in paroecia vacante, vel loco parochi *habitualis* (idest qui *habitu* tantum curam animarum exercet, ut evenit cum parochus est persona moralis), vel absentis. Omnes hi vocantur *vicarii*, stricto tamen sensu sic vocari debent *coadjutores* et *administratores*.

III. **Cooperatorum constitutio.**—1.° *Nominatio* ipso-

(Reg. Disp. 20 Dec. 1890); 4.° parochos esse administratores suarum ecclesiarum sub dependentia propriorum praelatorum, et habere personalitatem juridicam ad fundos propriae Ecclesiae vindicandos (*Partida* 1.ª tit. V, leges 60 et 61; Trib. Sup. 5. Maj. 1900); 5.° juxta Concordatum, neminem posse parochis in propriarum functionum exercitio impedimentum ponere vel molestiis afficere quovis obtentu (Art 3), ipsosque plena fruendos libertate, quam sacri Canones statuunt (Art. 4); 6.° vocalium munere fungi in conventibus localibus super agris dictis de *demostración agrícola* (Lex a. 1838), et in conventibus localibus instructionis primariae (Lex a. 1857, art. 287; Decret. 5 Aug. 1874, art. 7.); 7.° jus habere invisendi scholas publicas (Reg. Disp. 31 Mart. 1892); 8.° juxta Concordatum (Art. 33), parochos in urbanis paroeciis frui annuis reditibus intra tria et decem millia argentorum (*de 750 á 2500 ptas.*), in ruralibus vero minimos reditus duo millia et bis centum attingere debere (*550 ptas.*). De parochiarum classibus, provisione, etc. loquimur in secundo Libro, ubi de *Beneficiis*.

rum ex jure Tridentino pertinet ad parochos; sed Episcopus potest numerum assumendorum in sufficiens auxilium parochiae determinare, eosque examinare, approbare et auctorizare speciali modo (Conc. Triden. Sess. 21, c. 4, de ref.; Innoc. XIII Const. *Apostolici ministerii* 23 Maj. 1723; Bened. XIII Const. *In supremo* 23 Sept. 1724; S. C. C. 24 Jul. 1875). Hoc autem jure non utuntur parochi galli, germani, austriaci nec ipsimet hispani, ubi episcopi ex legitima consuetudine libere cooperatores deputant.

2.° *Potestas* ipsorum solet esse mere delegata, sed ad universalitatem causarum, salva parochi dependentia et limitationibus juris communis vel particularis.

3.° *Congrua sustentatio* determinari debet ab Episcopo, dando ei congruum beneficium vel alias ex bonis parochialibus vel eleemosynarum providendo.

4.° *Officia* cooperatorum generatim in hoc consistunt, ut parochos adjuvent in ministerio sacro, eorumque vices gerant cum necessitas aut justa ratio postulet; unde residere et mandata sibi munia exiqui debent.

5.° *Remotio* cooperatorum, si beneficiati titulares non sint, spectat ad parochum, et cum justa causa etiam ad Episcopum, imo etiam sine causa ipse Episcopus eos removet, cum ipsemet eosdem nominavit, supplendo videlicet negligentiam parochi, vel alias ex consuetudine; verum contra illicitas remotiones datur recursus ad Sedem Apostolicam. Generatim vero non cessant morte parochi, quia ab Episcopo cum approbatione institutionem authorizabilem receperunt.

IV. **Coadjutorum constitutio.**—1.° *Nominatio* coadjutoris cum jure successionis ad unum Rom. Pontificem spectat; aliorum vero ad Episcopum. Episcopus autem nequit dare coadjutorem, praesertim invito parocho, nisi in casibus a jure expressis, scilicet: **a)** Quando ob perennem corporis aut animi infirmitatem, parochus parochiam suam regere nequit; sed in hoc casu contra decretum Episcopi datur appellatio, etiam in suspensivo (C. *Ex parte, de clerico aegrotante*). **b)** Ob defectum scientiae requisitae (Trid. sess. 21, c. 6, de ref.), quo casu non datur appellatio in devolutivo; nam Tridentinum ait: *quavis appellatione remota*. **c)** Si parochus turpiter vivens interdicatur, cogendus est ut idoneum sibi substi-

tuat vicarium; si autem hoc devitet, poterit ei deputari coadjutor ab Episcopo.

2.° *Congrua* solvenda coadjutori, determinanda relinquitur Episcopo ex fructibus paroeciae, vel aliunde, si hi non sufficiant (Conc. Trid. sess. 7, c. 5, de ref.; Innoc. XIII Const. *Apostolici ministerii*); sed praeferendus est in congrua coadjutus.

3.° *Jura et officia* coadjutoris ad haec tria veluti principia reduci possunt: **a)** Si parochus omnino inutilis evaserit, ad coadjutorem pertinet parochiam regere, perinde ac si ipse esset parochus. **b)** Nequit coadjutor ea munera obire, quae coadjutus potest et vult per seipsum explere. **c)** Coadjutor requisitus a coadjuto ut aliquod munus parochiale obeat, tenetur id praestare, quamvis coadjutus nequaquam impeditus illud posset ipse peragere (Vide Leurenium).

4.° *Cessat* coadjutor, si *temporalis* sit, cessante coadjuto vel causa deputationis, vel revocatione Episcopi; coadjutor vero cum jure successionis, qui raro datur, subintrat in paroeciam statim ac cessat coadjutus.

V. **Administratorum constitutio.**—1.° *Nominatio.*— **a)** Si parochia *vacat*, Episcopus debet constituere administratorem, vicarium seu oeconomum, qui, tempore vacationis usque ad possessionem novi rectoris, est delegatus universalis ad curam animarum, ac proinde habet omnia jura ac officia parochi, salvis indultis apostolicis (S. C. C. 23 Aug. 1888; 8 Jul. 1843, 24 Maj. 1823). **b)** Si parochus longius *abesse* cogatur ex causa prius ab Ordinario probanda, debet in paroecia relinquere oeconomum a se nominandum et ab Ordinario probandum, cum debito stipendio. **c)** Si parochia sit incorporata collegio, pio loco, dignitative, quibus competat munus parochi habitualis vel principalis, omnino deputari debet *vicarius* cum actuali, universa et independenti cura animarum (S. C. C. 18 Dec. 1847 et alias); illos vero nominat principalis, eosque Episcopus examinat, approbat seu instituit, imo ad Episcopum ipsa nominatio pertinet jure devolutionis si per semestre rector principalis negligens fuerit, et jure speciali, si ita cautum sit. **d)** Vicarii *perpetui* debent a parocho habituali ex clero saeculari nominari, si parochia quoad *temporalia tantum* monasterio sit incorporata; quod si unio *pleno jure* facta

sit monasterio regularium, saltem monachorum aut mendicantium, Praelati regulares ex suis subditis regularibus vicarios nominare possunt, qui ab Ordinario semel approbati, remanent *revocabiles ad nutum suorum Superiorum*, ita ut aequo jure ab Episcopo et a Praelato regulari removeri possint, quin alter alterius judicio stare teneatur (C. un. lib. I, t. 5 *in Clem.*; Pius V. Const. *Ad exequendum*; Bened. XIV Const. *Firmandis;* Leo XIII Const. *Rom. Pontifices;* Conc. Trid. sess. 7, c. 7, de ref.). In reliquis paroeciis incorporatis debent Ordinarii ex clero saeculari vicarios perpetuos constituere, nisi aliud expedire ipsis videatur, vel exemptio a jure per Tridentinum statuta probetur, quam difficulter hodie recipit S. C. C. etiam in Capitulis cathedralibus vel collegiatis. e) Vicarii *perpetui* etiam nominantur cum erigitur ecclesia filialis in casu numerosioris parochiae. Nominatio fieri tunc solet a parocho, quodam veluti jure patronatus, sed approbanda est ab Ordinario, ad quem institutio canonica spectat.

2.° *Quoad potestatem.*—**a)** Vicarius *perpetuus* censetur in jure verus parochus (C. 27 *de rescript.*); unde habet omnia onera veri parochi (C. 2 et 6, *de Offic. Vic.;* Conc. Trid., sess. 23, c. 1, de ref.), et etiam fere omnia jura. Differentia inter ipsum et parochum titularem est duplex: 1. Vicarius non habet jus ad omnes fructus, sed ad congruam portionem; beneficium enim rectori principali seu parocho habituali proprie competit. 2. Non habet jus ad ea, quae respiciunt externam defensionem Ecclesiae, nec onus eam reparandi, conservandi, etc. **b)** Vicarius *temporaneus*, pro tempore quo munere vicarii fungitur, habet eadem onera ac Vicarius perpetuus, sed non eadem jura, quia temporaneus est amovibilis ad nutum, ac proinde non modo beneficium non possidet, quin nec titulum quidem habet in beneficio.

3.° *Quoad congruam.* ejusdem taxationem pro Vicario, etiam perpetuo, Tridentinum remisit Episcopis (Sess. 23, c. 1, de ref.).

Pius V (Const. *Ad exequendum* 1 Nov. 1567) voluit ut stipendium non esset minus 50 scutorum, nec majus 100, computatis adventitiis, plus minusve certis. Romae dividendi sunt proventus pro mediatae inter Capitulum et vicarios perpetuos (Leo XII Const. *Super universum* 1 Nov. 1824); pro Italia

Bened. XIV redierat ad jus commune (Const. *Quum semper* 19 Aug. 1744).

4.° *Quoad cessationem*, Vicarius temporaneus revocari potest ad nutum ejus ad quem spectat, quamvis, si regularis non sit, requiratur causa gravis; Vicarius vero perpetuus nonnisi ab Episcopo revocari potest ex causis canonicis seu in jure expressis, et servato processu canonico, saltem summario (C. 3, lib. I. t. 28; C. un. l. III. t. 18 in 6.°; S. C. C. 25 Febr. 1879).

VI. **Scholion de Vicariis parochorum in Hispania.**— 1.° In Hispania, qui parocho *ex officio* auxilium praebent, pro diversitate regionum *vicarii, locum-tenentes* (tenientes) vel *coadjutores* nuncupantur. Omnes libere ab Episcopo nominantur, praevio examine synodali et a Gubernio habent assignationem a 500 ad 1.000 libellas pertingentem. 2.° Velut coadjutores seu melius cooperatores parochi considerantur, nulla ipsis facta ex hoc titulo assignatione, omnes clerici addicti servitio alicujus eremitae, sanctuarii, oratorii aut capellae publicae vel ecclesiae non parochialis intra fines paroeciae existentium (Concordatum a. 1851, art. 25, 26 et 33). 3.° Vicarii temporanei constitui solent vacante parochia vel ob longam absentiam parochi sub *oeconomorum* nomine, et tertia parte redituum paroeciae ut congrua ipsis assignata. 4.° *Cooperatores*, qui modo permanenti parochis auxilium praebeant, ubi ex populi numerositate Coadjutores assignati non sufficiant, ab ipsis Ordinariis solent deputari, praevia saepe petitione vel commendatione ipsorum parochorum. 5.° Vicarii demum perpetui, qui jurisdictionem exerceant nomine personae moralis, hodie post Concordatum a. 1855 non amplius habentur (Art. 25) (1).

(1) Praeter Vicarios parochiales, non pauci alii existunt presbyteri, quibus vel ratione officii vel exdelegatione personali functiones quaedam sacri ministerii vel limitata animarum cura certis in institutis competunt. Huc spectant, v. g., capellani coemeteriorum et hospitalium in magnis civitatibus, capellani militares, collegiorum, confraternitatum, carcerum, etc.; de quibus alibi nonnulla dicenda occurrent.

SECTIO SECUNDA

DE JURISDICTIONIS POTESTATE IN COLLEGIIS CLERICORUM

Triplex collegiorum genus quoad clericos distinguere possumus: I. Concilia. II. Collegia ordinis senatorii. III. Collegia ordinis judiciarii et administrativi; ex quo naturalis in tres articulos divisio resultat.

ARTICULUS I.

DE CONCILIIS SEU COLLEGIIS ORDINIS PASTORALIS

I. Natura Concilii. II. Conciliorum divisio.

I. **Natura Concilii.**—Concilium seu Synodus generatim definitur: Conventus publicus prudentium virorum, auctoritate Praelati adunatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiae utilitatem vel publicam necessitatem concernentibus. Quo sensu Concilia dici possunt Sacrae Romanae Congregationes, Capitula Generalia Religiosorum et Synodi dioecesanae. *Usus* autem obtinuit ut *Concilii* nomine proprie veniret legitima *episcoporum* adunatio ad *judicandum* et *statuendum* de rebus ecclesiasticis. Differt ergo, Concilium: 1.° a *conferentiis episcopalibus* seu conventu episcoporum alicujus provinciae vel regionis aut ad meram consultationem aut exercitium potestatis singulorum extrinsece commendandum, et 2.° a *synodo dioecesana*, quae dicitur congregatio, quam facit Episcopus cum praelatis et clericis suae dioecesis.

II. **Conciliorum divisio.**—Alia sunt *oecumenica* (plenaria, generalia, universalia), alia *topica* seu particularia. *Oecumenica* sunt conventus episcoporum *totius orbis* catholici aliorumque praelatorum privilegiatorum, Romano Pontifice eos convocante, praesidente (per se vel

per legatum) et approbante. *Topica* sunt conventus episcoporum determinatae regionis aliorumque Praelatorum privilegiatorum, et dividuntur: 1.° in *generalia* Ecclesiae *orientalis* et Ecclesiae *occidentalis*, prout congregabantur omnes episcopi quatuor patriarchatuum vel patriarchatus Occidentis; 2.° in *patriarchalia*, *primatialia* et *metropolitana* sive provincialia, quatenus congregantur episcopi unius patriarchatus, exarchatus vel provinciae; 3.° in *nationalia* et relative *plenaria* seu generalia, quatenus congregantur episcopi *unius nationis* vel episcopi quamplurium provinciarum stabiliter in unum patriarchatum vel primatiam non unitarum, qualia fuere concilia medii aevi coacta a Rom. Pontificibus cum pluribus archiepiscopis Occidentis, vel a legatis Sedis Apostolicae cum episcopis provinciae suae.

Utilitatis gratia agemus: I de oecumenicis; II de plenariis, et III de synodis dioecesanis.

§ I.—DE CONCILIIS OECUMENICIS

I. **Natura.**—Concilium oecumenicum dicitur legitimus et frequens Praelatorum Ecclesiae conventus, moraliter repraesentans totam Ecclesiam docentem et regentem, a S. Pontifice convocatus, praefectus et confirmatus, ad aliquid definiendum vel statuendum circa fidem, mores aut disciplinam.

Viginti celebrata sunt: quorum octo priora in Oriente fuerunt coacta, cum interventu auctoritatis imperialis; undecim vero mediae aetatis usque ad Tridentinum in Occidente celebrata sunt, convenientibus fere tantum episcopis latinis et cum plena independentia Rom. Pontificis, quae concordiae cum principibus haud obstabat; hi enim per se vel per oratores suos assistebant. In Concilio vero Vaticano illud singulare fuit, quod principes civiles libertate sibi data non uterentur, sed castris ut plurium alienis militarent.

II. **Convocatio.**—1.° Ut legitime sit adunatum, requiritur ut a Papa convocetur, ipsique per se vel per Legatos suos praesideat. S. enim Sede vacante, nequit convocari Concilium oecumenicum, nec continuari quod ante mortem Papae celebrabatur (Const. Pii IX *Cum Romanus Pontifex*, pridie Non. Dec. 1869).

In casu tantum pene commentitio, in quo omnes Cardinales disparuerint, vel quando Collegium Cardinalium ita divisum et confusum fuerit, ut legitimum Pontificem electum innotescere impossibile foret, ipsorum Cardinalium initiatione concilium oecumenicum imperfectum convocare liceret, ad unum finem dirimendi controversias inter Cardinales circa electionem Pontificis ortas.

2.° *Vocari debent* ad concilium oecumenicum *jure proprio* et *ordinario* Episcopi residentiales, quamvis non consecrati, exceptis schismaticis et nominatim excommunicatis; *ex privilegio* et *consuetudine* Cardinales non Episcopi, Abbates vere *nullius*, Generales Ordinum Religiosorum (O. P., O. Min., Min. Conventualium, O. S. A., O. Servorum S. M., Carmelitarum, Soc. Jesu et Capuccinorum), quibus merito aequiparantur *Abbates Generales*. Disputatur an vocari debeant Episcopi titulares, et qui sedi tantum renuntiarunt. Oportet quidem; et, si vocentur, votum habent decisivum. Pius IX vocavit Episcopos titulares et Vicarios apostolicos.

Praeterea invitari solent, quamvis sine voto deliberativo, plures insignes theologi et canonistae, historici, notarii aliique officiales; necnon, honoris causa, Principes catholici.

Episcopi, qui nequeunt assistere, debent sese excusare, et possunt mittere procuratores, qui tamen, nisi concilium eis concedat, votum deliberativum non habebunt.

Quoad modum convocationis, necesse non est ut *personaliter* fiat, sed sufficit *promulgatio Bullae indictionis* Concilii vel edictum generale Romae, uti a Paulo III et a Pio IX factum est.

III. **Celebratio.**—Convocatis Patribus, praeviis jejuniis et publicis rogationibus, et invocato Spiritu Sancto, constituitur Concilium cum Romano Pontifice vel ejus Legatis et Patribus praesentibus (qui plerumque sunt minor pars Episcoporum orbis) per lectionem Litterarum convocationis; deinde concilium in congregationes dividitur, et commissiones constituuntur, quibus praeparatio et studium rerum in sessionibus publicis pertractandarum commendatur.

Penes solum R. Pontificem est jus, quod dicunt *initiativae*, seu introducendi quaestiones, ceteri enim procedere tantum possunt indirecte et per viam postulatorum;

jus pariter declarandi quaestiones sufficienter discussas, determinandi sessionum diem ac horam, atque transferendi, suspendendi aut disssolvendi concilium.

Deliberationes concluduntur per majorem partem suffragiorum assistentium cum voto *deliberativo* seu decisivo (1), quique decreta conciliaria hac subscribunt formula: *Ergo N. judicans subscripsi*; ceteri vero subscribunt ita: *Ergo N. consentiens subscripsi.*

IV. **Confirmatio.**—Conciliorum generalium singula decreta debent approbari et confirmari a R. Pontifice, ut vim habeant obligandi (Const. Pii IV *Benedictus Deus*, 26 Jan. 1563). Haec confirmatio tripliciter fieri potest: 1.° Quando Pontifex praesens adhaeret actis synodalibus, et cum Episcopis judicat et decernit. 2.° Quando expresse ea decreta confirmat per actum solemnem. 3.° Cum eadem recipit, laudat et executioni mandari jubet et curat; minime vero sufficiens est consensus datus a legatis praesidentibus nomine R. Pontificis, ex generali commissione illis facta. Aliquando tamen confirmatio potest haberi *antecedenter*, scilicet per mandatum speciale, non generale, si Concilium juxta instructionem Pontificis definierit. Haec potest dici confirmatio *anticipata.*

Demum, decreta conciliorum publicantur sub nomine Pontificis regnantis, cum formula adjuncta, *In Concilio*, aut *Sacro approbante Concilio*, si Papa est praesens; illo autem absente, publicantur decreta ipsius concilii nomine.

§ II.—DE CONCILIIS PLENARIIS

I. Natura. II. Convocatio, celebratio et confirmatio. III. Scholion de Conciliis nationalibus Hispaniae.

I. **Natura.**—Concilia plenaria dicuntur coetus legitimi Praelatorum unius regionis, ut dioecesis politicae Imperii Romani, unde et *dioecesani majores* appellati sunt; vel nationis, a quo nomen *nationalium* sumpserunt; vel plurium nationum unius regionis, quo casu nomen *plenarii* simpliciter retinent, sub praesidentia Patriar-

(1) Rigore tamen juris sufficeret pars minor, si Pontificis supremi auctoritas ipsi accederet.

chae, Exarchae vel Primatus, unde et *Primatialia* dicta sunt; vel antiquioris Metropolitani, aut Legati Pontificii ad negotia pertractanda, quae ad ipsam regionem vel nationem pertinent.

Inter ea eminent *generalia Orientis*, v. g., Constantinopolitanum a. 381; *generalia Occidentis* v. g., Arelatense a. 314; *pontificia*, quae praeside Papa vel delegato ex quampluribus episcopis Occidentis coacta sunt, v. g., Romanum a. 1059; Claromontense a. 1095, Turonense a. 1163. Haec concilia oecumenicis proxime accedunt. At maximam celebritatem nacta sunt Concilia *plenaria* in Africa, scilicet *Carthaginensia*, et in Hispania usque ad Arabum invasionem, scilicet *Toletana*, quibus Episcopi omnes Africae septemtrionalis aut regni Visigothorum stabili ratione sub archiepiscopis Charthaginensi vel Toletano convenerant. Simili ratione celebrati sunt toto aevo medio in Gallia, Germania, Anglia et Italia. Schisma Occidentis falsam theoriam de conciliis nationalibus suppeditavit, qua reges christianissimi abusi sunt, usque in hodiernam diem. Pius IX denegavit episcopis Germaniae et etiam Galliae facultatem concilia plenaria celebrandi (Resp. 17 Maj. 1849). Legitime vero coacta sunt hodiernis etiam temporibus, scilicet Baltimoriensia a. 1852, 1866, et 1884; Hyberniae a. 1875, Australiae a. 1885 et 1895, et nuper a. 1899 Romae concilium plenarium totius Americae Latinae, praeside tamquam Legato Pontificio Cardinale Vives.

II. **Convocatio, celebratio et confirmatio.**—Nec ex jure communi, neque ex jure particulari concilia plenaria et nationalia praescripta sunt, ac proinde unice ex delegatione Sedis Apostolicae suam accipiunt constitutionem et auctoritatem. Ut sint legitima debent convocari et dirigi a Delegato Apostolico, nec ultra delegationis limites aliquid ultra decernere; in ceteris vero, quoad ordinem, deliberationem, suffragia, dissolutionem et confirmationem vigent normae constitutae pro provincialibus.

III. **Scholion de conciliis nationalibus Hispaniae.**—Sunt qui affirmant Concilium Legionense a. 250 celebratum nationale fuisse; sed quidquid de illo sit, merito idem asseritur de celebrato Caesaraugustae a. 380; omnium tamen ante Toletana celeberrimum est *Illiberis* coactum a. 300. Toletana vero primatum jure meritoque in nostra obtinent historia, et in ipso jure canonico non parvum influxum exercent, cum plures illorum canones ab Ecclesia universali recepta sint. Ex de-

cem et octo Conciliis Toletanis, quatuor, 2^{m} nempe, 5^{m}, 11^{m} et 14^{m} provincialia, cetera vero nationalia vel plenaria extiterunt. Quoad characterem specialem Conciliorum nationalium Hispaniae dicendum: a concilio saltem Toletano VIII usque ad Burgense inclusive a. 1136 celebratum, non solum uti concilia, sed etiam uti regni comitia (*Cortes*) considerari, ipsumque regem et optimates adesse; tamen ante mauritanicam invasionem, magis conciliorum quam comitiorum naturam induere, et e contra post restaurationem.

§ III.—DE CONCILIIS PROVINCIALIBUS

I. Natura. II. Convocatio. III. Celebratio. IV. Confirmatio. V. Scholion de Conciliis provincialibus hispanis.

〈I. **Natura.**—Concilium provinciale dicitur legitimus Praelatorum unius Provinciae conventus sub convocatione et praesidentia Metropolitani, vel, ob ejus defectum, suffraganei antiquioris, ad agendum de negotiis ecclesiasticis totam provinciam concernentibus.〉

Varia fuit disciplina quoad tempus, locum, modumque celebrationis; sed hic de jure vigente solliciti sumus.

〈II. **Convocatio.**—Convocari debet a Metropolitano vero, post acceptum pallium singulis *trienniis* in loco ab ipso determinando; quam disciplinam vehementer instaurare cupit S. C. Concilii. Si vero Metropolita fuerit impeditus vel sedes metropolitana vacans, convocandum est a comprovinciali antiquiori ratione consecrationis, quamvis sit Episcopus in ceteris exemptus. In Italia metropolitae pro celebratione Conciliorum provincialium veniam Sedis Apost. vel S. C. Concilii impetrare debent, testibus De Luca et Sebastianelli (Conc. Trid. sess. 24, c. 3, de ref.; Epist. Leonis XIII ad Ep. Italiae 24 Aug. 1889).

〈Ad Concilium provinciale *vocandi* sunt et *assistere* tenentur cum voto decisivo Episcopi suffraganei, etsi nondum consecrati; Vicarii Capitulares provinciae; Episcopi *exempti*, qui ad hunc finem eam provinciam elegerint, ad hoc enim provinciam eligere tenentur, nisi degant in provincia Romana; Praelati vere *nullius* intra provinciam existentes, et juxta Card. Petra et Sebastianelli (Vol. I. p. 150) omnes *Praelati inferiores* exercentes jurisdictionem intra ambitum provinciae.〉

Impediti ex his procuratorem mittere debent, qui tamen nonnisi votum consultivum habebunt. Episcopi *titulares* in provincia constituti, si invitentur (non enim adest obligatio eos invitandi), et singuli Ordinarii comprovinciales in Concilio congregati consentiant, etiam habent votum decisivum.

Cum *voto consultivo* vocari vel admitti debent sive ex jure, sive ex consuetudine: 1.° Capitulorum Cathedralium procuratores, quamvis *inviti* compelli nequeant; 2.° procuratores Collegiatarum jurisdictionem quasi-episcopalem habentium, qui pariter compelli nequeunt (Bened. XIV *de Synodo* III, c. 1; C. 10 *de his quae fiunt*, etc.; S. C. C. 18 Jun. 1859); 3.° quamvis ex jure communi scripto non colligatur, ex consuetudine passim recepta invitandi etiam sunt alii praelati inferiores sive saeculares sive regulares intra provinciam degentes, v. g.: simplices Abbates, Abbates titulares et commendatarii vel Provinciales Ordinum religiosorum vel Congregationum religiosarum; sed his omnibus non incumbit *obligatio veniendi*, nisi ex consuetudine particulari, v. g. quoad Vicarios Generales, Vicarios in Pontificalibus, Praepositos, etc., aliud obtineat; nam vis harum consuetudinum roborata est verbis Tridentini ajentis, praeter episcopos ad Concilium provinciale convenire teneri «alios qui de jure vel consuetudine interesse debent».

Solent demum convocari, quamvis nulla adsit obligatio, plures theologi et canonistae, ut suis consiliis Patres adjuvent, et laici nobiliores, exclusis tamen auctoritatibus civilibus.

Quoad formam, sufficit ut convocatio fiat per edictum generale cum loci et temporis determinatione.

III. **Celebratio.**—1.° Concilium provinciale legitime constitutum censetur et potestate *ordinaria* in provinciam instructum, si praesit metropolita, vel, eo nolente aut non valente, comprovincialis antiquior, et si duae tertiae partes Praelatorum habentium votum decisivum conveniant.

2.° Fere iisdem solemnitatibus liturgicis ac oecumenicum celebratur, ac imprimis solemnem fidei professionem solent emittere omnes, quod quidem obligatorium est pro iis saltem synodalibus, qui prima vice Concilio provinciali intersunt (Conc. Trid. sess. 25, c.

2, de ref.). Episcopi sedent post praesidem secundum regulas praecedentiae. Schemata decretorum a metropolita et coëpiscopis solent praeparari et disceptari, tum in *commissionibus* sive specialibus sive generalibus, tum in Praelatorum comitiis cum voto decisivo; et tandem in sessionibus publicis solemniter approbantur, postquam nimirum majoritas suffragiorum obtenta fuerit; sed notetur metropolitae suffragium aliorum suffragiis non praeponderare, et Concilium non posse a Metropolita sine consilio et consensu suffraganeorum dissolvi (S. C. C. apud Fagnanum; Bened. XIV *de Synodo* l. XIII c. 2).

IV. **Confirmatio.**—Confirmatio pontificia de jure non est necessaria, neque in forma specifica generatim dari solet, si petatur; verum Metropolita nequit *valide promulgare* acta et decreta Concilii, quin ea ad S. Apostolicam transmiserit, ut Romae *recognoscantur* sive per S. C. C., sive per S. C. de Prop. Fide. Haec *recognitio* est proinde conditio *sine qua non promulgationis*, correctioque atque censura, et testimonium authenticum Superioris Concilium rite fuisse convocatum et celebratum, nec aliquid censura dignum, semel facta revisione vel correctione, apparuisse. Hinc decreta manent *Concilii decreta*, non pontificia nec universalia, nec vera et valida, si in se falsa et invalida vel injusta sint.

Revisione peracta, Metropolita debet ea *promulgare* saltem per *edictum generale*; post quam promulgationem statim universa provincia obligatur; decet autem ex hodierna disciplina, ut decreta Concilii provincialis infra semestre divulgentur in Synodis dioecesanis. Facta promulgatione ipse Metropolita obligatur, quin *solus* ea immutare, abrogare vel interpretari possit, nisi talem potestatem ipsi Concilium fecerit. Decreta vero conciliaria ab alio Concilio provinciali mutari poterunt, nisi in *forma specifica* fuerint a Sede Apost. approbata, tunc enim id non licebit ea inconsulta vel non consentiente.

V. **Scholion de Conciliis provincialibus Hispaniae.**—Inter antiqua Concilia provincialia Hispaniae percelebre, fuit 2.m hispalense, praeside S. Isidoro, a. 619 celebratum, et exinde quamplurima coacta sunt, Tarraconae praesertim, Toleti, Compostellae et Hispali. Anno 1565 alia celebrata sunt Granatae, Caesaraugustae et Valentiae Edetanorum. Sed deinceps paulatim in desuetudinem abiere ob injustum inter-

ventum, quem reges sibi in ipsis usurpabant. Nostris vero temporibus nonnulla celebrata sunt, Valentiae scilicet a. 1889, Hispali a. 1893, Vallisoleti a. 1894 et Burgis a. 1898.

§ IV.—DE SYNODIS DIOECESANIS

I. Natura. II. Convocatio. III. Celebratio. IV. Confirmatio. V. Scholion de synodis hispanis. VI. Scholion de aliis congregationibus clericorum.

I. **Natura.**—Synodus dioecesana est legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioeceseos aliisque, qui accedere ad eam tenentur, ad negotia curam pastoralem concernentia pertractanda, deliberanda et decernenda. Quare a synodis distinguuntur *conventus synodales* vel *conferentiae dioecesanae* vel *conventus cleri dioecesani*, qui specie tenus ad Synodum accedunt.

Solus Episcopus est proprie in ipsis legislator et judex; ceteri nonnisi suffragium *consultivum* habent in casibus a jure expressis, quin tamen Episcopus illud sequi teneatur, nisi, praeter consilium, *consensum* etiam ipsum jus requirat. Jamvero ex jure communi Episcopus debet *exquirere* consensum Capituli Cathedralis ad promulganda in synodo statuta dioecesana, quamvis generatim illud sequi non cogatur; in designandis *judicibus synodalibus* tenetur et sufficit audire consilium synodi; ad approbationem vero *examinatorum synodalium*, requiritur *consensus* majoris partis synodalium, inter quos enumerandi non sunt beneficiati, quoad duas postremas quaestiones (Pius VI Const. *Auctorem fidei*; S. C. C. 5 Jul. 1627 et 10 Sept. 1633; Conc. Trid. sess 25, c. 10 de ref.).

II. **Convocatio.**—1.° *Persona convocans.* Convocari potest: **a)** ab Episcopo residentiali confirmato sine licentia Archiepiscopi et sine praevio consilio Capituli cathedralis (S. C. C. 17 Maj. 1599), et verius etiam ante pallii receptionem, si sit Archiepiscopus, et, si praesit duabus dioecesibus aeque principaliter unitis, alternatim vel separatim in utraque pro lubitu (S. C. C. 11 Jan. 1783 et 24 Sept. 1649); **b)** a Vicario Generali ad id specialiter deputato (S. C. C. 4 Dec. 1653) et etiam sine

mandato speciali, si agatur de Cardinali Urbis Vicario; **c**) a Vicario Capitulari, sed nonnisi postquam annus elapsus fuerit ab ultima Synodo ab Episcopo celebrata (Bened. XIV *de Synodo*, l. II, c. 9, n. 5 et seqq.); **d**) a Praelato *nullius*, si privilegio apostolico speciali gaudeat; **e**) a Vicariis Apostolicis Missionum ad instar episcoporum, dum alteri tenori suarum facultatum stare debent (Collet. S. C. de Prop. Fide, n. 311).

2.° *Personae convocandae.*—Vocandi sunt et assistere tenentur: **a**) abbates non exempti tam saeculares quam regulares, intra dioecesim existentes (Conc. Trid. sess. 24 c. 2 de ref.); **b**) abbates exempti et Superiores conventuum, si Capitulo generali non subsint (Conc. Trid. l. c. et S. C. C. saepe); **c**) Superiores conventuum, qui ob non servatas conditiones pontificias Episcopis subjiciuntur (Bened. XIV. l. III. c. 2); **d**) parochi omnes et quicumque curam animarum exercent in dioecesi, tum saeculares cum regulares (Conc. Trid. ib.; Leo XIII Const. *Rom. Pontifices* a. 1881), imo et curati subditi Praelati *nullius* vicinioris, qui privilegium non habeat convocandi Synodum (S. C. C. 12 Febr. 1622); **e**) canonici ecclesiarum *Cathedralium*, atque saltem procuratores *Collegiatarum*, si hae extra locum sint, ubi synodus celebratur, quamvis nonnulli teneant contra sententiam, quae hodie verior existimatur, hos ad assistendum non obligari (Bened. XIV l. III, c. 4, n. 5).

Probabiliter, ut videtur inferri ex decisione Gregorii XIV ad instantiam Archiep. Hispalensis relata a Benedic. XIV (l. c. cap. 3, n. 3), etiam convocandus est *Vicarius generalis*, et, si convocetur, certe assistere debet. Decet etiam et expedit ut *Vicarii foranei* invitentur, et si id fiat, interesse debent. *Simplices beneficiati*, aliique clerici, quamvis vocari possint, accedere non tenentur, nisi ex consuetudine fuerit aliud observatum (S. C. C. 17. Mart. 1593 et 15 Dec. 1629), vel nisi agendum sit in Synodo de aliqua re totum clerum concernente, vel de intimandis Concilii provincialis decretis, et in edicto convocationis de his fiat mentio (S. C. C. 15 Dec. 1629). Possunt demum vocari, etsi non teneantur adesse, laici, si ex consuetudine aut ob specialia adjuncta eorum praesentia utilis esse possit.

Ex his omnibus personae convocatae, quibus obliga-

tio inest interessendi, obligationem etiam habent arbitrario non discedendi sine causa ab Episcopo cognoscenda; secus plecti possunt censuris, et, si regulares non sint, etiam mulctis pecuniariis (Conc. Trid. sess. 24, c. 2, de ref.; S. C. C. 17 Jan. 1604, 16 Jul. 1704 et alias); quin legitime absentes mittere possint *procuratores* (S. C. de Prop: F. 29 Jul. 1889), nisi consuetudo contraria invaluerit (S. C. C 16 Febr. 1889).

3.° *Tempus et locus convocationis.*—Per se quolibet anno convocari debet (Trid. sess. 24, c. 2 de ref.). Sed S. C. C. hanc obligationem non solet urgere, nisi quando dioecesis bonum convocationem exigit. Locus debet esse jurisdictioni Episcopi subjectus, et ubi nullum obstet impedimentum maxime expedit ut illam convocet apud Cathedralem Ecclesiam (S. C. C. 17 Maj. 1636).

III. **Celebratio.**—1.° *Constituta* Synodus legitime celebratur, si post convocationem rite factam, numerus sufficiens convocatorum conveniat, qui clerum dioecesanum repraesentare possint, et nemo, qui jus habeat accedendi, repellatur.

2.° *Priusquam celebratio inchoëtur* ab Episcopo plures officiales deputantur: alii necessitate; ut **a)** *Promotor*, cujus est actiones synodales urgere et curare, ut omnia prompte et legitime in Synodo gerantur; **b)** *Secretarius* ad edicta aliasque scripturas componenda; **c)** *Notarius*, cujus est acta et instrumenta authentica Synodi conficere; **d)** *Magistri caeremoniarum*, ut observantiam curent rituum et caeremoniarum in actibus synodalibus, et **e)** *Procurator Cleri*, qui aliorum nomine exponit in Synodo cleri dioecesani vota et postulata. Alii deputantur ex convenientia, uti *Judices querellarum* et *excusationum*, disciplinae et hospitiorum *Praefecti*, concionatores, confessarii, aliique ministri inferiores.

3.° *Sedere* debent in Synodo juxta regulas generales praecedentiae et particulares consuetudines; v. g.: Episcopus, Vicarius generalis, Capitulum Cathedrale, Capitulorum collegiatorum procuratores, Vicarii foranei, parochi, beneficiarii, ceteri clerici, religiosi.

4.° *Quoad caeremonias et ritus* standum est Pontificali et Caeremoniali; sed decet praesertim, ut omnes cum Episcopo professionem fidei emittant, quamvis non omnes obligentur.

5.° *Quoad modum procedendi*, ex praxi recepta jam ante Synodum, celebrantur congregationes praesynodales; in ipsa vero Synodo praeter sessiones solemnes habentur etiam congregationes generales synodalium et commissiones particulares, ubi nihil obstant moderata discussio et consultiva suffragatio.

6.° *Synodi objectum*, quod ipsius determinat competentiam, hoc est: a) Reformare vel roborare disciplinam, tum quoad divinum cultum, tum quoad mores, quin tamen jus commune aut provinciae laedatur. b) Designare sex saltem *examinatores synodales*, qui jurabunt «se fideliter munus executuros examinandi cum Episcopo clericos in concursum parochialem advenientes, quin aliquid exinde accipiant citra simoniae labem, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis et ad alia inhabiles declarentur; reddituri ceteroquin rationem in synodo provinciali, si contra officium quid admiserint» (Conc. Trid. sess. 24, c. 18 de ref.). c) Designare personas idoneas, quatuor saltem, inter dignitates, personatus aut canonicos Ecclesiae cathedralis (c. 11 *de Rescript.*), quibus delegatio ad judicium proferendum committi possit a quolibet legato aut nuntio, aut etiam ab Apostolica Sede. Siqua ex illis decedat, Episcopus de Capituli consilio aliam substituere potest usque ad futuram Synodum (Conc. Trid. sess. 25. c. 10 de ref.). Hae personae electae in Synodo *judices synodales*, electae vero in substitutionem extra Synodum *judices prosynodales* appellantur.

IV. **Confirmatio.**—Ex eo quod de jure constitutiones synodales *edi* possint requisito tantum Capituli consilio, inductum est, ut in synodo dioecesana nemo subscribat, nisi solus Episcopus, qui solus etiam cum ejusdem Capituli consilio publicare potest Synodi decreta, quin ulla adstringatur obligatione ea transmittendi ad S. Congregationem Concilii, ejusque spectandi judicium. Eadem S. C. rogata ut recognosceret acta Synodi Strigoniensis, die 17 Jun. 1645 respondit: se non consuevisse recognoscere et approbare nisi synodos provinciales ex Const. Xysti V, et quod idcirco Episcopus uteretur jure sibi ex S. Concilio competente. Ita communiter contra De Luca, Van-Espen et Pillet. Promulgatione facta *illico* decreta obligant et quidem perpetuo donec legitime revocentur.

Si quis ex illis se gravatum sentiat potest appellare ad S. C. C., sed ut plurimum in devolutivo tantum.

V. **Scholion de Synodis hispanis.**—Celebriores synodi dioecesanae in Hispania fuere Compostellanae, Legionenses, Salmaticenses, Cordubenses et Gaditanae. Sed ob easdem causas ac Concilia provincialia in desuetudinem abiere. Hodiernis vero temporibus primus earum instaurator fuit Archiepiscopus Antonius M.ª Claret, nostrae Congregationis Fundator, qui die 7 Apr. 1852, cum uti Metropolitanus regeret ecclesiam S. Jacobi de Cuba, in capite dioeceseos Synodum habuit, in qua plura sapienter sunt statuta, et deinde, cum Matriti munus Confessarii regii exerceret, valde contulit ad conventionem Concordato additam die 4 Apr. 1860, in qua Gubernium hispanum S. Sedi spondebat se nullum obicem positurum celebrationi synodorum dioecesanarum, cum praelati eas judicent convocandas. Ex quo factum est, ut plures exinde celebratae sint; inter quas Gerundiensis 17 Jun. 1863, Giennensis 15 Maj. 1872, Gaditana 15 Febr. 1882, Barcinonensis 20 Oct. 1890, Compostellana 12 Jul. 1891, Legionensis Maji 1893.

VI. **Scholion de aliis congregationibus clericorum.**—Olim Archidiaconi et Archipresbyteri, sive decani rurales cum clericis suorum districtus synodos etiam seu congregationes archidiaconales et archipresbyterales celebrabant, in quibus pro potestate sibi concessa statuta condebant; sed hujusmodi *synodi archidiaconales* jam pridem in desuetudinem abierunt, et congregationum archipresbyteralium aliqua tantum in *capitulis ruralibus* reperiuntur vestigia. Sed nostra aetate magni momenti sunt *conferentiae pastorales* seu collationes morales, quarum speciem a saec. IX aliquibus in regionibus, puta in Gallia, invenimus, quaeque principaliter ad fines *asceticos* et *pastorales* ab a. 1565 per S. Carolum inter clericos introductae ex Italia etiam in alias regiones propagatae sunt. Pluribus in dioecesibus singulis saltem mensibus (kalendis generatim) modo obligatorio ordinatae sunt, et quidem episcopi possunt praecepto obligare ad illas frequentandas parochos et curatos etiam regulares vel exemptos, confessarios aliosque de clero saeculari (S. C. C. 3 Sept. 1650; Benedictus XIV Const. *Firmandis* 6 Nov. 1744, et Leo XIII Const. *Rom. Pontifices* 8 Maj. 1881); simplices vero confessarios *regulares* tantum invitare queunt (S. C. C. 16

Mart. 1692).—In Hispania magnopere contulit opere et sermone ad has conferentias pastorales inter clerum instaurandas Ven. Claret, qui in sua Archidioecesi S. Jacobi de Cuba miro modo eas ordinavit.

ARTICULUS II.

DE COLLEGIIS ORDINIS SENATORII

Ista sunt: sacrum collegium S. Romanae Ecclesiae Cardinalium et capitula canonicorum. De unoquoque sigillatim verba faciemus.

§ I.—DE CARDINALIUM COLLEGIO

I. Quid sint. II. Ipsorum origo. III. Ordo et numerus. IV. Eorumdem electio. V. Jura, privilegia, insignia et honores. VI. Jura utilia. VII. Officia. VIII. Amissio Cardinalatus. IX. Scholion de quibusdam speciebus Cardinalium.

I. **Quid sint.**—Ecclesiae *Cardinales* sunt clerici senatum constituentes Romani Pontificis, cujus sunt eminentes consiliarii et adjutores in administranda Ecclesia universali, et quem supplent et eligunt sede vacante.

II. **Origo.**—Ipsorum origo repetenda est ex antiquo presbyterio Romano, in quo partes praecipuas habebant 25 presbyteri titulares, seu rectores ecclesiarum parochialium Urbis et septem diaconi *regionarii*, quibus cura specialis circa egenos et infirmos in determinatis locis erat commissa. His jam tempore Gregorii Magni accesserunt quinque novi diaconi regionarii et quatuor *palatini* cum ipsorum Archidiacono. Hi nempe cum Episcopis suburbicariis saeculo VIII vel IX adjectis assumi coeperunt stabiliter a Romanis Pontificibus ut proprii Consiliarii, non solum ad dioecesis romanae, quin et ad totius Ecclesiae regimen et ut tales paulatim sunt honoribus et juribus aucti.

3.° **Ordo et numerus.**—Triplex est Cardinalium ordo; episcoporum, nempe, presbyterorum et diaconorum. Ex *primo* ordine 6 nunc adsunt Cardinales scilicet: Episcopus Ostientis; Portuensis (cujus sedi unitus fuit a Callixto II episcopatus Sylvae Candidae seu S. Rufinae, sicut ab Eugenio III Veliternus unitus fuit Ostiensi);

Tusculanus; Sabinus; Praenestinus, et Albanensis. Ex ordine presbyterorum sunt 50, et 14 ex diaconorum ordine, quamvis fere numquam de facto Cardinalium numerus completus existat. Singuli ordines proprias ecclesias adsignatas habent; episcopales autem vocantur *sedes suburbicariae*, presbyterales *tituli*, et diaconales *diaconiae*, et communi vocabulo *tituli cardinalium*. Numero tamen cardinalium non adamussim respondet numerus titulorum et diaconiarum Urbis, nam tituli sunt 54 et diaconiae 16. Cardinales diaconi postquam decennium in proprio titulo transegerint, possunt *optare* ad titulum presbyteralem (Clemens VIII Const. *Sanctissimus*) et in hoc ordine obtinent praecedentiam super reliquos Cardinales presbyteros post se creatos. Etiam antiquior e presbyteris praesens in Curia habet *jus optionis* ad sedem suburbicariam vacantem; sed hae optiones fieri debent in Consistorio et de consensu Rom. Pontificis. Sedes tamen Ostiensis Decano Sacri Cellegii, idest antiquiori Cardinali Episcopo, et Portuensis Subdecano, seu antiquiori ex ordine episcopali post Decanum.

Non tamen semper fuit idem numerus Cardinalium, titulorum et ordinum. Nam habiti sunt cardinales *Subdiaconi*, imo *Acolythi*. Tituli vero olim fuerunt octo pro episcopis, pro presbyteris vero 25 sub Dionysio papa, sed generatim medio aevo ex hoc ordine fuerunt 28, et diaconales pariter uti diximus. Ipsi vero cardinales circa annum 1118 tres supra quinquaginta recensebantur. Tempore, quo Pontifices Avenione commorabantur vigesimum numerum non excedebant: Concilia Basileae et Constantiae prohibuerunt ne ultra 24 Cardinales crearentur; sed Leo X, occasione nacta conjurationis ab uno ex Cardinalibus in ipsum a. 1517 excitatae, et suspectae fidei reliquorum, 31 Cardinales una electione creavit. Demum Xystus V in Const. *Postquam verus* 3 Dec. 1586 septuagenarium numerum Cardinalium fixit ad instar 72 seniorum, quos Deus Moysi adjutores et consiliarios dedit. Ipsemet adjunxit titulum *S. Laurentii in Damaso*, qui, si obtineatur a Card. Diacono, est ordinis diaconalis, si a Card. Presbytero est ordinis presbyteralis, et si a Card. Episcopo datur in Commendam.

IV. **Cardinalium electio seu creatio.**—Duo videnda sunt: 1.° quinam sint elector et eligendi; 2.° forma qua creantur.

1.° *Quinam sint elector et eligendi.*—Cardinales a Papa exclusive eliguntur seu creantur, etiam sine consilio Cardinalium. *Eligendi* juxta Tridentinum (sess. 24, c. 1 de ref.) easdem ac Episcopi qualitates habere debent, imo excellentiores, et ex omnibus mundi partibus, *quantum commode fieri poterit*, debent creari. Aetas requiritur 22 a., ita ut intra annum creationis diaconatum recipere possint.

Juxta Xystum V in Const. *Postquam* supra citata, «non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia magistri, praesertim ex Regularibus et Mendicantibus assumendi (ad Cardinalatum), saltem quatuor, nec pauciores».

Promoveri nequeunt illegitimi, licet legitimati per subsequens matrimonium; nec qui nondum sint clerici; nec bigami; neque qui primo vel secundo consanguinitatis gradu alicui Cardinali adhuc viventi sunt conjuncti; nec qui filios habent, etiam ex legitimo matrimonio ortos, nec irregulares, etsi dispensati sint a Papa; sed haec omnia intelligenda sunt, salva praerogativa Rom. Pontificis aliter operandi.

2.° *Forma electionis.*—Nulla definita forma necessario observanda est in Cardinalium promotione; sed fieri solet in Consistorio secreto, et simul ac in ipso pronuntiati sunt, perfecte creati quoad essentiam dignitatis intelliguntur, ita ut habeant vocem in electione Romani Pontificis. E contra Cardinales reservati in pectore, seu quorum nomina reticentur quum primo in Consistorio creantur, nullum jus ut Cardinales habent, donec eorum nomina in alio Consistorio vel alio modo (1) determinato a Pontifice, publicentur, sed facta publicatione retrotrahitur creatio ad diem, in qua cum illa reservatione creati fuerunt (Decr. S. Pii V 26 Jan. 1571 et Allocutio Consist. Pii IX 15 Mart. 1875).

Quoad alios ritus, si noviter promoti reperiantur in Urbe,

(1) Publicari etiam possunt, jubente Papa, post ipsius Papae mortem, quod fecerunt Paulus II et Paulus III et facere constituerat Pius IX in Allocutione 15 Mart. 1875; omnino autem expedit ne publicatio fiat per codicillos vel testamentum, hae enim de causa quatuorviri creati a Paulo II et alter creatus a Paulo III inter Cardinales recepti non sunt.

eodem quo prius utebantur habitu, ad aulam apostolicam nullo assumpto comitatu se conferunt, ibique ab aliquo ex antiquis Cardinalibus recepti S. Pontifici offeruntur, qui birreto rubro eos insignit, et postea publicum indicitur Consistorium pro eis tradendo galero rubro, principali dignitatis insigni. In eodem Pontifex os eis claudit et in alio aperit, eisque annulum tradit, titulum assignat et adscribit nonnullis Congregationibus. Si promoti absentes sint a Curia ad eos mittitur birretum rubrum, sed ante ejus receptionem jurare debent intra annum se accessuros ad Limina Apostolorum sub poena inhabilitatis et privationis Cardinalatus.

V. **Cardinalium jura, privilegia, insignia et honores.**—1.° *Quoad jura.* **a)** *Sede plena* sunt consiliarii Romani Pontificis (ministerialiter tamen), qui libere eorum utitur opera in Consistorio, Congregationibus, dicasteriis inferioribus et specialibus commissionibus. **b)** *Sede vacante* non transit in eos jurisdictio suprema in Ecclesia, nisi ad necessaria et urgentia; praecipua vero potestas est jus eligendi Rom. Pontificem. **c)** *Sede impedita*, v. g., ob captivitatem Rom. Pontificis, jure scripto potestas Cardinalium definita non est. **d)** *Ad proprios titulos* quod attinet, praescindendo a Cardinalibus Episcopis suburbicariis, qui in propriis sedibus eadem potestate et obligationibus afficiuntur ac ceteri Episcopi, lege residentiae excepta, Cardinales presbyteri et diaconi antiquitus habebant jurisdictionem quasi-episcopalem, quam eis sustulit Innocentius XII per Const. *Romanus Pontifex* 17 Sept. 1692. Integra tamen remanent eorum jura honorifica et pontificalia, et insuper provisio beneficiorum, quae exstent in illis ecclesiis, et collatio tonsurae et ordinum minorum clericis illarum vel suis familiaribus, si de Cardinalibus presbyteris sermo sit, quamvis in praxi hoc jure non utantur. Etiam concedere possunt in ecclesiis suorum titulorum 300 dies indulgentiarum (Pius X per Decr. *Urb.* et *Orb.* S. C. Ind. 28 Aug. 1903).

2.° *Quoad privilegia.* Praeter ea, quae generatim Episcopis conceduntur, uti privilegium oratorii, suffragii decisivi in Concilio oecumenico, etc., **a)** ipsi tantum mittuntur ut legati a latere; **b)** a solo Papa judicari possunt; **c)** qui eos insectantur, etc., ipsorumque complices fiunt infames aliisque poenis vindicativis uti rei laesae majestatis, et excommunicationi speciali modo reserva-

tae R. Pontifici subjiciuntur; d) regulis Cancellariae nisi eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel eorumdem majoris partis consilio editae fuerint, vel de illis expressa mentio fiat. Alia plura inde deducunt auctores et praxis firmat; v. g.: exemptio a taxis beneficialibus, a processu informativo et juramento fidelitatis et exhibitione litterarum apostolicarum, si ad ecclesiam cathedralem promoveantur; quia verbis ipsorum fides omnino adhibenda est uti principibus, etiam cum dicant aliquid fuisse actum in praesentia Papae vel sibi mandatum a Papa vivae vocis oraculo.

3.° *Quoad insignia et honores.* Sicut dignitate omnibus praeter Papam praecellunt, ita purpurâ, quae apud Romanos Regibus propria erat, decorantur, et birretum rubrum, rubrumque galerum jus ferendi habent; Paulus II illis concessit rubrum pileum, et *rubrum pannum* quo equitantes sternerent equos. Ex regularibus vero assumpti uti non debent veste purpurea, sed vestibus coloris suae religionis, cum pileo tamen et birreto rubri coloris. Praeterea, juxta Decr. Urb. VIII 18 Jun. 1630 ad ipsos exclusive pertinet titulus *Principis* et *Eminentiae*, et *Eminentissimi* sunt appellandi ad modum electorum ecclesiasticorum imperii; quia *regibus* aequiparantur, quibus in Capella et in Consistorio assignatur locus post primum Cardinalem Episcopum (Cardinalis enim decanus ipsis Regibus, praeter Imperatorem a Papa coronatum, antecellit), quosque *fratres* vocant. Praeter has praerogativas et usum mitrae sericae damasci et instrumenta pontificalia, ut crux, annulus, baldachinus cardinalitius, etc., maxime commendanda est praecedentia, qua fulgent supra omnes dignitates ecclesiasticas immediate post Rom. Pontificem. Tanti censetur dignitas cardinalitia, ut juxta Breve Innoc. *Militantis,* ipsis prohibeatur superimponere armis gentilitiis pileum cardinalitium, quamvis prosapia dignitateque saeculari praecellerent.

VI. **Jura utilia.**—Haec praecipue sunt: 1.° Jus ad congruam pensionem 4.000 scutatorum, si aliunde reditus sufficientes non habeant. 2.° Jus participandi in *rotulo cardinalitio*, qui a Cardinali Camerario Sacri Collegii distribuitur cardinalibus residentibus aut legitime praesentibus in Curia. 3.° Incompatibilia beneficia retinent, quae decent eorum di-

gnitatem, quaeque *commendae* titulo possideri solent; beneficia vero suorum familiarium quis impetrare nequit sine eorum consensu. 4.° Testamentum condunt per privatam syngraphan, omissis testibus, quos Jus Civile desiderat, (quamvis Jura Civilia hodierna nullum circa formam testandi privilegium cardinalibus agnoscere solent).

VII. **Cardinalium Officia.**—Obligantur ad vigilantiam et correctionem paternam exercendam in propriis titulis; ad legem residentiae, juxta dicenda in Libro secundo; ad Papam adjuvandum in regimine totius Ecclesiae etiam, si opus fuerit, usque ad effusionem sanguinis; et mortuo Papa, Conclave ingredi tenentur, et ibi degere, donec electio novi Papae perficiatur.

VIII. **Amissio Cardinalatus.**—Amittitur fere omnibus modis quibus beneficia majora. Hinc *privationi* et *depositioni* subjiciuntur auctoritate Rom. Pontificis, etiam sine consensu Synodi aut aliorum Cardinalium. Ipsemet Pontifex potest eos *restituere*, uti de facto duos restituit Leo X, et Cardinalem D' Andrea ad privilegia Cardinalium noviter admisit Pius IX (Acta S. Sedis, vol. III, p. 322, 380 et seqq.).

IX. **Scholion de quibusdam speciebus Cardinalium.**—1.° *Cardinales nati*, qui promotione ad certas sedes cathedrales vel conventuales propter privilegia apostolica sint ipso facto cardinales, quasi dignitas cardinalitia adnexa sit sedi ad instar muneris Legatorum natorum, neque ex jure antiquo, neque ex jure novo existunt. Ita Scherer et Hinschius contra alios.

2.° *Cardinales Protectores* triplicis classis sunt: **a)** *protectores locorum piorum*, v. g., alicujus Ecclesiae, Monasterii, Capituli, Seminarii, Confraternitatis, Piae Unionis, Oratorii privati, Xenodochii, etc., quibus horum locorum *protectio* a Papa commendatur per litteras pontificias, aliquando cum vera jurisdictione in ipsa loca, frequentius cum sola potestate domestica ad normam statutorum loci pii exercenda, et nonnumquam solo munere defendendi commisso. **b)** *Protectores regnorum* seu nationum, quibus a supremis imperantibus regnorum catholicorum committi solebat specialis protectio negotiorum, quae ad religionem in respectivis regnis spectabant, quum agebantur apud S. Sedem. Cum facile hujusmodi protectiones abusibus locum dare possint, mirum esse non debet, si aliquando nimis severe ab Auctoribus atque ab ipsis RR. Pontificibus judicatae fuerint, ut a Thomasini (*Nova et Vetus Ecclesiae disciplina*, p. I, lib. II, cap. 114), ab Urbano

VI et Martino V. His tamen non obstantibus, anteactis praesertim temporibus, praecipuae nationes catholicae in usu habebant nominandi Cardinales Protectores penes Sanctam Sedem, et, quamvis auctores communiter teneant hodie non amplius existere, tamen de facto nunc Emmus. Cardinalis Vincentius Vannutelli Protector est Regni Lusitaniae (Vid. *La Gerarchia Cattolica* Romae edita ultimo die a. 1902, p. 138). Hae regnorum protectiones non sunt confundendae cum illis quae conceduntur ab ipsis Rom. Pontificibus; quarum exemplum habetur in Brevi *Sacrosanctum Apostolicum* ministerium, die 10 Apr. 1624, quo Urbanus VIII nominat tres Cardinales «in Archiepiscoporum, etc., Episcoporum necnon cleri et populi Maronitarum hujusmodi apud Nos et sedem eamdem (Apostolicam) Protectores». Similiter post infaustum schisma anglicanum nominati fuerunt Cardinales Protectores pro Anglia, Scotia et Hybernia. (Cf. *Analecta Ecclesiastica* Jan. 1903, p. 40 et seqq.). **c)** *Protectores* demum existunt Cardinales *Ordinum Regularium* et *Congregationum religiosarum*, qui nullam proprie habent jurisdictionem, nisi ex mandato speciali Rom. Pontificis aliud in peculiari quodam casu dicendum sit, et quorum officium est Ordinem suae curae commissum in quieto et pacifico statu conservare et augere, eumdem adversus impugnatores et molestantes tueri, et cum regulis prudentialibus magis quam jurisdictionalibus invigilare, ne superiores in subditos justo severius agant, eosque non forma facti gregis ex animo, sed quasi dominantes, opprimant (Cf. Const. Innoc. *Christi fidelium* 17 Febr. 1694).

3.° Cardinales dicti *de Corona*, qui sunt creati ad supplicationem supremi Imperantis pro aliqua natione. Ita Hispaniae ordinario quatuor et Galliae septem competunt, quamvis aliquando illa quinque, haec octo habuerit.

§ II.—DE CAPITULIS CANONICORUM

I. Capituli natura. II. Species capitulorum et canonicorum. III. Constitutio capitulorum. IV. Dotes in canonicis requisitae. V. Canonicorum jura et officia. VI. Jura interna capitulorum. VII. Officia interna capitulorum. VIII. Jura capitulorum uti senatuum episcoporum. IX. De Vicario capitulari. X. Scholion de capitulis in Hispania.

⟨I. **Capituli natura.**—Capitulum⟩ *sensu lato* est collegium clericorum alicujus ecclesiae auctoritate ecclesiastica institutum ad cultum divinum, vel alias functiones ecclesiasticas exercendas. *Stricte* vero ⟨est

collegium canonicorum seu capitularium ecclesiae cathedralis vel collegiatae. *Strictissime* est collegium clericorum cathedralium. Quoad *nomen* capitulum interpretatur uti parvum caput dioecesis vel uti collegium, ubi capitatim membra dijudicant.

Canonici vero dicti sunt a *canone* seu matricula Ecclesiae, in qua adscribebantur, vel a canone seu regula, quae saeculo IV usque ad XI vitam ipsorum communem moderabatur. Quoad *rem* canonici sunt clerici insignes seu majores dioecesis, qui cum episcopo unum corpus efficiunt et divino cultui ab Ecclesia addicuntur.

Tum canonici, cum capitula (de cathedralibus praesertim loquimur) originem habent ab antiquo presbyterio et ministerio civitatum episcopalium.

II. **Species capitulorum et canonicorum.**—1.° *Capitula* dividuntur: **a)** ex *fine et loco* in *cathedralia* et *collegiata*, quorum illa principaliter in adjutorium Episcopi et secundario ad cultum in ecclesia cathedrali; haec e contra principaliter ad cultum ordinantur per servitium chori extra ecclesiam cathedralem: *collegiata* ulterius alia sunt *insignia* quae talia enuntiata sunt a Papa in Bulla erectionis vel pro talibus communiter existimantur ob loci conditionem, aedificii praestantiam, numerumque canonicorum aliasque circumstantias, et alia *non insignia*; **b)** in *saecularia* et *regularia*, prout clero saeculari vel regulari adscribantur canonici; **c)** in *exempta* et *non exempta* ab Episcopi potestate; **d)** in *numerata* et *non numerata*, sive *clausa* et *non clausa* seu *receptiva*, quatenus capitulum ad certum numerum canonicorum adstringitur vel minus, eo quod sit facta vel non praebendarum divisio singularis, et **e)** ratione ecclesiarum in *simplicia* et *duplicia*, *metropolitana* et *suffraganea*.

2.° *Canonici* pariter distinguuntur: **a)** in *majores* seu *cathedrales* et *collegiales*; **b)** in *saeculares* et *regulares*; **c)** in *numerarios* et *supernumerarios*; **d)** in *exemptos* et *non exemptos*; **e)** sed maxime attendenda est divisio ratione *officii* in *dignitates*, *personatus*, *officia* et *simplices canonicatus* (1). Sane *dignitates* erant quae jurisdictio-

(1) Ex usu vel abusu particularium ecclesiarum obtinet etiam distinctio in canonicos seniores et juniores, capitulares et domicellares sive emancipatos, sive non emancipatos vel scholares; cano-

nem in foro externo habebant, *personatus* qui praerogativa honoris gaudebant, *officia* quibus cura animarum vel aliqua administratio annexa erat, et *simplices canonici*. Hodie, quae *Dignitates* vocantur, fere ubique non sunt nisi *personatus;* et jure communi vigente non adsunt alia *officia*, praeter canonicum *poenitentiarium* et canonicum *theologum*, qui adesse debent ex praescripto Tridentini in singulis Cathedralibus; et *theologus* etiam in Collegiatis insignibus (Sess. 24, c. 8 de ref.; et sess. 5, c. 1 de ref.).

III. **Constitutio Capitulorum**.—1.° Ad constitutionem capitulorum tria saltem requiruntur membra; at jura Capituli semel rite erecti non desinunt, dummodo, ut accidit in aliis collegiis, unum saltem membrum supersit. Erectio vero uni Romano Pontifici est reservata.

2.° Capitula sunt collegia *inaequalia*; unde communiter recepta est, licet parum definita, gradatio supracitata in *dignitates*, *personatus*, *officia* et *canonicatus*. In disciplina vigente et de rigore juris nec Episcopus nec coadjutor vel auxiliarius, nec Vicarius generalis sunt de capitulo ratione muneris; dum *dignitates*, hodie saltem, sunt de capitulo (S. C. C. 3 Apr. 1841), uti personatus et canonici proprii. Gradatio, praecedentia, numerusque capitularium hodie repeti nequeunt ex jure communi, sed particularia jura et consuetudines capitulorum, dioecesium vel regnorum attendenda sunt; quorum varietas jurium rata habita est a Concilio Tridentino et a modernis Conventionibus.

Dignitates hodie magis receptae sunt: Decanus, Praepositus, Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius et Scholasticus et Cantor, Custos et Sacrista sive Thesaurarius. *Officia* communiter recepta sunt canonici theologi et canonici poenitentiarii; at non sunt *officia* proprie dicta, sed tantum specialia munia certis canonicis commissa, Punctatores qui canonicos absentes a choro notant, Caeremoniarum Magistri et Hebdomadarii.

Extra canonicorum gremium habentur *beneficiati*, *mansionarii*, *portionarii*, *participantes*, quin et canonici *supernume-*

---

nicos in floribus et fructibus, in pulvere, in herbis, praebendatos vel semipraebendatos, residentiales et forenses, de gratia et officio, sacerdotales, diaconos et subdiaconos (Sneider, *D. bisch. Domkap.* p. 62 et seqq., 203 et seqq.).

rarii vel *coadjutores* perpetui seu cum jure successionis vel expectativa ad praebendam proxime vacantem. A capitulo a *fortiori* excluduntur canonici *honorarii*, qui nec expectativas, nec canoniam seu officium canonicale habent, sed nomen et honores et stallum canonicorum in choro.

De officio ipsorum non prosequor, dicam cum B. Raymundo in Summa, quia fere quot sunt ecclesiae tot sunt consuetudinum varietates. Ita *Decanatus* est prima dignitas in Hispania, Lusitania et America, dum in Bavaria est secunda; *Archidiaconatus* habet in Gallia et Italia primum, in Austria saepe tertium locum; *Praepositus* in Germania aliis praeferri solet.

Origo dignitatum et aliorum canonicatuum repetitur partim a vita communi, partim a regimine dioecesis, partim a cultu ecclesiarum antiquarum. *A vita communi* ortum habuerunt Abbates, Priores, Praepositi, Decani et officia Janitoris, Camerarii, Cellarii, Hospitalarii, Eleemosynarii, Infirmarii; *a regimine dioecesis* Archidiaconi, Archipresbyteri et Scholastici; *a cultu* tandem Sacrista, Custos, Cantor et minora servitia.

IV. **Dotes in canonicis requisitae.**—In promovendis ad canonicatum, praeter aliis beneficiariis communia, necnon et ea quae pag. 190 et seqq. dicta sunt, requiritur cantus ecclesiastici peritia, et scientia sufficiens ad officium consiliarii Episcopi adimplendum. Hinc exoptat Tridentinum (sess. 24, c. 12 de ref.) ut saltem medietas canonicorum Cathedralium et Collegiatarum insignium Theologiae vel Canonum lauream licentiamve possideat (Sess. 24, c. 12 de ref.; sess. 23, c. 12 de ref.).

Canonicus *poenitentiarius* debet esse doctor aut licentiatus in theologia vel in jure canonico, et annorum 40 incoeptorum (S. C. C. 25 Jun. 1890); vel alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur. Ejus officium est confessiones audire, ad quas excipiendas paratus semper esse debet horis, loco, sede, arbitrio Episcopi opportunis (S. C. C. 21 Apr. 1587).

Canonici *theologi* munus est S. Scripturam legere vel explicare in Ecclesia vel Seminario, arbitrio Episcopi. Sed non satisfacit muneri suo, si loco interpretandi S. Scripturam, doceat Theologiam (Encycl. Greg. XVI *Inter praecipuas* a 1842; S. C. C. 2 Sept. 1876 et 16 Dec. 1882). Ex praxi recepta a S. C., satisfacit muneri suo, si legat quadragies singulis annis Sacram Scripturam in cathedrali vel collegiata Ecclesia (S. C. C. 10 Jun. 1876 et 25 Jul. 1891). In Italia debet esse Doctor in S. Theo-

logia, vel lauream intra annum a capta officii possessione recipere (Bened. XIII, Const. *Pastoralis* 1 Jun. 1725). In Hispania Doctor vel Licentiatus in eadem.

V. **Canonicorum jura et officia.**—1.° *Jura.* Habent; **a)** locum et votum in capitulo, si *in sacris* sint ordinati; **b)** stallum seu sedem in choro, etsi honorarii sint; **c)** jus percipiendi fructus praebendae et distributiones quotidianas, servatis de jure servandis; **d)** praeeminentiam prae aliis clericis etiam collegiatae, unde in judices delegatos prae ipsis eliguntur; **e)** praecedentiam super alios clericos, si capitulariter incedant, vel delegati sint a Capitulo, aut Episcopum comitentur (S. C. R. 8 Jul. 1602); **f)** insignia honorifica; v. g.: annulum, insigne capituli, indumenta specialia capituli, ipsa interdum pontificalia, titulos insignes, etc.; verum solus Rom. Pontifex talia insignia concedere valet, et canonici alicujus minoris basilicae vel collegiatae *Urbis* iis tantum uti possunt intra ambitum ejusdem ecclesiae vel ipsius filiarum, et canonici omnes tantum intra dioecesim propriam, non extra illius territorium (Leo XIII, Const. 31 Jan. 1894).

2.° *Officia* canonicorum: **a)** professio fidei (remissive); **b)** residentia (remissive); **c)** Missa conventualis quotidie juxta turnum constitum pro benefactoribus Ecclesiae celebranda cum assistentia aliorum dignitatum et canonicorum; **d)** servitium chori (remissive); **e)** assistentia deliberationibus capitularibus et acceptatio munerum compatibilium, et **f)** assistentia et associatio Episcopi (infra).

3.° Praeter haec jura et officia communia, *Dignitatibus* competunt *praecedentia* prae aliis et *exercitium pontificalium*, quod, impedito Episcopo, ad *primam* dignitatem defertur, quae pariter officio fungitur presbyteri assistentis Episcopo solemniter celebranti; aegrotanti Episcopo Viaticum defert, mortui tandem funeraria celebrat (Caerem. Episc. I, c. 26; II, c. 38; S. R. C. 19 Sept. 1859 et 9 Sept. 1883). Ceteri vero pro diversitate munerum diversa habent officia et jura. Hic tantum superest notandum canonicum *curatum* habere curam actualem paroeciae cathedrali unitae, ita ut nec prima dignitas nec capitulum in curam animarum, quam habitu retinent, sese ingerere possint (S. C. C. 3 Apr. 1897).

VI. **Jura interna capitulorum.**—Capitula cathedralia et collegiata pollent omnibus juribus, quae ex natura rei vel jure disponente competunt omni legitimo collegio ecclesiastico. Capitulum proinde explicat, universam actionem *socialiter* seu *capitulariter*, videlicet; per comitia legitima quoad *convocationem*, *adunationem* et *suffragationem*.

1.° *Convocatio.*—**a)** Jus convocandi capitulum *ordinarie* spectat ad *primam Dignitatem*, quae est caput et praeses capituli, et quidem sine praevia licentia Episcopi (S. C. C. 20 Jan. 1858); ad *unum vero Episcopum*, quoties capituli consilium vel consensus requiritur in negotiis dioecesanis, seu cum aliquid proponere debet canonicis spectans ad episcopalem dignitatem, jurisdictionem, administrationem ac regimen dioeceseos (Conc. Trid., sess. 25, c. 6 de ref.): jure tandem *particulari*, v. g., in Gallia et Anglia capitulum congregari nequit extra casus ordinarios, nisi vocante vel annuente Episcopo. Convocatio, autem, non est necessaria, quum agitur de comitiis ordinariis, sed tantum quum de extraordinariis, quae, nimirum, extra tempora consueta celebrantur. Si nemo sit, qui jus habeat Capitulum convocandi, necesse est ad validitatem actus capitularis, ut adsint in loco Capituli duae ex tribus partibus Capitularium, nisi sit periculum in mora; nam in hoc casu etiam tres sufficiunt, et absentes contumaces censentur (C. 19, lib. I, t. 6 Decr.). **b)** *Vocandi* sunt omnes capitulares in loco praesentes publicatis die, hora et loco comitii; absentes etiam vocari debent in casibus in jure expressis, scilicet: si agatur de eligendo praelato, de collatione beneficiorum, de cessatione a divinis decernenda; denique, illi qui possunt constituere procuratorem. Illegitime spretus agere potest de contemptu ad rescindenda Capituli acta. Non tamen convocandi sunt *censurati*, *irregulares* et qui *commode* citari nequeunt.

2.° *Adunatio.*—Capitulum legitime constitutum censetur, si numerus absolute major vel saltem trium canonicorum convenerit, praesertim in sessionibus ordinariis, vel ubi aliud jure particulari cautum non sit.

3.° *Suffragatio.*—In comitiis negotia proposita et communiter tractata suffragiis *canonice* datis definiuntur; ita, scilicet, quod decisum a majori parte praesentium

obligat universum capitulum, dissidentibus et absentibus quoque comprehensis; *unanimitas* tamen requiritur in negotiis, quae singulos, non jure collegii, sed uti singulos tangunt; puta, si agatur de compromisso in electione facienda, de extraneis in electionem admittendis; *duae tertiae* exiguntur pro postulatione, si cum electione concurrat, vel si Episcopo amenti dandus sit coadjutor, et nihil prohibet quominus jure *particulari* in negotiis levioribus sufficiat pars relative major, vel in votorum aequalitate Episcopus vel prima dignitas habeat votum duplex seu decisivum (S. C. C. 15 Jul. 1885).

Ex juris dispositione capitulum habet: 1.° Jus statuta condendi, mutandi aut corrigendi (quod et officium est); quae quidem, si respiciant negotia exclusiva capituli, v. g. quotidianum servitium chori, bona collegii, etc. sunt *verae leges* collegii citra consensum vel approbationem Episcopi (Sacra Congr. Episcoporum et Regularium 13 Martii. 1615; S. Congr. Conc. 9 Maji 1829; Rota unanimiter), nisi aliud jure particulari obtineat, ut hodie contingere solet praesertim in Italia et Gallia. Si vero negotia respiciant canonicos uti singulos, vel statum et administrationem ecclesiae cathedralis, statum vel regimen dioecesis aut jura Episcopi, canonici agere debent cum consensu Episcopi, ideoque eo non consentiente, statuta condere vel mutare nequeunt. Excipe si tacito et longo usu aliud obtinuerit vel agatur de rebus potestatem oeconomicam non excedentibus: puta, de levi mulcta canonicis imponenda. Hujusmodi leges fieri possunt absque participatione beneficiatorum et capellanorum, nisi agatur de bonorum massa ipsos attingente (S. C. C. 12 Jul. 1862; Rota unanimiter). 2.° Jus possidendi et administrandi bona temporalia, ac proinde syndicum aliosque officiales constituendi absque approbatione Episcopi. 3.° Jus efformandi et servandi legitimas consuetudines. 4.° Jus deferendi insignia capitulo a Roma Pontifice concessa in bulla erectionis vel etiam postea, saltem in propria ecclesia et cum capitulariter incedunt.

VII. **Officia interna capitulorum.**—Ad duo capita commode reduci possunt: *ad servitium ecclesiae* cui addicuntur, nedum per substitutum, sed personaliter per solemnem Officii recitationem in choro et per quotidianam

missae solemnis celebrationem (Conc. Trid., sess. 24, c. 12 de ref.; S. C. C. 18 Mart. 1719 et 22 Aug. 1874), de qua obligatione in secundo Libro agemus, et ad *reverentiam* et *obedientiam* Episcopi; quae reverentia manifestatur *praecedentia, assistentia, associatione* et *deductione* ad tramites Caeremonialis.

1.° *Quoad praecedentiam*, episcopis competit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint in choro, capitulo, processionibus et aliis actibus publicis (Conc. Trid. sess. 25. c. 6, de ref.).

2.° *Quoad assistentiam*, haec regula generalis statui licet: assistentia Dignitatuum et Capituli debetur Episcopo solemniter celebranti aut alia Pontificalia exercenti (Trid. sess. 24, c. 12 de ref.), nec tantum in Cathedrali, sed etiam in aliis locis modo non extra civitatem aut suburbia. Quoad numerum inservientium extra Cathedralem, Bouix affirmat esse in potestate Episcopi illum determinare. S. C. R. die 13 Jul. 1658 tres ei assistere in civitate teneri dixit: et hic numerus sufficit pro privata Ordinatione. Potest insuper Episcopus assumere pro suo servitio duos dignitates aut canonicos sive Ecclesiae Cathedralis sive Collegiatae, vel duos beneficiarios, exceptis Poenitentiario, Coadjutoribus et iis, qui curam animarum gerunt (Vid. plures deciss. apud Bouix, *De Capitulis*, p. 298).

3.° *Quoad associationem*. Juxta Caeremoniale (l. I, c. 15) "cum Episcopus, rei divinae peragendae causa, ad Ecclesiam venturus est, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent canonici omnes, in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere usque ad cubiculum, in reditu usque ad ostium Palatii (S. C. R. 23 Mart. 1592); eumque cappa indutum ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere„. Hoc intelligitur, si habitaculum Episcopi non ultra ducentos passus distet ab Ecclesia, seclusa consuetudine in contrarium; quia tunc sufficit eum comitari usque ad januam ipsius Ecclesiae. Haec obligatio comitandi Episcopum incumbit dumtaxat in festis solemnioribus, nisi aliter consuetudo praescripserit.

Attamen si Episcopus, etiam diebus dominicis et minus solemnibus, veniat ad Ecclesiam cum cappa magna, quod raro fieri debet, canonici eum associare tenentur.

Quando vero, inchoato officio, advenit Episcopus, satis est ut quatuor vel quinque, aut saltem duo e choro discedant, et

illi obviam eant ad valvas aspersorium porrecturi (S. C. R. 4 Jul. 1515). Quod si contingat Episcopum, processione vel aliqua hora canonica nondum finita, abire compelli, satis erit si cum quatuor de Capitulo domum revertatur (S. C. R. 23 Maj. 1592).

4.° *Quoad obedientiam.*—Capitulum tenetur parere Episcopo in iis, ad quae hic jus habet in ordine ad ipsum Capitulum. Jam vero Episcopus potest: **a)** Convocare Capitulum eique praesidere, nisi de negotiis Capituli privativis quaestio fiat, vel de re Episcopi suorumve commodum attinente. Praefatum vero jus nequit Episcopus per Vicarium exercere (Conc. Trid. sess. 25, c. 6, de ref.). **b)** Tam Episcopi quam eorum Vicarii generales jus habent cogendi Capitulum ad sibi exhibendos libros, in quibus adnotantur resolutiones capitulares, ad negotia etiam particularia Capituli spectantes; quia jus habent cavendi ne resolutiones edantur juri contrariae (Bouix de Cap. p. 291). **c)** Demum ambobus, nempe Episcopo et Vicario, jus est praecipiendi Capitulo, ipsum Capitulum et quemlibet Capitularem judicandi et puniendi, servatis tamen juris dispositionibus. Ratio est, quia Episcopus habet jurisdictionem non tantum in singulos clericos, sed etiam in ipsum Capitulum Cathedrale, cujus, siqua olim fuerit exemptio, sublata est per Conc. Trid. (Sess. 6, c. 6 de ref.).

Juris tamen dispositiones vetant: **a)** Capitulum totum et collegialiter anathematis censura innodare. **b)** Judicare canonicos Capituli exempti, idest, juxta De-Luca, quod ante Trid. ex indulto speciali S. Sedis fuerit exemptum, nisi associatis Episcopo duobus canonicis a Capitulo electis (Trid. sess. 25, c. 6 de ref.).

VIII. **Jura Capitulorum uti senatuum episcoporum.**—Cum Cathedralia Capitula archiepiscoporum et episcoporum senatum consiliumque constituant (C. 7, Caus. 16, q. 1; C, 4 et 5, l. III, t. 10; Conc. Trid., sess. 24, c. 12, de ref.), plura jura ordinaria in administranda dioecesi consecuta sunt, quae tamen saepius non sunt jura verae jurisdictionis. Haec jura tripliciter considerantur: 1.° sede *plena*; 2.° sede *impedita*, et 3.° sede *vacante*.

1.° *Sede plena* Episcopus tenetur aliquando *consilium*, aliquando *consensum* capituli expetere; consilium autem a consensu in eo differt, quod *consilium* sit sententia

capituli; qua non explorata, actus Episcopi sit irritus: eam vero exploratam sequi non tenetur; dum *consensus* est sententia capituli, qua non explorata vel non admissa, actus Episcopi nullus sit, nisi sanetur per tacitum consensum vel ratihabitionem ipsius capituli vel per indultum Sacrae Congr. Concilii. Jamvero *consensus* requiritur generatim in negotiis gravissimis, in quibus, aut ecclesiae obligatio imponitur, aut damnum notabile ingeneratur; *consilium* vero in negotiis dubiis et arduis in jure expressis; non tamen requiritur neque consilium neque consensus, cum Episcopus agit jure *devolutionis*, aut *delegationis specialis*, vel legitima consuetudine, quae talis censetur, si limitet tantum, non vero absorbeat integram capituli potestatem.

In specie *consensus* requiritur: 1.° in alienandis rebus pretiosis vel immobilibus excedentibus summam 221 lib.; 2.° in uniendis, dividendis, supprimendisque ecclesiasticis beneficiis et canonicatibus; 3.° in institutione novi canonicatus vel honoris (S. C. C. 5 Jul. 1608 et 26 Dec. 1695); 4.° in collatione beneficiorum quae communiter ad Episcopum et capitulum pertinent; 5.° in assumendo coadjutore temporaneo; 6.° in nominandis examinatoribus *prosynodalibus* semel obtento indulto a S. C. C.; 7.° in exigendo subsidio charitativo; 8.° in erectione novae parochiae; 9.° in puniendis subditorum excessibus poena degradationis, suspensionis perpetuae et interdicti, et aliis quae vix practici sunt momenti, nisi consuetudine firmentur.

In specie *consilium* adhibetur: 1.° in promulgandis statutis universalibus in synodo vel extra synodum (S. C. C. 26 Nov. 1689); 2.° in processionibus decernendis, dirigendis et deducendis (S. R. C. et S. C. C. 7 Febr. 1632); 3.° in novis monasteriis erigendis (Textus tamen Juris clarus non extat); 4.° in subrogando judice synodali vel nominando prosydonali (Conc. Trid. sess. 25, c. 10 de ref., Bened. XIV, Const. *Quamvis*); 5.° in negotiis ipsum capitulum attingentibus, et praesertim in casibus tridentinis, qui raro obtinent hodie, v. g.: ad instituendum magistrum grammaticae, procuranda praebenda canonico theologo et designandis ordinibus canonicatuum (C. 10 lib. III, tit. 10).

Aliquando indiget Episcopus consensu vel consilio nonnullorum tantum capitularium; sed de his casibus alibi dicetur.

2.° *Sede impedita* ob impedimentum physicum vel

canonicum Episcopi, Capitulum debet certiorem facere Rom. Pontificem, qui *administratorem* constituet, exceptis casibus in jure expressis, qui sunt sequentes: a) Si Episcopus a paganis, haereticis vel schismaticis capiatur, Capitulum debet administrare donec restituatur vel a S. Sede quamprimum consulenda aliud ordinetur; at jurisdictio Episcopi non censetur suspensa si per litteras regere possit (S. C. C. 7 Aug. 1687) aut per Vicarium generalem vel Delegatum non impeditum (Pius VII a. 1811 pro Episc. Trecensi capto a Napoleone; Greg. XVI in caus. Colon. 9 Maj. 1838 et 21 Maj. 1841 S. C. EE. et RR. 3 Maj. 1862). b) Si Episcopus sit suspensus vel excommunicatus provisorie etiam administrat Capitulum. c) Idem dicendum, si moriatur Vicarius Generalis vel alias impediatur, dum Episcopus in remotis agit et de alio Vicario non providerit (S. C. EE. et RR. 11 Jan. 1616).

3.° *Sede vacante*, potestas Capituli explicatur quoad regimen dioecesis et electionem novi Episcopi ubi talis forma perseverat.

Primis saeculis regimen sedis vacantis fuit penes presbyterium ipsius, ex saeculo IV metropolitani presbyterio praefecerunt *Intercessores*, *Interventores* seu *Visitatores*, aut presbyterium gubernacula dedit principalioribus, uti Romae; jam inde a sacc. VIII et praesertim a XII *Capitula* visitatores excluserunt; quae disciplina, in Decretalibus recepta, modo capitulariter, modo per turnum, modo per vicarios amovibiles exercebatur, donec Concilium Tridentinum novam induxit, quae hodie viget ampliata a Bened. XIV et expolita a Pio IX Const. *Rom. Pontifex* 28 Aug. 1873. De hac ergo nova disciplina Vicarii Capitularis nunc agendum est.

IX. **De Vicario Capitulari.**—Sede vacante, jurisdictio ordinaria Episcopi in casibus a jure non exceptis devolvitur jure communi ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, nisi S. Sedes aliter statuerit aut providerit per Vicarium aut Administratorem Apostolicum; nam in hoc casu jurisdictio Vicarii aut Administratoris Apostolici perseverat tempore vacationis Sedis (S. C. EE. et RR. 5 Aug. 1578 et 22 Dec. 1628).

Sed quamvis ante Concilium Tridentinum Capitulum Cathedrale suam jurisdictionem exercere valeret vel *collegialiter*, vel per *delegatos ad nutum revocabiles*, vel

partim collegialiter, partim per delegatos; ex Decreto vero Tridentini (sess. 24, c. 16 de ref.) tenetur deputare Vicarium Capitularem, per quem exercenda est sua jurisdictio infra octo dies ab habita notitia vacationis Sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, sive per translationem Episcopi (Const. Urb. VIII. *Nobis nuper* 20 Mart. 1625). Videamus igitur: 1.° quae ad deputationem Vicarii Capitularis spectant: 2.° Vicarii Capitularis potestatem; 3.° modum quo cessat ipsius jurisdictio.

1.° *Deputatio Vicarii Capitularis.*—a) Facienda imprimis est haec deputatio a Capitulo capitulariter congregato, more solito, majoritate suffragiorum absoluta et per vota secreta (c. 4, t. IX, lib. III, Decr.; S. C. EE. et RR. 18 Nov. 1628; S. C. C. 21 Nov. 1722). Item facienda est *totaliter*, idest, delegando in Vicarium totam jurisdictionem, quin Capitulum partem aliquam sibi reservare possit (S. C. C. 1 Dec. 1736, et Const. Pii IX *Romanus Pont.*); et *irrevocabiliter*, ita ut amplius Vicarium removere non possit (S. C. C. 9 Jun. 1725).

Si electio non perficiatur infra octo dies aut nulliter sit facta, vel si Eccelsia vacans non habeat Capitulum, devolvitur ad Metropolitam; aut, si vidua sit ipsa Ecclesia Metropolitana, ad antiquiorem Episcopum provinciae; aut, si vidua Ecclesia sit exempta, ad Episcopum viciniorem. Ecclesia metropolitana et suffraganea unâ vacantibus, si hujus Capitulum sit negligens, deputatio spectat ad Capitulum metropolitanae, et non ad Episcopum antiquiorem. Si persona ad quam devolvitur deputatio, suo jure non utatur, et interea Capitulum compleat electionem, ea sustinetur modo Capitulum purget moram; probet, nimirum, non mere ex negligentia electionem distulisse.

b) *Quod ad eligendum* spectat debet esse idoneus, doctor vel licentiatus in Jure canonico, vel alias sufficienter peritus, sive sit sive non sit de gremio Capituli; Tamen, ceteris paribus, qui de gremio sit Capituli praeferendus est (S. C. EE. et RR. 22 Febr. 1597, et 10 Jul. 1602), et, si quis non doctor eligatur, quamvis de gremio Capituli, spreto alio doctore idoneo, electio irritationi manet obnoxia (S. C. C. 25 Jan. 1862). Requiritur in electo aetas 25 saltem annorum (S. C. C. 11 Aug. 1614),

et insuper ut non habeat officium incompatibile, puta, paroeciam rusticam, et regulariter, nec urbanam (S. C. C. pluries). Jure communi non requiritur ut sit subdiaconus, bene vero jure hispano. Demum, quamvis certum sit ineligibilem esse praesentatum vel nominatum a potestate civili ad eamdem Sedem vacantem, dubitatur an teneatur renuntiare, qui ante nominationem vel praesentationem jam erat Vicarius Capitularis.

c) Relate ad numerum Vicariorum deputandorum, juri consonat et menti Ecclesiae, ut unus tantum nominetur juxta juris axioma «una ecclesia debet esse unius sacerdotis» (C. 15 de Praeb.). Verum ex consuetudine aliquando tolerari potest, ut plures deputentur; qui semper in solidum, vel alternatim, non autem collegialiter debent administrare, uti pluries decisum est. Si consuetudo non existat, et tamen plures in eadem suffragatione deputentur, deputatio Vicarii ad Metropolitam devolvitur; si vero deputentur plures in diversis suffragationibus, primi tantum deputatio valida est, et alii posterius deputati, tamquam intrusi considerari debent. Una vero cum Vicario Capitulari jubet Tridentinum, ut, sede vacante, Capitulum, «ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quam pertinebit, sint reddituri» (Sess. 24, c. 16 de ref.). At deputatio Oeconomi inutilis evasit, ubi mensae episcopales consistunt in pensionibus Gubernii, quarum solutio ut plurimum solet suspendi, sede vacante (Sebastianelli).

2.° *Vicarii Capitularis potestas.*—Succedit in tota jurisdictione ordinaria Episcopi et ex nova disciplina in delegata a Papa Ordinario loci, aut ad plures annos intuitu officii episcopalis, iis exceptis, quae illi a jure prohibentur (Vide pro confirmatione secundi membri Decretum S. C. U. I. 24 Nov. 1897 et 20 Apr. 1898). Non igitur succedit Episcopo in iis, quae Episcopus peragere poterat tamquam delegatus Sedis Apostolicae, ex speciali delegatione, intuitu dignitatis vel industriae personae facta. An vero transeant ea, quae Episcopus ex jure communi, ut ex Tridentino, potest unice tamquam Delegatus Sedis Apostolicae, controvertitur a Doctoribus

(Vid. Sebastianelli I, n. 224; Wernz, II, n. 795; Ojetti «*Synopsis rer. mor.*» ad verb. *Vicarius*); licet nova disciplina calculum affirmantibus cum De-Luca, Barbosa et Bargilliat adjecerit. Neque succedit in iis, quae sunt potestatis ordinis, etiamsi ipse episcopali charactere sit auctus; unde nequit peragere functiones, quae ad Episcopum in Cathedrali pertinent (S. C. R. 22 Apr. 1871). Potest tamen concedere alicui Episcopo facultatem exercendi pontificalia, ecclesias consecrandi et conferendi ordines, quia haec auctorizatio est proprie exercitium potestatis jurisdictionis.

Quae vero jus excipit ab ordinaria potestate Vicarii, generatim ea sunt, quae liberalitatem vel gratiam potius quam necessitatem praeseferunt, nam principium juris est: «Ne, Sede vacante, aliquid innovetur» (Tit. IX, l. I Decr.).

In specie haec illi prohibentur: **a)** Conferre beneficia liberae collationis, quae ad Episcopum pertinent (C. 2 *Ne Sede*, etc.). **b)** Concedere litteras dimissorias infra annum viduitatis, nisi arctatis (Conc. Trid. sess. VII, c. 10 de ref.), vel promovendis ad primam tonsuram (S. C. C. 10 Feb. 1594). **c)** Visitare dioecesim aut synodum convocare, nisi lapsus sit annus ab ultima visitatione vel convocatione ab Episcopo peracta (S. C. C. 29 Jul. 1708 et 13 Sept. 1721; Greg. XVI per S. R. C. 8 Nov. 1843; S. C. C. Instruct. a. 1577). **d)** Litem inchoare, vel ab Episcopo inchoatam prosequi (c. fin. *Ne, Sede vacante*, etc.); quia tunc caret Ecclesia legitimo defensore; sed Capitulum potest agere quoad bona et jura sua propria independentia ab Episcopo. **e)** Multo minus licet ei alienare bona Ecclesiae vel Sedis Episcopalis etiam quando id Episcopo licet (S. C. EE. et RR. 14 Jun. 1788). Alia etiam ei vetantur, quae in tractatibus specialibus exponuntur.

Dubium. vero, est an possit concedere licentiam ad aedificandum monasterium; nam utrinque afferuntur resolutiones SS. Congregationum, quamvis communiter negetur; vel ad clericos excardinandos, quod probabilius negatur, nam est quaedam species alienationis; vel an possit concedere indulgentias, quamvis ex praescripto S. Congr. Concilii (13 Nov. 1688) ab illis concedendis sese abstinere debeat.

Quoad privilegia, certum est illi non competere, quae Episcopis conceduntur ratione dignitatis, uti privilegium altaris portatilis, etc.; imo neque distinctiones et praeeminentiae, quae competunt Vicario generali; nam etsi habeat praeeminentiam prae singulis canonicis; at universo capitulo vel primae dignitati nec aliis dignitatibus praecedit, si ipse inter dignitates capituli non sit adscriptus (S. R. C. 15 Jan. 1865).

Quoad emolumenta Mitrae, nullatenus ei neque Capitulo debentur provenientia ex jurisdictione, sigillo aut alias undecumque, sed reservanda sunt Episcopo futuro (S. C. C. 14 Oct. 1602, et 14 Febr. 1857). Idem dicendum de omnibus, quae Praelato defuncto ante ipsius obitum debebantur, sed quae revera non accepit (Const. Julii III *Cum sicut* 26 Jun. 1550). Ex illis tamen deduci potest rationabile stipendium Vicarii Capitularis et Oeconomi Mitrae. Hoc salarium statutis et consuetudinibus accurate definiri debet, ita tamen ut Vicario saltem relinquantur obventiones Vicarii Generalis (S. C. C. 15 Jan. 1602 et 6 Mart. 1847), nisi S. C. C. partem, puta quartam, redituum episcopalium Vicario assignet (S. C. C. 14 Febr. 1857 et alias).

3.° *Quomodo Vicarius Capitularis cesset in officio.*—Ejus officium expirat: **a)** Quando cessat vacatio Sedis, idest, postquam novus Episcopus litteras Apostolicas suae promotionis Capitulo praesentavit; et quidem novo Episcopo, si ab eo requiratur, non vero Capitulo, tenetur Vicarius rationem reddere sui officii (Trid. sess. 24, c. 16 de ref.). **b)** Cessat etiam per renuntiationem rite factam, quae non est necessario acceptanda a Capitulo. **c)** Per remotionem statutam a S. Congregatione Concilii vel Episcoporum et Regularium. **d)** Per mortem ipsius Vicarii. In tribus ultimis casibus Capitulum potest procedere ad deputandum alium Vicarium.

X. **Scholion de Capitulis in Hispania.**—Statutis quae sunt juris communis, videamus canonicorum species in Hispania. Omnes imprimis canonicatus presbyterales sunt. Capitula componuntur ex dignitatibus, quae canonice personatus sunt, ex canonicis de *officio* et ex simplicibus canonicis *de gratia* dictis.

Dignitates communes omnibus suffraganeis hae sunt: dignitas Decani, qui habet primam sedem post Pontificalem,

Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii et Ludimagistri. In Metropolitanis adest insuper Thesaurarius; in Toletana duae aliae sunt sub nomine Capellani Majoris Regum, et Muzarabum; in Hispalensi dignitas Capellani Majoris S. Ferdinandi; in Granatensi, Capellani Majoris Regum Catholicorum, et in Ovetensi Abbatis Montis Ausenii (*de Covadonga*).

Canonici *de officio* communes suffraganeis et metropolitis sunt: Theologus seu Lectoralis, qui Doctor vel Licentiatus in S. Theologia esse debet; Poenitentiarius, qui praeter superius dicta solet Theologiam moralem in Seminario docere; Magister seu Magistralis, qui Doctor vel Licentiatus in S. Theologia esse debet, et cujus est conciones ad populum habere diebus a statutis capitularibus praescriptis; et Doctoralis, qui, ut advocatus et consultor natus Capituli et Episcopi, Doctor aut Licentiatus in Jure canonico vel civili esse debet, et pro munere habet defendere jura Capituli et Episcopi, sed primario Capituli. *Magister* et *Doctoralis* ad disciplinam Ecclesiae hispanae pertinent; alii vero canonici a 12 ad 28 numerantur.

In collegiatis adest Abbas praeses, qui annexam habet curam animarum, duo canoniei *de officio*, Magister nempe et Doctoralis, et octo canonici *de gratia*. Collegiata vero Sacri Montis Granatae, quae reditus habet proprios et constitutionibus specialibus pontificiis moderatur, 15 habet canonicos, omnesque per oppositionem praebendam assequuntur.

Quoad dotes in promovendis ad canonicatum requisitas praeter alias, quae juris communis sunt, cum omnes canonicatus presbyterales sint, aetas apta requiritur, ut, infra annum a capta possessione canonicatus, presbyteratus recipi possit. Medietas insuper canonicorum, ad normam Tridentini Theologiae vel Canonum lauream licentiamve possidere debet.

Quoad jura, quae Episcopo competunt in ordine ad Capitulum, praeter jus Capitulum convocandi eique praesidendi quoties id expedire ipsimet Episcopi censuerint, eisdem Praesulibus prima Sedes reservatur, quin privilegium, aut contrarius usus ullimodo obstent (Concord. a. 1851, art. 14).

Praeterea Episcopus Capitula praesidens, habet votum et quidem decisivum, si vota sint hinc et inde aequalia; et si agatur de electionibus, habet tria aut quatuor vota prout Capilares numerum 16.^{m} aut 20^{m} non excedant, et quinque si 20.^{um} excedant. Numerus Capitularium computatur juxta numerum qui definitive Ecclesiae est assignatus (Concord., art. 14; Reg. Decr. concordatum, 3 Jan. 1868).

Quoad Vicarii Capitularis deputationem *sede vacante*, Concordatum hispanum strictam juris Tridentini observantiam praescribit, abolitis omnino quocumque privilegio, usu, vel consuetudine administrandi in corpore, plures Vicarios constituendi, aut quolibet alio quod utcumque Sacrorum Canonum

sanctionibus adversetur (Art. 20). Pro administratione tamen bonorum Sedis vacantis, consuetudo viget, juxta legem Tridentini deputandi independenter a Vicario Administratorem, quem *Oeconomum Mitrae* vocamus.

ARTICULUS III.

DE COLLEGIIS ORDINIS JUDICIARII ET ADMINISTRATIVI

Multiplicis generis sunt Collegia hujus tertiae classis. Alia res dioecesanas concernunt, et sic constituuntur officialitates Curiae dioecesanae, alia vero sese referunt ad negotia totius Ecclesiae. Alia sunt extraordinaria, de quibus loqui non debemus, alia ordinaria, inter quae eminent Tribunalia Curiae Romanae, Familia Pontificia et Sacrae Congregationes. Igitur distinctis paragraphis agendum est: I. De Curia dioecesana. II. De Tribunalibus Curiae Romanae. III. De Familia Pontificia. IV. De S. Congregationibus Romanis.

§ I.—DE CURIA DIOECESANA

Curia dioecesana alia *gratiae*, alia *justitiae* dicitur.

I. **Curia gratiae.**—Eam constituunt: 1.° *Provisor*, qui solet esse idem Vicarius generalis prout jurisdictionem voluntariam exercet. 2.° *Secretarius de Camera*, qui ad subscribenda (*refrendar*) publica et officialia documenta dioeceseos adhibetur. 3.° *Examinatores synodales*, de quibus superius dictum est. Hic tantum notamus examinatores ordinandorum vel approbandorum ad praedicandum, celebrandum aut confessiones audiendas non esse proprie synodales, cum eligi possint extra synodum. 4.° *Archipresbyteri rurales*, antiquitus decani, plebani, inter nos vicarii districtus dicti, qui sunt ad nutum amovibiles, de quibus supra.

In Curiis dioecesanis Hispaniae adsunt praeterea: 1.° *Administratores a Clero deputati* (Administradores habilitados del Clero), qui a beneficiariis eliguntur, ut eorum nomine assignationes a Gubernio recipiant, et participantibus distribuant. 2.° *Administratio Cruciatae*, quae cum Commissario generali relationes habet. 3.° *Administratio generalis capellaniarum vacantium*, quae recollectionem redituum et suble-

vandi earum onera curat, quarum bona nondum adjudicata sunt. 4.° *Procuratio dioecesana precum* pro gratiis a Nuntio Apostolico vel a Curia Romana impetrandis. 5.° *Congregatio dioecesana constructionis* et *reparationis templorum*, cujus praeses Praelatus est, et cujus socii sunt: decanus Capituli, alius Capitularis a Capitulo electus, unus parochus a Praelato designatus, promotor fiscalis, syndicus Capituli civilis (*el Alcalde*) et unus vocalis a Commissione monumentorum designatus.

II. **Curia dioecesana justitiae.**—Illam constituunt: 1.° *Vicarius generalis*. 2.° *Sub-Vicarius*, quem Vices-gerentem extra Hispaniam vocant, quique, aeque principaliter ac Vicarius et ab eo independenter, negotia ab Episcopo delegata cognoscit. Est velut alter Vicarius generalis in solidum. 3.° *Vicarii districtus*, ubi sint. 4.° *Vicarii foranei*. 5.° *Judices synodales*, de quibus supra. 6.° *Fiscalis ecclesiasticus* seu *Promotor*, qui in Hispania clericus *in sacris* esse debet et Doctor aut Licentiatus saltem in Jure canonico. 7.° *Sub-promotor fiscalis*, qui ordinario aeque principaliter causas cognoscit. 8.° *Advocatus fiscalis*, qui est auxiliaris Fiscalis et ab eo nominatus. 9.° *Assessores* seu periti in Jure a Praelato nominati ad proprium dictamen ferendum in causis judicialibus, subscribendo quando judices titulum academicum in Jure non habent (1). 10. *Defensor matrimonii*, seu advocatus ad vinculum matrimoniale in causis matrimonialibus defendendum juxta Benedicti XIV praescriptiones (Bulla, *Dei miseratione*). 11. *Defensor professionis religiosae*, qui idem officium habet in causis professionis religiosae (Bulla Benedicti XIV, *Si datam*). 12. *Notarii ecclesiastici*, qui facta coram Praelato, vel coram seipsis consignent et de iisdem fidem faciant, quique ab Episcopis creari et examinari possunt (Conc. Trid. sess. 22, c. 10 de ref.). 13. *Advocati*, quos Romani *Patronos*, Orientales *Scholasticos* vocabant, quique Doctores vel Licentiati in Jure cum sint, consilium praebent litigantibus eisque apud tribunalia patrocinantur. 14. *Procuratores*, qui aliorum gerunt negotia,

(1) In Hispania etiam dicitur *Assessor* Doctor aut Licentiatus in utroque, qui ex praxi forensi subscribere debet, una cum Fiscali gradu academico civili carente, scripta quae ab hoc fuerint Tribunali in negotiis contentiosis praesentata.

quique, si de negotiis judicialibus agatur, judiciales nuncupantur. Indigent mandato generali vel speciali juxta diversos casus.

§ II.—DE TRIBUNALIBUS CURIAE ROMANAE

Curia Romana etiam componitur ex Sectionibus *gratiae* et *justitiae*. *Prima* constat ex Cancellaria Apostolica, Dataria, Poenitentiaria, quintuplici Secretaria et Signatura Gratiae. *Secunda* constituitur ex S. Rota, Camera Apostolica et Signatura Justitiae. De singulis breviter; et per modum Scholii de Rota Hispana. Sed ante omnia, ut rite dicenda percipiantur, nonnullas oportet notiones praemittere de praelatis et officialibus inferioribus Curiae Romanae.

PUNCT. I.—DE PRAELATIS CURIAE ROMANAE ET DE CURIALIBUS INFERIORIBUS.

I. Antiqua divisio cleri Romani. II. Praelatorum natura. III. Praelatorum Curiae Romanae distinctio. IV. Praelaturae concessio. V. Jura et privilegia honorifica Praelatorum de Curia. VI. Curiales inferiores.

I. **Antiqua divisio cleri Romani.**—Jam ab antiquo tempore clerus Romanus dividebatur; 1.° in clerum *regionarium*; 2.° in clerum *ecclesiis* et *titulis adscriptum*, et 3.° in clerum *palatinum*.

1.° *Clerus regionarius* septem regionibus Urbis erat adscriptus, et coalescebat: **a)** *diaconis* regionariis, quibus septem quoque subdiaconi regionarii, imo et acolythi regionarii post Fabianum Papam accesserunt; **b)** septem *notariis* regionariis, qui fuerunt clerici infra subdiaconos constituti ad exquirenda et conscribenda acta martyrum, et data pace Ecclesiae, ad conscribenda documenta pontificia; **c)** septem *defensoribus* regionariis, qui ex clericis inferiorum graduum assumebantur ad defendenda jura et bona Ecclesiae, viduarum, pauperum, etc. Diaconis regionariis praeerat *Archidiaconus*. Defensoribus *Primicerius defensorum* et notariis regionariis praesidebant *Primicerius* et *Secundicerius*.

2.° *Clerus adscriptus ecclesiis* vel *titulis* presbyteris praesertim constituebatur, non exclusis aliis clericis majoribus et minoribus, et qui omnibus illis clericis praeerat *Archipresbyter* vel *Archicanonicus* dicebatur, vel etiam *Decanus*. Tribus

in Basilicis Majoribus (S. Joan. Later., S. Petri et S. Mariae Majoris) tantam dignitatem officium Archipresbyteri paulatim obtinuit, ut solis cardinalibus concederetur.

3.° *Clerus palatinus* fuit illa pars cleri Romani, qui, praeter Cardinales episcopos et presbyteros, Papae immediate adstiterunt, aut in functionibus *liturgicis*, uti fuere sex diaconi palatini cum subdiaconis et acolythis palatinis; aut in *regimine* ecclesiastico, quales erant *septem judices* palatini, scilicet: Primicerius notariorum, Secundicerius notariorum, Arcarius, Sacellarius, Primiscrinius sive Protoscriniarius, Primicerius defensorum et Nomenculator sive Adminiculator; aut in servitio *personali* ipsius Pontificis, ut erant Cubicularii, Vicedominus et Vestararius (Cf. Ord. Rom. XI, n. 47, IX, n. 1; Wernz T. II p. 719).

Inter diversos illos officiales Curiae vel palatii apostolici paulatim primates seu proceres distincti sunt a Clero inferiori, et a saeculo XIII vel XIV illi Cardinales et Praelati, vel alii Cardinales et alii Praelati de Curia vel domus dicti sunt.

II. **Praelatorum natura.**—*Etymologice* Praelatus idem significat ac procer vel praepositus, qui alteri, nempe, praecedit vel etiam praeest, ut superior: *Quoad rem* tripliciter sumitur. 1.° *strictissime* pro illis, qui saltem insigniti sunt ordine episcopali; 2.° *stricte* et communius inter canonistas pro clericis, qui jurisdictione in foro externo gaudent, sive charactere episcopali insigniantur, sive non; 3.° *late* pro illis, qui licet ordine episcopali atque forte etiam quolibet ordine majori omnique jurisdictione in foro externo careant, tamen *titulo* et juribus quibusdam *honorificis* Praelatorum instructi propter *dignitatem* seu praerogativam honoris *habiles* saltem reputantur, quibus jurisdictio in foro externo atque praesertim delegatio apostolica committatur.

III. **Praelatorum Curiae Romanae distinctio.**—Distinguuntur: 1.° *Ratione admissionis* in praelatos *justitiae* et *gratiae*. Illi sunt qui praelaturam saltem honorificam consequuntur impletis omnibus conditionibus a jure requisitis; *gratiae* vero dicuntur, qui illam obtinent dispensatione pontificia super una vel pluribus conditionibus. Jam vero, conditiones sunt: legitimitas natalium, vitae honestas, aetas 25 annorum inchoatorum, studia legalia per quinquennium in publica universitate peregisse obtenta laureâ in utroque jure, biennium explere praxeos in Curia Romana, reditus comprobare 1500

scutatorum sive ex propriis, sive ex beneficialibus bonis, et examen superare coram collegio Referendariorum Signaturae Justitiae.

2.° *Ratione potestatis* vel *officii* dividuntur in *veros* seu *reales* et in *honorarios* praelatos. *Veri* dicuntur, qui, sive ut personae singulares, sive in collegia, vera quadam *potestate* vel administratione ecclesiastica praediti sunt, ut Romanum Pontificem vel Cardinales in regimine Ecclesiae universalis adjuvent; *honorarii* vero, qui vera potestate vel administratione ecclesiastica non potiuntur, sed aut simplices quasdam functiones obeunt, aut absque ullo officio gaudent *mera praerogativa honorifica.*

Veri praelati de Curia sunt Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi titulares in Urbe residentes, Praelati *di fiocchetti;* idest: Vicecamerarius, Auditor generalis et Thesaurarius generalis Camerae Apostolicae, Vicesgerens Cardinalis Vicarii, Majordomus palatii apostolici, Secretarii SS. Congregationum Cardinalium, Assessor et Commissarius S. U. Inq., Regens Cancellariae Apostolicae, Regens Poenitentiariae Apost., Promotor Fidei; denique Praelati nonnullorum collegiorum, velut Protonotarii, Auditores Rotae, Referendarii Votantes Signaturae Justitiae et Clerici Camerae.

Honorarii, vero, sunt *simplices functiones* obeuntes, Episcopi assistentes ad solium pontificium, Eleemosynarius ejusque Coadjutor, Secretarius litterarum ad Principes, Substitutus Secretarii Status, Secretarius litterarum latinarum, quatuor Camerarii secreti vicissim Rom. Pontifici inserviunt, Abbreviatores majoris praecedentiae in Cancellaria Apostolica, Magistri caeremoniarum, secreti Capellani pontificii actu servientes. Sine ullo officio *honorarii* sunt Praelati domestici S. Sanctitatis, Protonotarii supernumerarii, Referendarii supernumerarii Signaturae Justitiae, Camerarii secreti supernumerarii, Magistri caeremoniarum supernumerarii et Capellani secreti honorarii.

Medium locum tenent inter Praelatos veros et honorarios quatuor illi officiales Camerae Apostolicae qui vocantur Praelati *di mantellone,* scilicet; Advocatus pauperum, Advocatus generalis et Procurator generalis fisci et Camerae Apostolicae et Commissarius generalis Camerae Apostolicae.

IV. **Praelaturae concessio.**—Tum verae, tum honorariae praelaturae, justitiae vel gratiae *libere* fit concessio a Rom. Pontifice, qui, si agatur de promovendis extra Urbem, commendationum Episcoporum facile rationem habere solet. Clericos dioecesanos etiam proprio

motu promovere solet ad praelaturas honorarias absque ullo interventu Ordinariorum aut Guberniorum civilium.

V. **Jura et privilegia honorifica Praelatorum de Curia.**—Eruenda sunt ex specialibus Constitutionibus pontificiis hac de re latis. Imprimis omnes Praelati gaudent *titulis* honorificis *Monsignore* et *Reverendissimi*; et pro altioribus gradibus etiam *Illustrissimi* et *Reverendissimi Domini* vel *Excellentiae Reverendissimae. Habitu* insuper et *insignibus* et *coloribus* utuntur unicuique gradui praescriptis vel permissis. Pro *praecedentia* attenditur ordo, qui servandus est in solemnitatibus Capellae pontificiae (1). Praelati tamen honorarii non ideo a jurisdictione proprii Episcopi eximuntur, neque ullam immunitatem sibi vindicare possunt ultra terminos in privilegiis statutos. Omnes demum Praelati de

(1) En ordo servandus in Capella pontificia 1.° Sacrum Collegium Cardinalium secundum ordinem respectivum et Praecedentiam intra eumdem ordinem.—2.° Collegium Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum assistentium solio pontificio.—3.° Vicecamerarius S. Ecclesiae Romanae.—4.° Principes solio assistentes.—5.° Auditor gen. Camerae Apost.—6.° Thesaurarius gen. Cam. Apost.—7.° Majordomus Papae.—8.° Archiepiscopi et Episcopi, qui non sunt solio assistentes.—9.° Collegium Protonotariorum Apostolicorum juxta ordinem admissionis, et primo participantes, deinde supernumerarii ad instar.—10. Commendator S Spiritus.—11. Regens Cancellariae —12. Abbates nullius dioeceseos.—13. Abbates generales Ordinum Regularium.—14. Generales et Vicarii generales Ordinum Mendicantium.—15. Magistrati Romani.—16. Auditores S. Rotae.—17. Magister S. Palatii.—18. Clerici Camerae Apostolicae.—19. Praelati Votantes et Referendarii Signaturae Justitiae.—20. Abbreviatores de parco majore Cancell. Apost.—21. Ministri assistentes ad altare.—22. Socius Magistri S. Palatii, si hic absens est.—23. Collegium Magistrorum Caeremoniarum pontificarum.—24. Camerarii secreti participantes.—25. Id. supernumerarii et honorarii in habitu *pavonazzo* —26. Collegium Advocatorum consistorialium.—27. Capellani secreti, et capellani secreti honorarii.—28. Coadjutores Camerae.—29. Procuratores generales Ordinum Mendicantium.—30. Praedicator Apostolicus.—31. Confessarius Familiae Pontificiae.—32. Collegium Procuratorum SS. Palatiorum Apost.—33. Adsunt praeterea Ministri assistentes Sacris Functionibus et qui in illis ministrant; scilicet: Sacrista Papae, nonnulli Canonici trium Patriarchalium Majorum, Collegium Capellanorum Cantorum et Cantores pontificii, Sub-Sacrista, Acolythi ceroferarii, clerici Capellae, Subclericus, Magistri ostiarii de virga rubea, Custos S. Triregni, Sceptriferi et Cursores Apostolici.

Curia suam amittunt dignitatem eodem modo, quo generatim officia ecclesiastica amittuntur.

VI. **Curiales inferiores.**—Sensu lato *Curialium* nomine veniunt etiam Cardinales et Praelati; sensu tamen stricto et ex usu loquendi, illis exclusis, tantum *Curiales* appellantur inferiores officiales et administri Curiae Romanae.

Inter Curiales eminent: 1.° *Advocati*, qui de juris quaestionibus, ad instantiam partium vel ex officio et mandato magistratus, recepto *honorario*, conscribunt vota sive districtus juris et facti. Inter advocatos vero principem locum tenent septem Advocati *consistoriales* participantes seu seniores, qui proprium collegium efformant, et ad quos exclusive spectat jus postulandi pallium pro Metropolitis et Episcopis privilegiatis et scribendi in jure in causis beatificationis et canonizationis. His proxime sequuntur quinque Advocati *consistoriales juniores* seu supernumerarii vel non participantes. Adsunt etiam in Curia Rom. Advocati *simplices* et Advocati *titulares*.

2.° *Procuratores* ad causas in tribunalibus Urbis agendas nomine partium sive praesentium sive absentium in casibus a jure permissis. Inter procuratores etiam adsunt gradus. Primum tenent, qui sunt ex 24 Procuratoribus collegiatis, *collegiales* hac de causa dicti, ad quos privative spectat jus fungendi officio Procuratoris in causis beatificationis et canonizationis, et examinandi et approbandi alios Procuratores et Notarios in Urbe. Secundum locum occupant Procuratores *rotales*, ita dicti quia ad patrocinium causarum in S. Rom. Rotae auditorio una cum Procuratoribus *de collegio* sunt recepti. Ex eorum numero per electionem a Procuratoribus de collegio factam assumuntur novi Procuratores collegiales. Veniunt denique Procuratores *simplices*, qui in aliis tribunalibus Urbis suo officio funguntur.

3.° *Notarii* Curiae Rom., qui, omissis Protonotariis Apost., duplicis sunt classis: *practici* et *titulares*. Illi partim tribunalibus aliisque dicasteriis tamquam actuarii vel cancellarii stabiliter addicti de actibus judicialibus aliisque documentis fidem publicam faciunt, partim de negotiis legitimis jurisdictionis voluntariae per diver-

sas Urbis regiones distributi ad petitionem privatorum instrumenta publica conficiunt. *Titulares*, quamvis titulum post comprobatam habilitatem obtinuerint, suo officio actu non funguntur, vacationem enim officii alicujus Notarii practici spectare debent, atque interim in studio alicujus Notarii practici sese exercere solent, illi auxilium praestantes.

4.° *Sollicitatores*, qui Procuratores adjuvant in causis contentiosis quoad negotia praesertim externa perficienda, ex. g.: distribuentes scripturas, petentes informationes, etc. *Expeditores*, quo nomine saepe et ipsi *sollicitatores* veniunt, curant potissimum expeditionem negotiorum voluntariae jurisdictionis apud Datariam vel Secretariam Brevium, aliaque dicasteria Curiae Romanae. Demum *Agentes*, qui a partibus eliguntur sive stabiliter sive pro negotio determinato, ut expeditionem causae urgeant, sed maxime ita vocantur negotiorum gestores, qui, ex mandato Episcoporum, diversissima negotia in Urbe curant atque promovent.

Punct. II.—sectio gratiae curiae romanae

I. Officia seu Tribunalia Gratiae in genere. II. Cancellaria Apostolica. III. Dataria Apostolica. IV. Secretariae palatinae. V. Poenitentiaria Apostolica. VI. Signatura Gratiae.

I. **Officia seu Tribunalia Gratiae in genere.**—*Officia* in Curia Romana dicuntur Curiae seu officinae pontificiae, quibus acta Pontificis et decreta per simplicem potestatem executivam certo modo executioni demandantur. Ex his officiis Poenitentiaria, Cancellaria et Dataria *Tribunalia Gratiae* apud antiquos praesertim scriptores appellari solent; sed hodie communiter nomen *Tribunalis Gratiae* S. Poenitentiariae reservatur. Jamvero hujusmodi *Officia* vel exercent jurisdictionem voluntariam, vel acta tantummodo exequuntur et expediunt Romani Pontificis.

II. **Cancellaria Apostolica.**—Cancellaria est Officium *gratiae expeditae*, seu quod providet expeditioni actorum Pontificalium, et praesertim Bullarum. Constat ex Cardinale tituli S. Laurentii in Damaso, qui *Vicecancellarius* appellatur, et ipsum palatium Cancellariae habi-

tat, quique partes Notarii agit in Consistorio, et simul Summista est, et aliis Praelatis; ut *Regens*, cujus est Bullas examinare et manu propria corrigere, Praesidentes seu *Abbreviatores de parco majori* (olim aderant etiam de *parco minori*), ita dicti quia litteras apostolicas scribere debebant *breviaturis* utentes omnino solitis, juxta stylum Cancellariae, et praecipue clausulis et formis in Cancellariae regulis constitutis. Hodie *Abbreviatores* subscribunt omnes Bullas per Cancellariam emissas, paucis exceptis, et Collegium seu tribunal constituunt ad decidendum collegialiter tamquam per speciem judicii dubia quae oriri contingat super litterarum formulis vel clausulis et decretis in iis adjiciendis. Nunc habent suos *Substitutos*, et alii, honoris causa, titulo *Abbreviatoris* et *Substituti* condecorantur.

Inter alios Officiales numerantur etiam *Plumbator*, cujus est Bullis apponere sigillum plumbeum; *Protocollista*, cui archivi cura demandata est, *Capsarius* et *Computista*. *Depositarius generalis plumbi* hodie est Officialis *emeritus;* et *officia venalia vacabilia*, quorum jamdiu perpauca extabant, omnino abolita sunt *Motu proprio* Leonis XIII 4 Jul. 1898.

Cancellaria quatenus est Officium intendens Bullarum expeditionem, si agatur de beneficiis majoribus seu *consistorialibus*, Bullas expedit, postquam decreta collationum exceperit ab ipso Consistorio, mediantibus scilicet schedulis, quas ex foliis consistorialibus conficit Cardinalis Vice-Cancellarius, qua Notarius S. Sedis et Consistorii; decreta vero sive collationum minorum beneficiorum sive aliarum provisionum recipit a Dataria. Utile vero ad nostrum scopum reputamus, aliqualiter de stylo, discrimine, speciebus et partibus Bullarum disserere.

1.° *Quoad stylum Bullarum* (1) ante Const. Leonis XIII

(1) *Quoad originem Bullarum*, Agatho (a. 360) litteras omnes cera signavit; Stephanus (a. 410) vel Hadrianus (a. 772) *plumbo* signavit insigniores, referente Polydoro Vigilio; imo Raynaldus testatur se vidisse in archivo Bullam plumbeam Sylvestri et alias Leonis I, Gregorii Magni ac Sergii reperiri in Castello S. Angeli. Ad tempus Gregorii Bullas plumbeas referunt alii a Mabillonio citati. Hinc Papa alias litteras sine plumbeo sigillo, alias cum sigillo plumbeo vel etiam aureo. Usque ad Callixtum III (1455-1458) sigillum pro omnibus Bullis et Brevibus erat cum plumbo, exce-

Universae Ecclesiae 20 Dec. 1878, Bullae charactere teutonico, dicto etiam *longobardico*, expresso sine linea, sine puncto et sine diphthongo, scribebantur; ast cum praedicta constitutione usus characteris teutonici sublatus ac abolitus fuit, statuente Pontifice, ut «Litterae Apostolicae communi latino charactere super charta pergamena (*diphthera bullarum est rubida*), ut in more est, exhibeantur.... Quoad plumbea numismata una cum adjectis cordulis, praecipimus ea servanda tantum esse in Apostolicis Litteris collationum, erectionum et dimembrationum Beneficiorum Majorum, nec non in aliis S. Sedis solemnibus actis. In reliquis vero Litteris, et praesertim in illis, quae beneficia minora ac dispensationes super impedimentis matrimonialibus respiciunt, auctoritate Nostra Apostolica per praesentes eadem abolemus et abolita fore statuimus et mandamus usque substitui, et substitutam et subrogatam fore jubemus impressionem rubri coloris sigilli noviter conficiendi, imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli referentis, inscriptione nominis regnantis Summi Pontificis circumducta».

2.° *Bullarum discrimen a Brevibus.*—Bullae distinguuntur a Brevibus; nam per Breve pontificium dicuntur expediri Litterae Apostolicae datae *sub annulo Piscatoris*, scriptae lingua latina, charactere latino et super charta pergamena levigata et *alba* ex forma quadrangulari, proindeque alterius qualitatis est minorisque dimensionis diphtherâ Bullarum. Sigillum annuli Piscatoris imprimitur rubro atramento super diphtheram et refert imaginem Divi Petri in navi retia extrahentis ab aqua. Aliud etiam extat discrimen inter Bullas et Brevia; nam in Bullis, anni computantur a die Incarnationis Domini (qui mos viget a Leone III a. 737-816), inBrevibus a die Nativitatis Domini; in Bullis initium est *Pius Episcopus servus servorum Dei;* in Brevibus *Pius PP. X.*

---

ptis solummodo *litteris secretis* sub *annulo cereo* Piscatoris expeditio; sed ab hac aetate Callixti III coeperunt Brevia, etiam non secreta, expediri sub annulo in cera impresso, et hinc distinctae sunt Litterae Apostolicae edictae in forma Brevis vel *sub cera, vel sub plumbo*. Hodie sigillum annuli Piscatoris imprimitur atramento rubro super pergamenam. Litterae sub sigillo aureo *Bullae aureae* dictae fuerunt et olim adhibebantur dumtaxat ad confirmandas Imperatorum electiones. Spelmannus vero tradit eis usum fuisse Clementem VII, quum titulum *Defensoris Fidei* contulit Henrico VIII, Angliae Regi (Card. Petra, *Comment. in Const.* t. I, p. 4, Romae, 1705).

3.° *Bullarum species.*—Dividuntur ratione: **a)** solemnitatis; **b)** viarum expeditionis et **c)** formularum.

a) *Ratione solemnitatis* Bullae sunt: 1. *solemnes*, quae referunt stylum Bollaticum (hodie non *quoad characterem*) et plumbeum sigillum, vel *minus solemnes*, quae exhibent stylum latinum et novum sigillum rubri coloris; 2. *consistoriales*, quae aliud praeterea sigillum *ad formam crucis* habere solent, et a Papa cum Cardinalibus in Consistorio subscribuntur, vel *non consistoriales*, quae a Cardinalibus non subscribantur; 3. *dimidiae*, quae non habent in sigillo nomen Pontificis eo quod nondum sit consecratus, et *integrae* illud habentes eo quod sit consecratus.

b) *Ratione viarum expeditionis*; nam quatuor modis fieri solet; nempe: 1. per *Cancellariam* juxta regulas Cancellariae. 2. *Per Cameram* seu per *Viam de Camera.* Ratio hujus viae fuit, quia innumera negotia fiscalia deveniebant ad Cancellariam, quae Regulis ipsius non comprehendebantur; unde de breviori stylo cogitatum fuit; ad quod Alexander VI instituit a. 1500 officium *Summistae*, qui aliis adjutus officialibus expeditioni imcumberet Bullarum per *Viam de Camera*. Alexander autem VIII officium Summistae muneri Vice-Cancellarii univit, ne divisio controversiis occasionem praeberet, et ex tunc officiales quibus Summista praepositus fuit inter officiales Cancellariae recensentur. 3. *Per viam secretam* expediuntur Bullae contra regulas Cancellariae, *gratis* omnino, non exactis taxis, aliisque pluribus non servatis solemnitatibus a Regulis Cancellariae praescriptis. Hae Bullae scribuntur in Dataria ab officiali dicto *Scriptore Bullarum per viam secretam*, revidentur a Summista, ne peccent in jus commune et in jura Cancellariae, et registrantur in Secretaria Brevium. Per hanc viam expediri solent Bullae pro Episcopis titularibus et pro familiaribus Papae. 4. *Per viam de Curia* extra *Cancellariam* et *Cameram* expediuntur Litterae Apostolicae super decretis et statutis pro bono Ecclesiae, idest, quae concernunt leges pontificias et alias materias ex *motu proprio* Papae, et aliquando pro rebus nepotum vel aliorum ex gratia specialissima Pontificis. Expediuntur in Dataria ab officialibus dictis *pro expeditione Bullarum per viam de Curia*, qui sunt Cardinalis Pro-Da-

tarius, *Abbreviator* et *Scriptor*, et in Secretaria Brevium regeruntur.

c) *Ratione formularum* Bullae sunt: 1. in *forma gratiosa*: inscribuntur clerico, qui sui Episcopi bono testimonio aliquod beneficium a Papa consequitur; 2. *in forma gratiosa tribus judicibus:* inscribuntur tribus executoribus, ut ipsi in possessionem immitant provisum; 3. *in forma «Dignum»*, ita dictae, quia incipiunt cum verbo *Dignum*, et mittuntur Episcopo, ut, praeter consuetam formam, clericum eximie probatum, aut aliunde admodum benemeritum, beneficio honoret; 4. *in forma commissoria*: inscribuntur Ordinario, ut mandatum *de providendo* favore clerici exequatur, si, praeter testimonium ipsius, demonstrat coram datis executoribus ea, quae in Bulla indicantur; 5. *in forma «Rationi congruit»*, si Papa Bullam expediat super supplicatione ab antecessore ejus signata; 6. *in forma* demum *communi* vel *in forma pauperum*, quatenus taxa consueta vel minor aut nulla solvitur in Dataria (Devoti, Lega t. II. n. 246).

4.° *Partes Bullarum* praecipuae sunt duae; quarum una dicitur *pars dispositiva*, altera *pars formalis* seu continens formae solemnitates ad probationem faciendam. Dataria in primam, Cancellaria in alteram partem Bullarum incumbit.

III. **Dataria Apostolica.**—1.° *Natura.*—Est Officium Gratiae *concessae*, quia in Dataria praeparantur dispensationum gratiae aut beneficiorum collationes, congruis designatis limitibus et conditionibus.

2.° *Competentia Datariae.*—Competentia *privativa* Datariae comprehendit provisiones beneficiorum minorum, quae ex regulis Cancellariae vel ex jure communi reservantur S. Sedi, necnon dispensationes matrimoniales quoad *non pauperes*. Aliis etiam pollet minoribus facultatibus, spectantibus ad unam vel ad alteram negotiorum speciem. Decisiones Datariae veluti decisiones ipsius Papae censentur; unde ab actis Datariae non datur appellatio, querella nec aliud extraordinarium remedium; quare Officiales Datariae dicti sunt *oracula vocis et mentis Papae*.

3.° *Constitutio Datariae.*—Post reformationem inductam a Leone XIII a. 1897 Dataria constat: a) ex Cardinale Pro-Datario, qui praeses est Datariae; b) Sub-Datario, qui seligitur e

Praelatis Romanae Curiae, cujus proprium est *Brevia*, subscribere et *transumpta* Datariae, et in genere fere in omnibus Datarii vices gerere potest; **c)** *Sectione pro collatione beneficiorum*, quae sub Praefecto est inter praelatos assumpto, et quem adjuvant Substitutus, supplicationum Revisor, Testimonialium Summista, Taxator, Protocolli et Archivi hujus sectionis Officialis, Notarius processuum promovendorum ad Ecclesias Cathedrales et Scriptor bullarum per viam secretam; **d)** *Sectione pro dispensationibus matrimonialibus*, quae pariter ex aliis similibus officialibus constat sub Praefecto constitutis; **e)** *Sectione administrativa*, quae Administratore, Ratiocinatore (vulgo *Computista*) cum duobus Adjunctis et Capsario cum suo Adjuncto; **f)** *Secretaria*, quae a Praelato Secretario cum suo Adjuncto constituitur; **g)** *Consilio Theologorum*, qui ex clero Regulari praecipue assumuntur; **h)** *Officialibus pro expeditione per viam de Curia*, et **i)** variis *Expeditionariis Apostolicis*.

4.° *Modus procedendi.*—Supplicationes, postquam ab Officialibus certo examini et suetae formae subjectae fuerunt per Pro-Datarium et Sub-Datarium, ad Papam deferuntur in diebus Audentiae SSmi. assignatis. Papa adjicit suam signaturam expressam diversis verbis, pro natura negotiorum, *Fiat ut petitur*, vel *Placet*, vel *Fiat Motu proprio*; addita hisce clausulis prima littera sui nominis *baptismalis*, si Papa ex clero saeculari, vel *Religionis*, si ex clero regulari assumptus fuit. Quum supplicatio remittitur ad appositum Officium, ponitur data, et jam *datata* supponitur examini duorum Revisorum et debitae taxae, et dein Datarius apponit *datam magnam* quasi definitivam et demum Magister Registratorum insinuat in regestis Datariae seu regerit (*registrat*) supplicationem, quae exinde continet gratiam jam concessam, et jam parata est ut tradatur Cancellariae aut Officio Brevium pro Bullis respective expediendis aut Brevibus (Cf. Lega Vol. II, n. 258).

IV. **Secretariae palatinae.**—Quinque praecipuae enumerantur Secretariae palatinae, scilicet: 1.ª Secretaria Status; 2.ª a memorialibus; 3.ª Brevium; 4.ª Brevium ad Principes, et 5.ª a litteris latinis.

1.ª *Secretaria Status.*—Est Officium Curiae maxime adhaerens personae Pontificis, et magis exprimens ejus naturale ingenium et peculiarem agendi rationem in Ecclesiae universalis externa gubernatione pro variis

personarum et rerum adjunctis; agit enim cum Principibus et moderatoribus Rerum-Publicarum vel immediate per acta quae dantur a Secretaria Status et quae vel ab ipso Papa sunt expressa et exarata, vel Ejus nomine a Secretario Status vel mediis Nuntiis aut aliis Legatis Apostolicis. Per Secretariam Status Papa insuper attribuit munia curialia, idest, suos deputat officiales. Constat ex Cardinale Secretario Status, qui est Papae ab intimis consiliis, Praelato Substituto, qui est etiam Secretarius Cifrae, methodi scilicet, signorum conventionalium quae adhibentur in scriptura pro negotiis politicis alto secreto premendis, et variis officialibus.

2.ª *Secretaria a memorialibus.* — Haec secretaria Papae inservit in excipiendis supplicibus libellis Summo Pontifici *immediate* datis, quibus vel ipsa directe vel de mandato Papae satisfacit, expediens memoriale vel illos alteri Officio aut competenti S. Congregationi remittit, ut ista dicasteria negotium juxta proprium stylum et ordinarias facultates expediant (Cf. Lega, Vol. II, n. 233).

3.ª *Secretaria Brevium* seu *a Brevibus pontificiis.* Est Officium quod incumbit in expediendas litteras Pontificias illis adhibitis formae solemnitatibus, ex quibus constant Brevia Pontificia, et distinguuntur a Bullis. Sciendum autem est tria esse officia Brevium; scilicet: **a)** Datariam per officialem dictum Magistrum Brevium, a Cardenale Prodatario nominatum, sub cujus auctoritate et nomine Camerae Apostolicae munus exercet; **b)** Secretariam Brevium ad Principes, de qua mox dicendum, etc. **c)** Secretariam Brevium (1).—Brevia expediuntur in Dataria pro negotiis tantum privativis ipsius Datariae, vel pro eis quae ad ista aliquo modo referuntur, et non semper in diphthera exarantur, sed aliquando in charta ordinaria, optimae quidem qualitatis. Secretaria vero Brevium exclusive competens est Brevibus sensu stricto expediendis, quae pro certis negotiis ex jure communi vel speciali ordinatione Rom. Pontificis requiruntur.

(1) Etiam in Poenitentiaria adhibetur vocabulum *Brevium* in illis expeditionibus, quas, ut plurimum pro foro interno ac externo, ut absolutionem a censuris et a quibusdam irregularitatibus, concedit tribunal Poenitentiariae; sed istae expeditiones longe diversam habent formam, diversumque sigillum, adeo ut redoleant diversitatem notoriam (De-Luca, *Relatio Curiae Rom.* Dist. VII. n. 12).

Secretariae Brevium praeest Secretarius, qui hodie e Cardinalibus elegitur, et cui operam dant Praelatus Substitutus, nonnulli *Minutantes* minutas conficientes, aliique officiales. Forma procedendi in Secretaria Brevium maximam habet similitudinem cum ordine servato in Dataria. *Substitutus* supplicationem, antea discussam et praeparatam, SSmo. Domino in solita audientia proponit, qui illam prima littera nominis *sui baptismatis* vel *Religionis* firmat. Deinde fit revisio supplicationis firmatae; componuntur minutae Brevis et dein conficitur Breve, quod, post sigillationem et subscriptionem Secretarii et registrationem factas, expeditur sive publicatur.

4.ª *Secretaria Brevium ad Principes.*—Ex Secretario nunc tantum constat inter Praelatos Curiae electo; et Papae ab intimo cubiculo; et uno minutante. In hac Secretaria praeparantur Brevia mittenda Regibus, Principibus, Episcopis et aliis viris illustribus; conficiuntur nomine Papae responsiones litteris eorumdem, quas responsiones subscribit Papa, et Secretarius obsignat Papae sigillo. Praeterea Allocutiones a Papa habendas et Litteras Encyclicas Secretarius exarare solet, et nonnullas litteras ipse sua tantum subscriptione munit.

5.ª *Secretaria a litteris latinis.*—Constat tantum ex Praelato Secretario, et uno Minutante, atque instituta est pro litteris latinis forma minus solemni scribendis.

V. **Poenitentiaria.**—1.° *Natura.*—Instituta est pro expediendis gratiis pontificiis, quae attingunt forum conscientiae, quales sunt absolutiones a peccatis et censuris, dispensationes super impedimentis matrimonialibus occultis, etc.

2.° *Constitutio.*—Illi praeest Cardinalis *Poenitentiarius Major*, cui assistunt poenitentiarii minores, ex variis Ordinibus selecti, sedentes in Basilicis majoribus ad administrandum sacramentum poenitentiae, et ceteri qui dicuntur componere officia majora et minora. *Officia majora* constituunt regens, datarius, corrector, sigillator, theologus et decretorum doctor seu canonista. *Officia minora* constituunt secretarii, substituti, scriptores et etiam prosigillator.

3.° *Competentia.*—Benedictus XIV in Const. *Pastor bonus* 13 Apr. 1744 determinavit facultates Poenitentiarii Majoris.

Hae sunt: **a)** Absolvendi per se vel per alios a quibuscumque

peccatis et censuris, demptis, pro ecclesiasticis saecularibus et pro personis laicis, censuris *ab homine* latis; a quibus tamen absolvere poterit, quando absolutio per eosdem judices aut alios ad S. Sedem remissa fuerit, vel censura ligati praepediantur adire quos de jure deberent, imposita tamen his postremis casibus debita satisfactione judicibus.

b) Dispensandi vota simplicia, tametsi jurata et reservata; impedimenta occulta matrimonii, irregularitates quascumque occultas saecularibus et regularibus etiam publicas, et juramenta quaecumque, in quibus non adsit praejudicium tertii, relaxandi in foro conscientiae.

c) Condonandi pauperibus, divitibus vero compositionem concedendi super fructibus beneficiorum male perceptis in casibus tamen occultis.

d) Quoad male ablata vel retenta, quando domini incerti sunt et casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus condonandi, residuo pauperibus distributo vel in opera pia erogato.

e) Dubia forum poenitentiale concernentia declarandi.

4.° *Quoad modum recurrendi* ad S. Poenitentiariam, in primis recursus potest fieri directe ab ipso poenitente vel a confessario. Litterae, vernacula lingua, melius tamen latina, abscribi possunt; casus nomine fictitio exponitur, Titii, Caji, etc.; haec superscriptio (*en el sobre*) ipsis apponitur: *Emmo. Cardinali Majori Poenitentiario*, et intus sint haec prima verba: *Emme. et Rme. Domine.* In fine exprimi debent nomen, cognomen et locus illius ad quem responsio erit mittenda. Sic vero terminatur: *Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N.*

Responsa autem Poenitentiariae non ad oratorem vel oratricem, sed ad confessarium diriguntur, qui in forma commissoria super impedimento vel irregularitate dispensat aut absolvit; et continere solent frequentes abbreviationes, quarum praecipuae videri possunt in Appendice II.ª litt. C.).

5.° *Forma procedendi.*—In ipsa Poenitentiaria supplicationes vel dubitationes apud *Regentem* praesentatae, aut per solum Regentem post consultationem cum officialibus majoribus, aut ab ipso Poenitentiario Majore, aut facto verbo cum SSmo. *resolvuntur*. Concessiones factae, si sint de stylo, a Regente subscribuntur cum formula: *Fiat in forma*; si requirant praevium mandatum Poenitentiarii Majoris, cum clausula: *Fiat de speciali*;

denique, si necessarium sit beneplacitum apostolicum, cum clausula: *Fiat de expresso*. Deinde supplicationes a Regente subscriptae transmittuntur ad Datarium, ut apponat datam, et ad Correctorem pro revisione. Denique, gratiarum concessiones in forma epistolarum familiarum vel Brevium *expediuntur* per scriptores, atque, apposita subscriptione Correctoris et Sigillatoris, etiam sigillo muniuntur. Quibus peractis, restat, ut rescripta gratiae, quae a S. Poenitentiaria in forma commissoria dari solent, juxta tenorem verborum rite executioni mandentur (Cf. Wernz, t. II, n. 674).

VI. **Signatura Gratiae**.—Erat supremum tribunal gratiae, in quo coram Sanctissimo deliberabatur, an per clementiam Principis expediret legem communem relaxare ad petitionem alicujus subditi.

Xystus V in celebri Const. *Immensa* hanc Signaturam ordinavit quasi propriam Cardinalium Congregationem; eam enim constituebant plures Cardinales, inter quos illi potissimum, qui aliquod gerebant munus in aliis tribunalibus aut Congregationibus, ut, pro re nata, Papam docerent an opportunum fuerit gratiam concedere vel illam denegare. Hinc Cardinalis Vicarius, et Camerarius, et Pro-Datarius, Praefectus Signaturae Justitiae, ac singuli Praefecti S. Congregationum Signaturae Gratiae cooptabantur. Praelati quoque Votantes et Referendarii illi adscribebantur, et ex illis plerique erant Votantes utriusque Signaturae, cum hac tamen differentia: nempe: Votantes in Signatura Gratiae votum tantum consultivum habebant, si a Papa exquirebatur. Aliquando hoc tribunal Gratiae etiam in forma contentiosa procedebat, cum, scilicet, gratiae concessio habebat contradictorem, ut, puta, ne concederetur rescissio actorum, ne permitteretur appellatio in suspensivo, etc. Cum demum competentia hujus tribunalis tota exerceretur in gratiis conferendis, etiam adversus decreta a SS. Congregationibus edita vel adversus Pontificum constitutiones et rescripta, ipsae Congregationes Romanae aliique Judices, qui Signaturae Justitiae non subsunt, decretis Signaturae Gratiae obnoxii erant, eo vel magis quod judex verus fuerit unus Rom. Pontifex. Sed hoc tribunal penitus hodie in desuetudinem abiit, neque in Hierarchia Curiae vestigium aliquod illius amplius reperitur.

PUNCT. III.—SECTIO JUSTITIAE CURIAE ROMANAE

I. Sacra Rota. II. Camera Apostolica. III. Signatura Justitiae. IV. Scholion de Rota Hispana.

I. **Sacra Rota.**—Successit Consistoriis, et est tribunal supremum compositum duodecim auditoribus, quorum est judicare causas spirituales aut civiles, non autem criminales, delatas ad Pontificem. Actio hujusce tribunalis fere ad nihilum fuit redacta per institutionem Congregationum; et, ex *Motu proprio* SS. Leonis Papae XIII, 15 Dec. 1878, tractare debet de rebus litigiosis in materia Rituum, et de causis beatificationis et canonizationis.

Ex Auditoribus, duo sunt hispani, unus gallus, germanus alius et octo itali. Omnes nominantur a Papa: sex immediate, et sex Principum praesentatione.

II. **Camera Apostolica.**—Fuit supremus magistratus in Curia Romana ad administranda et vindicanda jura temporalia Sedis Apostolicae et ditionis pontificiae (camera thesauraria), et verum tribunal in causis fisci et aliis quibusdam civilibus et criminalibus, et adhuc hodie incumbit rebus temporalibus Ecclesiae Romanae, quamvis, ob praesentem rerum-publicarum conditionem, nequeat suam explicare permagnam potestatem.

Coalescit ex Cardinale *Camerario*, qui, Sede vacante, successor fit Pontificis in sua terrena ditione *Vice-camerario*, qui simul fuit Gubernator Urbis, *Auditore de Camera*, qui suum proprium habet tribunal, *Thesaurario generali*, et *Clericis* dictis *de Camera*, quorum numerus varius fuit, donec S. Pius V duodecim esse constituit; quod, de jure saltem, hactenus viget. Hi sunt judices ordinarii *Plenae Camerae* tribunal constituentes, cui praeest Cardinalis Camerarius, «qui, uti refert De-Luca (op. cit. Dist. 33, n. 4), volens potest, sed non solet, vel raro, sedere in Camera. Clerici de Camera inter Capellanos pontificios numerantur et Papae ministrant quasi acolythi.

III. **Signatura Justitiae.**—1.° *Origo.*—Originem ducit ab antiquissima praxi recurrendi ad Sedem Apostolicam pro controversiis decidendis, sive per ipsum Rom. Pontificem, sive

per auditores vel delegatos ab eo constitutos. Cum vero supplicationes praevio examini subjicerentur *Referendariorum Apostolicorum*, hi responsum ad *signandum*, idest, subscribendum Rom. Pontifici proposuerunt; unde nomen *Signaturae* ortum est. Alexander VII Const. *Inter ceteras* 13 Jun. 1656 praxim jam inductam distinguendi inter *duodecim* Referendarios *Votantes* Signaturae Justitiae et reliquos Referendarios simplices approbavit, eosdemque duodecim Referendarios Votantes in proprium collegium erexit.

2.° *Constitutio.*—Constituitur ex Cardinale *Praefecto* et septem Praelatis *Votantibus* (olim 12) a Rom. Pontifice libere nominatis, quorum unus *Decanus* est, et variis officialibus, scilicet: *Auditore-Secretario*, *Auditore Praefecturae* et *Notario-Cancellario*. His accedunt sine voto quamplurimi Praelati simplices Referendarii, qui ad 55 attingebant initio anni 1903 juxta *Hierarchiam Catholicam* illius anni.

3.° *Natura et competentia.*—Signatura Justitiae erat proprie tribunal supremum pontificium ad decidendas quaestiones judiciales, quae aliorum tribunalium pontificiorum competentiam excedebant. Usque ad initia saeculi XIX jurisdictionem exercuit in universam ecclesiam, sed deinde vi Constitutionis Leonis XII (*Cum plurima*, 11 Apr. 1826) et *Regolamento* Greg. XVI, Signatura Justitiae reducta est ad tribunal quoddam supremum Status Pontificii, cujus est decidere controversias de competentia diversorum tribunalium, de nullitate actuum et sententiarum judicialium, de avocatione causarum, recusatione judicum, restitutione in integrum aliisque similibus causis *formam procedendi* concernentibus, tum in foro civili, tum in foro ecclesiastico, exceptis Sacris Congregationibus, quae Signaturae Justitiae non subjiciuntur. Nunc jurisdictio Signaturae Justitiae quiescit, et ex *Motu proprio* Leonis XIII 15 Dec. 1878, Votantes hujus et alterius Signaturae vident relationes Episcoporum sacra Limina visitantium.

IV. **Scholion de Rota Hispana.**—1.° *Quid sit.*—Est tribunal collegiale Pontificium jurisdictione delegata pollens ad omnes causas, quae specialiter Papae reservatae non sunt, judicialiter et definitive cognoscendas in Hispania, ejusque dominiis. Ut nunc est, institutum fuit a Clemente XIV 26 Mart. 1771.

2.° *Quibus personis constituatur.*—Constituitur Nuntio Apostolico, qui praeses natus est; sex auditoribus numerariis; duobus supernumerariis, qui assignatione carent, sed optione ad vacantes fruuntur; Fiscali et Nuntii assessore. Hi duo a Papa directe nominantur, sed hispani esse debent; auditores vero etiam a Papa instituuntur, sed ad praesentationem Regis. Auditorum praeses est Decanus.

3.° *Quomodo procedat.*—Pro qualibet causa, nominatur, speciali Nuntii delegatione, Ponens cum duobus auxiliariis, ita ut tribunal ex tribus auditoribus componatur alternatim eligendis. Necessariae sunt tres sententiae conformes, ut decisio transeat in rem judicatam; et in hoc, sicut et in aliis, Rotam imitatur Romanam. Causae demum fidei et criminales Episcoporum ejus competentiam excedunt, et Papae immediate reservatae sunt; et alias cognoscere non valet, nisi in gradu appellationis, quando ad illud tribunal feruntur; vel quando quaestio agitatur inter personas, quae alium superiorem immediatum non habent; sed nequit appellationes, omisso medio, recipere.

Punct. IV.—de familia pontificia

I. Quinam familiam pontificiam constituant. II. Speciatim de Protonotariis Apostolicis.

I. **Quinam familiam pontificiam constituant.**—Illam constituunt: 1.° Tres Cardinales palatini, scilicet: Secretarius Status, Pro-Datarius et Secretarius Brevium. 2.° Praelati palatini, nempe, Majordomus Papae, Magister Camerae, Auditor et Magister S. Palatii Apostolici. 3.° Camerarii secreti participantes. 4.° Sacrista Papae. 5.° Secretarius S. Congr. Caeremonialis. 6.° Praelati domestici, e quorum numero sunt Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi solio Pontificio assistentes, Protonotarii Apostolici, Auditores S. Rotae Romanae, Praelati clerici Camerae Apostolicae, Praelati Votantes et Referendarii Signaturae Justitiae, Abbreviatores de Parco Majore, et alii quamplurimi, qui extra praedicta collegia versantur, sub nomine generico Praelatorum domesticorum. 7.° Camerarii *di spada e cappa* participantes. 8.° Status Major et Officiales Superiores Corporis Custodum nobilium Pontificis. 9.° Camerarii secreti supernumerarii. 10. Camerarii secreti *di spada e*

cappa numerarii. 11. Id. supernumerarii. 12. Camerarii honorarii in habitu dicto *pavonazzo*. 13. Camerarii honorarii extra Urbem. 14. Camerarii honorarii *di spada e cappa* de numero. 15. Id. supernumerarii. 16. Status Major et Officiales Superiores Custodiae helveticae et palatinae. 17. Familiares addicti ministerio ecclesiastico Rom. Pontificis, ut sunt, praeter Sacristam, Magistri Caeremoniarum Pontificalium, Capellani secreti, Capellani secreti honorarii, Capellani honorarii extra Urbem, Clerici secreti, Collegium Capellanorum Communium Pontificiorum, Praedicator Apostolicus, Confessarius Familiae et Sub-Sacrista SS. Palatiorum Apostolicorum. 18. Demum adsunt nonnulli alii Familiares pro servitio corporali et immediato ipsius Pontificis, ut Coadjutor Camerae, Medicus privatus, Chirurgus privatus, etc. (1).

II. **Speciatim de Protonotariis Apostolicis.**—1.° *Origo.*—Originem ducunt a septem Notariis, quos in septem Romae regionibus S. Clemens I constituit ad Martyrum acta describenda, quique, transactis persecutionum temporibus, diplomata aliasque pontificales litteras exaravere. Ut a ceteris Notariis distinguerentur, vocati sunt *Protonotarii*, quasi *Primi Notarii*.

2.° *Classes.*—Triplicis generis sunt: **a)** *Participantes* seu de Collegio. **b)** *Supernumerarii* seu *ad instar* participantium. **c)** *Honorarii* tantum.

3.° *Jura et privilegia.*—Omnibus Protonotariis Apostolicis, etiam honorariis, competit rogare, stipulare et legalizare quoslibet actus, et scripturas cujuscumque generis tam publicas quam privatas, quae plenam, legalem et integram fidem tam intra quam extra judicium faciunt.

Protonotarii *participantes* pluribus fruuntur privilegiis (V. Const. Pii IX *Quamvis peculiares*). Habitum praelatitium, veste nempe et cappa coloris violacei cum rochetto induunt, galerum nigrum gestant vitta et floccis rosaceis ornatum; missam etiam privatam tum Romae cum extra celebrant more praelatitio; a jurisdictione Ordinariorum eximuntur; altari portatili uti possunt in itinere, et immediate succedunt post Episcopos consecratos, quatuorque alios Praelatos Curiae Romanae dictos *de Fiochetti;* qui sunt: Gubernator Romae, Camerae Apostolicae Auditor, Magnus Thesaurarius et Majordomus.

(1) Camerarii seu Cubicularii Praelaturam amittunt, quum moriatur Papa.

Protonotarii *ad instar*, exceptis juribus utilibus, fere iisdem gaudent privilegiis ac participantes; sed hodie post Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* 4 Kal. Sept. 1862, nequeunt celebrare pontificaliter cum mitra et aliis pontificalibus nisi cum Ordinarii consensu, moderatiori ornatu, et solemnioribus tantum festis, non amplius in suis itineribus uti possunt altari portatili, neque in missa privata sese distinguere a simplicibus presbyteris (Cf. etiam Decr. S. C. R. 18 Mart. 1898 in quo plura quoad haec determinantur). Frui tamen possunt oratorio privato.

Protonotarii *honorarii* non iisdem ac praecedentes gaudent privilegiis, et quamvis gestare possint praelatitium habitum quoad formam, hic tamen debet esse nigri coloris, ita ut color violaceus omnino et in qualibet vestium parte eis interdicatur (1).

§ IV.—DE SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS

Agemus: I. de SS. Congregationibus Romanis in genere; II. de SS. Congregationibus Romanis in specie.

PUNCT. I.—DE SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS IN GENERE

I. SS. Congregationum Rom. natura. II. Divisio. III. Constitutio. IV. Competentia. V. Forma procedendi.

I. **SS. Congregationum Rom. natura.**—Congregationes Romanae sunt Collegia particularia seu minora Cardinalium per Romanos Pontifices in Urbe constituta ad certa negotia ecclesiastica discutienda et per vota majora, ordinarie etiam decisiva et non tantum consultiva, definienda.

II. **Divisio SS. Congregationum.**—Distinguuntur: 1.° In Congregationes *ordinarias*, quae in perpetuum sunt erectae, et *extraordinarias*, quae occasione data pro extraordinariis quaestionibus discutiendis ad tempus deputantur. 2.° In *independentes*, *principales* seu *generales* et *dependentes*, *subsidiarias* seu *particulares*, quae Congregationi cuidam principali adjunguntur et subordinantur.

III. **Constitutio SS. Congregationum.**—Eas proprie constituunt quidam Cardinales prudenti arbitrio Ponti-

(1) In Hierarchia catholica a. 1903 nullum exstat vestigium hujus tertiae classis Protonotariorum *honorariorum*.

ficis definiti et designati, quorum tres saltem praesentes esse debent in Congregationibus ad deliberandum et valide judicandum, nisi Papa ex speciali indulto, duobus, v. g., tantum praesentibus Cardinalibus, causam definire permittat. Ordinario unus ex illis constituitur praeses, qui vocatur Congregationis Praefectus. Et dicimus *ordinario*, quia in nonnullis Congregationibus Papa sibi praefecturam reservavit. In singulis Congregationibus adest etiam *Secretarius*, qui Praefecto assistit, officium habet praelatitium et Archiepiscopus titularis esse solet, et pleraeque earum suos habent *consultores* atque *officiales* inferiores et subalternos.

IV. **Competentia SS. Congregationum.**—*Quoad materiam* restringitur ad causas natura sua *publicas* et illud particulare genus negotiorum, quae ipsis auctoritate apostolica sunt assignata; quae competentia circa *primaria* negotia, ob quae institutae sunt, est *privativa*, circa negotia vero minora *cumulativa*. In competentia cumulativa datur locus praeventioni, ut in Prolegomenis (p. 24 litt. **a**) explicatum est. Pro ceteris, quae ad ipsarum auctoritatem referuntur, ad eadem Proleg. (p. 22 et seqq.) remittimus lectorem. Hic tantum notamus potestatem SS. Congregationum esse apostolicam, quia Congregationes vices gerunt Rom. Pontificis cum amplissima et permanente delegatione; esse igitur *derivatam* seu delegatam in radice, non originariam, sed *ordinariam* ratione modi quo exercetur, si casus excipiantur in quibus procedant ex speciali delegatione Pontificis. Ex quo sequitur earum jurisdictionem non *extingui* per mortem Rom. Pontificis, quamvis ordinarie, Sede Apost. vacante, quiescat, et nonnisi in casibus extraordinariis *licite* exerceatur. Esse tamen ordinariam non obstat quominus in negotiis gravioribus, nonnisi consulto SSmo. Domino, aut cum ejus approbatione, decisiones suas vel responsa publicare possint. Notetur demum Rom. Congregationes non solere exprimere motiva suarum decisionum, ideoque argui non posse, tamquam ex fontibus legalibus, ex argumentis exhibitis a secretario, consultoribus vel advocatis.

Quoad personas, competentia SS. Congregationum se extendit in totam Ecclesiam, ita ut omnes fideles cujuscumque dignitatis teneantur iisdem obedire, quin detur

ab ipsarum decisionibus recursus vel appellatio ad aliud tribunal superius.

Quoad formam et speciem jurisdictionis, competentia SS. Congregationum *ordinaria* est praecipue administrativa, saepe judicialis vel etiam coërcitiva.

V. **Forma procedendi SS. Congregationum.**—Oportet ad hoc distinguere inter negotia *graviora* et *minora judicialia* et *extrajudicialia*.

1.° *Graviora* pertractantur in *plena congregatione*, quae est conventus Cardinalium singulae Congregationi addictorum. *Minora*, si nulla indigeant deliberatione, ab officialibus Secretariae rediguntur in debitam formam rescripti; quae fit authentica per suscriptionem Secretarii et Cardinalis Praefecti; si vero aliqua implicantur difficultate, remittuntur deliberationi *congressus*, qui est conventus Praefecti cum suo Secretario et aliis officialibus ejusdem Secretariae, et habetur singulis hebdomadis, dempto vacationum tempore, semel aut bis, statis diebus in aedibus Cardinalis Praefecti. Sed tum in *congressu*, tum extra *congressum* omnia resolvuntur et definiuntur nomine et auctoritate Congregationis seu Cardinalium eidem addictorum, quare acta quaecumque negotii resolutionem continentia auctoritati Congregationis adscribuntur. Causae insuper *graviores*, inter quas omnes judiciales numerantur, priusquam in plena Congregatione pertractentur, praeparantur a Secretario, et, si opus sit, in ipso Congressu; et, si difficiliorem juris quaestionem vel consultationem contineant, per vota consultorum typis impressa, offeruntur instructae necessariis documentis definitivae deliberationi Cardinalium. Decisio vero ad Papam refertur in solita die Audientiae a Secretario vel a Cardinali habendae, et, si non excedat potestatem ordinariam Congregationis, inseritur clausula: *vigore facultatum*, etc.; si vero excedat, semel approbata resolutione a Rom. Pontifice in forma specifica, inseritur in rescripto: *ex audientia SSmi.*, etc.

Juxta morem ordinarium, Congregationes Rom. non recipiunt memorialia vel supplicationes, nisi de manu ad manum, idest, non viva voce aut per litteras simpliciter missas. Supplicationes vero debent dirigi ad ipsum Papam et indicare nomen, qualitates, domicilium ac dioecesim supplicantis.

2.° *Si agatur de negotiis administrativis*, idest, non contentiosis, unusquisque potest has supplicationes vel etiam consultationes praesentare, nullo adhibito agente, procuratore, nec advocato. *Agentes* tamen de facto fere semper adhibentur, et, excepta Congregatione *de Propaganda Fide*, ab omnibus Congregationibus admittuntur. Semel autem rite praesentatis, negotia administrativa vel petitiones gratiarum a SS. Congr. non expediuntur, nisi audito Ordinario proprio vel Superiore generali ordinis religiosi *pro informatione et voto*; quinimo, si negotium jus tertii laedere videatur, mandato informationis additur clausula: *auditis interesse habentibus*. Capta informatione et facta discussione, si negotium facultatem ordinariam S. Congr. excedere videatur, decisio adoptata per Secretarium ad Papam refertur, ut ab eo approbetur. Deinde decisio data per rescriptum ad Ordinarium vel Superiorem regularem pro executione remittuntur.

Generatim executori *nudum ministerium* committitur, quin valeat executor judicialiter inquirere de oratoris conditionibus et gratiae opportuna concessione, seu de vitio *obreptionis* vel *subreptionis*, (quamvis si de vitio *notorie* constaret, ab executione abstinere deberet), et tunc in rescripto adhibentur verba: *Sacra Congregatio petitam gratiam oratori benigne impertita est.* Aliquando rescriptum in *forma commissoria concipitur*, quod fit hac formula: *S. Congregatio oratoris preces remittit arbitrio et conscientiae Episcopi cum facultatibus necessariis*; et in hoc casu gratiae concessio nondum est facta, sed ab arbitrio executoris pendet, qui potest eam concedere vel denegare, prout in Domino expedire judicaverit. Aliquando demum concipitur rescriptum in *forma mixta*, ita ut S. Congregatio gratiam quidem concedat, sed ea conditione ut nonnulla sint, de quibus inquirere debet executor, et in hoc casu, si executor ea vera reperiat, rescriptum exequi tenetur. Pro rescriptis conceptis in hac postrema forma, haec verba adhiberi solent: *S. Congregatio benigne annuit et propterea mandavit committi Episcopo* (vel alii executori) *ut veris existentibus narratis, oratori petitam gratiam concedat*; vel simpliciter: *S. Congr. benigne annuit arbitrio et conscientiae Episcopi.*

3.° *Quoad causas judiciales.* a) *Principia generalia.*

1.m Causae in prima instantia a Congregationibus non excipiuntur nisi de *majoribus* causis agatur vel ipsi Ordinarii id expetant; et in his casibus processum *in partibus* conficiendum committitur, sibi a Cardinalibus reservata definitiva sententia. 2.m SS. Congregationes, si causae Beatificationis et Canonizationis et causae C. Concilii excipiantur, modo *summario* et saepe *oeconomico* procedunt; ita ut facile ipsae partes admittantur ad agendum et respondendum absque opera procuratoris aut advocati. 3.m SS. Congregationibus non admittuntur nisi Advocati, Procuratores et Agentes approbati (1). 4.m Expensae judiciales in causis agitatis coram SS. CC. ordinarie ab unaquaque parte solvendae sunt, quoniam pars victa ad reficiendas expensas condemnari non solet. An in causis matrimonialibus, alimentorum, spolii, in causis contumacialibus et *novae Audientiae* ex Decr. S. C. Concilii refectio expensarum, vel praestatio quoque alimentorum sustinenda est ab eo, qui per fraudem alium judicio fatigasse praesumitur.

b) *Processus*: 1.° Causa censetur introducta per memoriale, quod illi, qui postulat justitiam, praesentat vel praesentare facit Secretario, et in quo declarat se agere in prima instantia, vel appellare a sententia judicis inferioris. 2.° Introducta hoc modo causa, nisi concessum sit ut procedatur oeconomice, appellans debet infra viginti dies eligere procuratorem, qui fit causae patronus, nomen suum apponit omnibus documentis eaque praesentat Secretario Congregationis. 3.° Non semper admittitur appellatio, quae, si respuatur, rescribitur a Congregatione: *lectum ad instantiam*; si vero excipiatur, acta prioris instantiae ad S. Congregationem transferri decernitur et decretum datur, quo causae instructio committitur Cardinali ponenti; in Congr. vero Concilii singulare est quod Ponens ordinarius sit Secretarius, et quod detur decretum verbis: *ponatur in folio*, quibus exprimitur negotii judicialis admissio, et praecipitur fieri relationem causae exaratam in quodam

(1) Approbatio datur per S. C. Concilii, ut suo munere fungi valeant apud Curiae Rom. Congregationes, Officia et Tribunalia; simplex enim approbatio apud alia tribunalia aut dicasteria aut alias Congregationes (si Advocatos excipias *Consistoriales* et Procuratores *de Collegio*) titulum non constituit absolutae approbationis quoad cetera indiscriminatim collegia et tribunalia Curiae; sed nec ipsa approbatio Congr. Concilii sufficit ad peroran-das causas Beatorum et Sanctorum, et pro expediendis negotiis Datariae.

libello, hodie typis impresso, et Cardinalibus dando, qui libellus *folium* in Curia nuncupari solet. 4.° Officium *Ponentis* est non tantum causam referre in plena Congregatione, sed etiam nonnullos actus ponere proprios stylo Curiae, servatis quoad alios praescriptionibus juris communis pro instructione processuum. Jamvero potior actus a Ponente curandus est *concordatio dubiorum*, quae in stylo Curiae aequivalet contestationi litis. Si agatur de causa appellationis judicialis, formula constans dubiorum haec est: *An sententia curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu*. Si de appellatione extrajudiciali sermo sit, formula est: *An decretum curiae sustineatur in casu*, vel *An sit confirmandum* vel *infirmandum in casu*. In aliis vero quaestionibus in prima instantia disceptandis, dubia concordantur apud Ponentem vel ejus Auditorem per ipsas partes legitime citatas aut earum procuratores; at si non conveniant inter se de dubio concordando, dubium *ex officio* ab ipso Ponente vel ejus Auditore exprimitur, salvo jure partium proponendi suas exceptiones S. Congregationi contra formam dubii ex officio concinnati. 5.° Ponentis etiam est assignare diem propositionis causae in plenariis comitiis Cardinalium, in quibus ipse relationem facit addito ejus voto *deliberativo* vel *consultivo* prout Ponens fuerit unus ex Cardinalibus vel Secretarius; sed antequam causae propositionis dies adveniat, ab advocatis et procuratoribus conficitur scriptis *informatio* constans *summario actorum* et *animadversionibus* seu *districtu juris et facti* (quae informationes Cardinalibus et Ponenti domi redduntur), necnon fit communicatio adversarum informationum inter partes contendentes. Paulo ante diem propositionis *oretenus* fit informatio apud eumdem Ponentem tantum ut scripta relatio melius explicetur. 6.° Responsiones datae dubiis propositis a Patribus Cardinalibus in plena Congregatione, a qua excluduntur Procuratores et Advocati, sententiae judicialis vim obtinet. Sententia lata notificatur Procuratoribus, qui, etsi non possint appellare, non enim datur veri nominis appellatio a sententiis Congregationum Rom., possunt infra decem dies postulare beneficium *novae audientiae*, quae semel semper conceditur a Cardinale Praefecto, nisi in sententia clausula adjungatur: *et amplius*, vel *amplius causa non proponatur;* tunc enim, nisi *nova* et *graviora* urgeant litis argumenta, beneficium non conceditur. Termino decem dierum inutiliter elapso, sententia transit in rem judicatam. 7.° Propter paupertatem partium ad vitandas expensas, praesertim in causis matrimonialibus, conceditur, dummodo una ex partibus non opponatur per clausulam «*Nihil transeat*», procedura *oeconomica*, qua, exclusis advocatis et, si partes velint, procuratoribus, saepe per *duos consultores* (notetur consultores

gratis ministerium praestare), unum theologum, alterum canonistam, post examinata acta conscribuntur vota de merito causae. Illis votis Secretarius et in causis matrimonialibus defensor vinculi suas addunt animadversiones et relationes, quibus innixi Cardinales ferunt sententiam (1).

PUNCT. II.—DE SS. CONGREGATIONIBUS IN SPECIE

I. Fundatores SS. Congregationum. II. S. C. Consistorialis cum connexa et suppressa examinis Episcoporum. III. S. C. S. Officii et S. C. pro eligendis Episcopis cum illa hodie confusa. IV. S. C. Indicis. V. S. C. Concilii cum adnexis. VI. S. C. super negotiis Episc. et Regularium cum adnexis. VII. S. C. Rituum cum subsidiaria *Caeremoniali* et adnexa. Indulg. et Sacr. Reliquiarum. VIII. S. C. de Propaganda Fide cum similari pro Ritu Orientali. IX. C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis. X. C. Studiorum. XI. C. Fabricae S. Petri. XII. C. Lauretana. XIII. C. Visitationi Apostolicae. XIV. Scholion de *commissionibus* cardinalitiis.

I. **Fundatores SS. Congregationum.** — Prima omnium Congregatio Cardinalium, seu stabilis Commissio Eminentissimorum Principum est S. C. Inquisitionis, quam Paulus III instituit; cujus exemplum Pius IV, Pius V et Gregorius XIII secuti sunt. Sed principalis auctor SS. CC. est Xystus V, qui non contentus una alterave Congregatione particulari erigenda, universa negotia ecclesiastica in integrum quoddam systema quindecim Congregationum rite ordinatum et connexum distribuit. Postea Clemens VIII, Gregorius XV, Urb. VIII, Clem. IX, Pius VII et Pius IX alias Congregationes adjecerunt, sed et alii Pontifices, inter quos ipsi Leo XIII et Pius X, nonnullas Congregationum jam existentium aliquantulum sunt modificati.

II. **S. Congregatio Consistorialis cum connexa et suppressa Examinis Episcoporum.**—1.° *Congregatio Consistorialis* fundata fuit a Xysto V in Const. *Immensa* ad elucidandos processus et negotia praeparanda, quae sunt expedienda in Consistorio.

a) *Constituitur* Praefecto, qui est ipse Papa, variis

(1) Vide in Appendice III, littera **B)** formulas usitatiores in responsionibus SS. Congregationum Rom., earumque explicationem.

Cardinalibus, Secretario aliisque tribus Praelatis, quorum unus Substitutus, alter Summista Adjunctus (*Minutante Adjunto*) et alter archivi Curator, et, cui alter scriptor auxilium praebet.

b) *Competentia* eruitur ex scopo praeparandi negotia Consistorio reservata. Quare ad ipsam spectat inquisitio de erectione, divisione, unione, permutatione dioecesium et de omnibus difficultatibus inde emergentibus, de coacta vel voluntaria translatione Episcoporum, de ipsorum electione, postulatione, praesentatione aut nominatione, de deputatione Coadjutorum, etc., atque de processu informativo super qualitatibus promovendorum Episcoporum facto extra Curiam Rom., vel ipsum processum directe conficere.

c) *Forma* procedendi communiter est mere informativa; at cum agitur de jure tertiarum personarum, v. g., in unionibus Ecclesiarum, etiam proceduram judicialem instituit; sed acta processualia nonnisi in casu extraordinario, et tunc per suum Secretarium, ipsa conficit; regulariter enim ad hujusmodi acta deputat Nuntios vel Legatos Apostolicos, aut Metropolitas vel Ordinarios *pro informatione et voto*.

2.° Cum S. Congr. Consistoriali connexa erat tamquam subsidiaria Congregatio *super examine Episcoporum*, quam secundum intentionem Gregorii XIV morte praeventi Clemens VIII instituit. Ejus officium erat promovendos ad dioeceses examinare, ad experiendum ipsorum peritiam in doctrina tum theologica cum canonica. Sed jam pridem haec examina pro promovendis extra Italiam in desuetudinem abierant, et adhuc intra Italiam et Insulas adjacentes non amplius cum antiquo rigore exigebantur; unde quamvis *de jure* nondum sit abolita, *de facto* jam quiescebat haec S. Congregatio, donec per *Motum proprium* Pii X, 17 Dec. 1903, quo proprium ipsius munus perficiendi *periculum doctrinae* in promovendis ad Episcopatus transfert ad S. Officium, nec de jure amplius existere dicenda est.

III. **S. Congr. S. Officii et pro eligendis Episcopis, hodie cum illa confusa.**—1.° *Origo et natura*.—S. C. S. Officii, dicta etiam et magis proprie S. R. C. Inquisitionis, est Congregatio cardinalitia a Paulo III instituta, et a Pio IV, S. Pio V et Xysto V confirmata, potestatem

habens inquirendi, citandi, procedendi et definiendi in causis tam haeresis manifestae quam schismatis, apostasiae a fide et eorum omnium, quae etiam praesumptam haeresim sapere videntur, necnon fidem tuendi per declarationes, instructiones et decreta.

2.° *Constitutio S. Officii.*—Praefectus hujus Congr. est ipse Papa, et Secretarius Cardinalis antiquior. Constat ex majori vel minori Cardinalium numero pro placito Pontificis (initio a. 1903 erant decem); eisque adjuncti sunt *Assessor*, qui hodie primum locum occupat post Cardinales et e Praelatis saecularibus eligitur; *Commissarius* (Inquisitor) ex ordine S. Dominici cum duobus sociis ex eodem Ordine assumptis, cui potissimum cura demandatur praeparandi et instruendi causas criminales per judicium S. C. Inq. definiendas. Porro adsunt Promotor seu *Advocatus* Fiscalis, qui est accusator publicus et interesse Fidei legesque tuetur, et *Advocatus* Reorum. Hi omnes, praeter munia ipsorum propria, etiam veniunt *Consultorum* nomine, quibus aggregandi sunt plures alii Consultores, partim nati, ut Magister S. Pal. Apost., Magister Gener. Ord. Praed. et Professus sacerdos Minorum conventualium, partim a R. Pontifice ex utroque clero speciatim nominati. Adsunt praeterea aliquot *qualificatores* (nunc tres), qui in casibus extraordinariis de aliqua quaestione doctrinali vel libro relationem conscribunt, et plures Officiales, ut sunt Summista et Magister Domus, Proto-Notarius, (qui quatuor nunc habet Notarios substitutos), Archivi Praepositus et Patrocinator (*Computista*).

3.° *Competentia.*—Proprium hujus Congregationis est super fidei puritate vigilare et crimina contraria punire; decisiones profert de rebus fidei et morum, et insuper propositiones et doctrinas erroneas, libros periculosos et clericos de crimine convictos damnat. Personae, in quas suam exercere potest jurisdictionem, sunt omnes fideles, etiam Episcopi et Nuntii Apostolici; at Cardinales, post Xysti V Const. *Immensa*, non amplius sunt S. E. Inquisitionis subjecti, sed solius R. Pontificis judicio reservati.

4.° **Forma procedendi.**—In primis negotia in S. Officio pertractantur sub inviolabili secreto (dicto hac de causa *secreto S. Officii*) cui obligantur omnes huic Congregationi

addicti, sub poena excommunicationis latae sententiae uni R. Pontifici reservatae. Singulis hebdomadibus, exceptis vacationibus, feria secunda habetur congressus consultorum in palatio S. Officii, cui praeest Assessor, et in quo negotia discutiuntur et per vota consultorum definiuntur. Deinde feria quarta sequitur Congregatio cardinalitia (quondam in conventu Fratrum Praedicatorum S. Mariae supra Minervam, nunc vero in eodem palatio), in qua Assessor stans refert quod in prima discussum nec non definitum est, atque Cardinales post factam discussionem negotia per vota majora decisiva definiunt. Quae sententiae Cardinalium (olim eodem die, hodie vero ordinarie per Assessorem in Audientia feriae quintae) SSmo. Domino referuntur, a quo in forma communi generatim approbatae, nomine ipsius Congregationis eduntur. Olim feriis quintis pro arduis negotiis Congregatio habebatur coram Papa in S. Palatio Apostolico; sed ex praxi nunc vigenti rarius et extraordinario celebrantur, et cum occurrunt Causae in ordinaria Congregatione feriae quartae jam examinatae denuo solemnius discutiuntur et a Papa definitive conclusae vel in forma specifica approbatae, ordinarie ut decreta generalia vel Constitutiones Apostolicae nomine ipsius Pontificis, sed per organum S. Officii promulgantur.

5.° *Congregatio pro eligendis Episcopis* ab Innocentio XI prius instituta, a Bened. XIV restaurata, et iterum post ejus abolitionem a Leone XIII pro Italia et Insulis adjacentibus titulo *Commissionis Cardinalitiae* restituta, cujus officium erat inquirere, secreto strictissimo servato, circa personas et qualitates promovendorum ad Episcopatum, vi *Motus proprii* Pii X *Romanis Contificibus*, 17 Dec. 1903, fusa est cum Congr. S. Officii, ita ut, «servatis ex integro rationibus et formis, quae in electione Episcoporum pro locis Sacris Congregaticonibus de Propaganda Fide et Negotiorum Ecclesiasticorum extraordinariorum subjectis, vel ubi peculiaribus Constitutionibus aut Concordatis res moderatur, in praesenti adhibentur, ceterorum omnium Episcoporum delectus ac promotio eidem Supremae S. Officii Congregationi, veluti materia ipsius propria, deferatur».

IV. **S. Congr. Indicis.**—Instituta fuit a S. Pio V, et a Greg. XIII et Xysto V confirmata et in meliorem formam redacta, et constat ex aliquibus Cardinalibus (quorum unus praefectus); Assistente perpetuo, qui est Magister sacri Palatii, cui commissa est cura inspectionis et prohibitionis librorum; Secretario, Ord. Praed.; variis

Consultoribus et Relatoribus, quibus alii officiales inferiores accedunt.

Modum procedendi hujus Congregationis determinavit Benedictus XIV in Const. *Sollicita*; Secretarius cum duobus consultoribus librum examinat, ut videat an delationes fundatae sint necne. Si sint fundatae, inter consultores unus *relator* nominatur, cui censuram fert, notatis separatim erroribus et paginis cum merita censura. Deinde in Congregatione praeparatoria sub Secretario habita, cuique praesens est Magister sacri Palatii, *relator* censuram profert, et cum aliis consultoribus discutitur, datis suffragiis. Postea, in congregatione cardinalitia, Secretarius omnia refert, ut Emmi. concludant. Si auctor est catholicus et perillustris, et opus, aliquibus correctionibus adhibitis, utile esse possit, in decreto prohibitorio additur clausula: *donec corrigatur;* et hoc decretum non publicatur, si auctor vel per se vel per procuratorem correctiones acceptet, novamque operis editionem facere promittat, nisi prioris editionis plurima extarent exemplaria, quo casu publicatur quidem decretum, sed in ipso exprimitur adesse aliam editionem correctam.

Haec Congregatio edidit etiam regulas generales pro librorum prohibitione, quae reformatae fuerunt a SS. P. Leone XIII per Const. *Officiorum et munerum*, VIII Kal. Febr. 1896. Per hanc Const. prohibentur specialiter diaria, folia et libelli periodici qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt. Facultas legendi libros prohibitos obtineri potest vel a S. Congr. Indicis, vel a S. Congr. S. Officii, aut etiam de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis; sed haec facultas non comprehendit libros aut ephemerides ab Episcopis pro sua dioecesi damnatas, nisi expresse concedatur facultas legendi libros a quibuscumque damnatos.

V. **S. Congr. Concilii cum adnexis.**—1.° *Natura.*—Congr. Interpres Concilii Tridentini est C. cardinalitia a Pio IV pro executione Decretorum S. Concilii Tridentini fundata, et a S. Pio V, Gregorio XIII et praesertim Xysto V confirmata et amplificata pro *interpretatione* decretorum ipsius Concilii, quae ad fidem non pertinent, seu disciplinarium tantum.

2.° *Constitutio.*—Coalescit e numero Cardinalium, qui, prudenti arbitrio R. Pontificis, huic Congregationi adscribuntur, quorum unus Praefecti munere decoratur per Breve pontificium, quo jura et obligationes ipsius de-

terminantur: Praefecto assistit *Secretarius*, et huic adjuvant *Subsecretarius*, Auditor aliiqui Officiales, inter quos *Defensor matrimoniorum* computatur. Ex pluribus denique constat *consultoribus* ex utroque clero assumptis.

3.° *Competentia.*—Ei competit authentice Tridentina decreta interpretari quoad mores, et causas cognoscere, quae cum ipsis relationem habent, inter quas ad eam privative spectant causae matrimoniales; decreta conciliorum provincialium examinare et confirmare; visitationem ad Limina Apostolorum, quam Episcopi peragere debent, curare, eorumque consultationibus hac occasione factis respondere, et decreta generalia condere ad morum reformationem juxta mentem Tridentini. Aliqua ex his perficit per Congr. particulares, de quibus infra. Etiam gaudet propria jurisdictione voluntaria concedendi gratias et dispensationes, sed in causis difficilioribus et gravioribus dispensat tantum *facto verbo cum SSmo.*, et in iis quae ejus ordinariam competentiam excedunt, ut in dispensatione matrimonii rati, tantum definit: *consulendum SSmo. pro dispensatione in casu.* Non tamen gaudet potestate legifera ad *novas* leges condendas pro tota Ecclesia, nisi mandatum praecedat speciale R. Pontificis vel confirmatio in forma specifica subsequatur.

4.° *Forma procedendi.*—Causa rite introducta et omnibus collectis quae ad speciem facti spectant, in congressu Praefecti, Secretarii et Subsecretarii decernitur utrum negotium sit de *stylo*, quod in ipso congressu aut per rescriptum ex audientia SSmi. definiri possit, an deferendum sit ad Congregationem generalem vel omnino reponendum per responsum: *Lectum*, vel *expedire*. Si causa in Congr. generali sit proponenda, praeterea a congressu resolvendum est utrum *in folio*, idest, juris ordine servato, vel *oeconomice*, an *per summaria precum* sit pertractanda, idest, post brevem expositionem statim definienda.

5.° *Congregationes particulares adnexae C. Concilii.*—Tres nunc exstant: **a)** Congregatio praelatitia *super statu Ecclesiarum*, instituta a Bened. XIV per Const. *Decet Romanum* 23 Nov. 1740, pro expendendis relationibus Episcoporum in visitatione ad Limina. **b)** Congr. cardinalitia *super revisione Synodorum provincialium* a Pio IX a. 1849 instituta, et quatuor constans Cardinalibus. **c)** Congr. *Im-*

munitates Ecclesiasticae ab Urbano VIII instituta ad negotia quae ad jurisdictionem vel immunitatem ecclesiasticam sese referunt pertractanda, provisorie unita fuit S. C. Concilii a Leone XIII et fere omnino quiescit. Tum haec tum duae praecedentium eumdem Praefectum et Secretarium habent ac S. C. Concilii (1).

VI. **S. Congr. super negotiis Episc. et Regularium cum adnexis.**—1.° *Natura.*—Est Congregatio cardinalitia coalescens jam saltem ab a. 1601 e antiqua *Congregatione Episcoporum* a Greg. XIII commemorata et a Xysto V in Const. *Immensa* sub titulo *Pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum* denuo ordinata, et ex C. *Super consultationibus Regularium* a Xysto V instituta.

2.° *Constitutio.*—Constat ex certo munero Cardinalium prudenti Papae arbitrio definito, quorum unus Praefecti munus exercet, Secretario, Subsecretario, Auditore, Judice relatore, Consultoribus aliisque inferioribus officialibus.

3.° *Competentia.*—Ratione materiae haec Congregatio dicitur *universalis* et *occupatissima*, quia, exceptis causis directe fidei quaestiones aut formalem interpretationem Concilii Tridentini concernentibus, vel iis quae ad S. Rit. C. privative spectant, universa officia Episcoporum et Praelatorum exemptorum atque negotia Regularium cum Episcopis vel inter se inspicit et ordinat. Quoad *formam*, potestas hujus Congr. est praesertim *administrativa* et exercitium jurisdictionis voluntariae amplectitur; tamen in privatis causis contentiosis etiam exercet Congr. potestatem *judicialem* atque in causis criminalibus clericorum *coërcitivam*; sed caret potestate *ordinaria* leges condendi vel interpretandi authentice pro universa Ecclesia. Quoad *personas*, ejus competentia se extendit ad omnes provincias ecclesiasticas extra territorium S. Congr. de Prop. Fide.

4.° *Modus procedendi.*—Praefectus in *congressu* definit

(1) Urbano VIII Congr. particularem *super residentia Episcoporum* instituit, quae postea a Bened. XIV (Const. *Ad Universae* 3 Sept. 1746) instaurata, ut Praefectum habet Cardinalem Vicarium in Urbe pro tempore existentem, et Secretarium eumdem ac S. C. Concilii. In Hierarchia catholica adhuc exstant munera Praefecti et Secretarii, sed jam a multis annis haec Congregatio quiescit.

quaestionem praeviam de admittenda vel rejicienda causa proposita. Admissa causa, ordinariae Episcopus oratoris per epistolam familiarem a Praefecto et Secretario suscriptam interpellatur *pro informatione extrajudiciali*, nisi agatur de causa criminali, quae verum processum praeparatorium exigat vel ob rationes speciales Metropolita, aut Episcopus vicinior vel alius Praelatus sit consulendus. Si ex informationibus acceptis sufficienter de factis constet, causa, vel absque longis ambagibus de *stylo* a Praefecto cum Secretario expeditur, vel *in folio* per dubia rite formata et, si opus sit, per vota etiam advocatorum vel consultorum accuratius instruitur antequam decidatur. In *gravioribus* negotiis Secretarius in plena Congregatione de causa refert, quam Emmi. Patres votis decisivis definiunt; in *gravissimis* vero, seu proprie contentiosis, a Praefecto unus ex Cardinalibus deputatur *Ponens*, et proceditur modo in Puncto I explicato. In causis *criminalibus* per appellationem ad S. C. EE. et RR. rite delatis, Judex relator in plenis comitiis de toto statu causae ad Cardinales refert, et Promotor fiscalis generalis pro Curia episcopali suas proponit conclusiones. Negotia demum *Regularium*, quae a strepitu judiciali quam maxime aliena sint oportet, audito voto Generalis vel Procuratoris generalis ordinis, in forma simplicissima expedientur.

5.° *Congregationes particulares adnexae C. EE. et RR.*— Duae sunt: a) S. C. *super disciplina regulari* ab Innoc. XII (Const. *Sanctissimus*, 18 Jul. 1695) instituta ad reformandam in Italia disciplinam Regularium, quaeque successit in locum C. *super statu Regularium*, quam eodem scopo Innoc. X fundaverat (Const. *Instaurandae*, 15 Oct. 1652). Communem habet Praefectum et Secretarium cum C. EE. et RR., communes consultores et unum tantum proprium habet officialem, qui *Substitutus* nuncupatur. Cardinales, qui ipsi sunt adscripti, etiam inter Cardinales C. EE. et RR. recensentur. Competentia hujus Congr. ad solam disciplinam *internam* Ordinum religiosorum in Italia restringitur (Const. Pii VI *Singulari*, 5 Jan. 1790).

b) S. C. *de statu Regularium Ordinum* a Pio IX per decretum 7 Sept. 1846 instituta ad restaurandam et novis decretis fovendam disciplinam in Regularibus Ordinibus per universam Ecclesiam, Congregatio fuit *extraordina-*

ria, quae plura magni momenti edidit decreta, quibus praesertim negotium sibi commissum, maxima saltem ex parte, ad felicem exitum perduxit, sed hodie practice extincta est, neque enim nominis ipsius in hierarchia catholica (a. 1903) vestigia reperiuntur.

VII. **S. Cong. Rituum cum subsidiaria Caeremoniali et adnexa Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.**—1.° *Natura.*—Est Congr. instituta a Xysto V in saepe laudata Const. *Immensa* ad sacros ritus ordinandos et jura adnexa decernenda et ad causas Beatificationis et Canonizationis extraordinario pertractandas.

2.° *Constitutio.*—Plures habet Cardinales adscriptos praeter cardinalem Praefectum. Constat insuper ex Praelatis Officialibus, inter quos Sacrista Papae, Decanus et Auditor S. Rotae Romanae, Magister S. Palatii Apost., Secretarius, qui est Archiep. titularis, Promotor Fidei, et Sub-Promotor, qui simul est Assessor, et pluribus consultoribus. Etiam Magistri caeremoniarum pontificiarum hujus Congregationis partem efformant (1).

3.° *Competentia.*—Gaudet potestate ordinaria, etiam inconsulto Pontifice, condendi decreta, exequendi et interpretandi leges liturgicas, quaestiones contentiosas super praecedentia et praeeminentiis in processionibus aliisque sacris functionibus et super titulis honorificis judicialiter dirimendi, atque in Congregationibus *extraordinariis* causas Beatificationis et Canonizationis stricto juris ordine servato pertractat.

4.° *Forma procedendi.*—Duplex est: **a)** per Congregationem *extraordinariam,* quae destinatur ad causas Beatificationis et Canonizationis disceptandas, quaeque subdividitur in *antepreparatoriam, praeparatoriam* et *generalem*; **b)** per Congr. *ordinariam,* in qua reliquae quaestiones ad S. R. C. pertinentes definiuntur, et nonnisi per modum exceptionis quaestiones incidentes in causis Beatificationis vel Canonizationis. In ordinaria Congr., si negotium sit contentiosum, *summarie* proceditur, ut in Congr. EE. et RR.; si vero sit gratiosum vel pacificum, v. g., declarationis dubiorum, dispensationis, etc., forma consueta aliarum Congr. servatur.

(1) Intra Congr. Rituum adsunt duae *Commissiones,* scilicet: Commissio *liturgica* et Commissio *historico-liturgica.*

5.° *Congr. Caeremonialis* subsidiaria Congr. Rituum instituta fuit a Xysto V pro caerimoniis liturgicis servandis in Curia Romana, praesertim in capellis vel audientiis pontificiis, et in solemnibus functionibus Cardinalium vel Praelatorum. Eumdem habet Praefectum ac Congr. Rit., sed propriis gaudet Secretario et Subsecretario, pluribus Cardinalibus coalescit,et velut consultores proprii apud ipsam existunt Magistri Caeremoniarum Pontificiarum.

6.° *Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX per Const. *In ipsis* 6 Jul. 1669 instituta, et nuper per *Motum proprium* Pii X *Quae in Ecclesiae,* 28 Jan. 1904, Congregationi Rituum incorporata, facultate pollet «omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentes, quae ad fidei dogma non pertineant, expediendi, abusus in eis extrajudicialiter corrigendi et emendandi, falsas, apocryphas indiscretasque Indulgentias imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, et Papa consulto, rejiciendi, ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque Reliquiis donandis moderationem adhibendi, omniaque pie, sancte et incorrupte fieri curandi».

VIII. **S. Congr. de Propaganda Fide cum similari pro Ritu Orientali.**—1.° *Origo et natura.*—Prima hujus Congr. vestigia inveniuntur in Commissione trium Cardinalium a Greg. XIII eo fine constituta ut catholicos ritus graeci in fide conservaret et schismaticos ad Ecclesiam reduceret. Deinde a Clem. VIII compluribus Cardinalibus aucta et in meliorem formam redacta, tandem a Greg. XV per Const. *Inscrutabili* 22 Jun. 1622 formam actualem et verae Congregationis cardinalitiae accepit pro Fide propaganda in universo mundo. Jurisdictionem exercet in locis, in quibus nondum instituta est hierarchia catholica ordinaria, eaque per Vicarios et Praefectos Apostolicos regit, et etiam in nonnullis territoriis, ubi jam statuta est, ut in Anglia, Statibus Foederatis Americae et Japonia. Sub ipsius jurisdictione quoque est Collegium ab Urbano VIII Romae institutum, quodque hac de causa *Urbanum* dicitur, ut adolescentes in missionum loca destinati, catholicis imbuantur doctrinis et idonei fiant ad infidelium, haereticorumque conversionem.

2.° *Constitutio.*—Illi praeest Cardinalis, qui *Praefecti generalis* munere fungitur; alter Cardinalis est *Praefectus Oeconomiae*; accedunt quamplures alii Cardinales, Officiales, inter quos eminent Secretarius et Protonotarius Apostolicus ad colligenda acta martyrum in regionibus missionum, Consultores ex utroque clero assumpti, et plures officiales inferiores. Intra eamdem Congregationem et ex individuis ipsius efformatae adsunt praeterea duae Commissiones, quarum prima, *pro examine Constitutionum novorum Institutorum religiosorum a Congr. de Prop. dependentium* constituta, *Praesidem* Cardinalem habet et Praelatum *Secretarium;* secunda vero, *pro examine relationum super statu ecclesiarum*, quas Ordinarii et Vicarii Apostolici a Congr. de Prop. Fid. dependentes faciunt, Praesidem et Secretarium inter Praelatos assumptos habet, et utraque propriis ornantur consultoribus. Etiam huic Congregationi spectat *Agentia* generalis Reverendae Camerae Spoliorum.

3.° *Competentia.*—In territoriis suae jurisdictionis exercet potestatem quamdam *legiferam* et *administrativam, judicialem* et *coërcitivam;* ratione vero materiae, competens est in omnibus negotiis ecclesiasticis, quae ad supremum et universale regimen missionum referuntur; quare in suis territoriis habet *exclusivam* jurisdictionem et locum tenet omnium aliarum Congregationum, excepta Poenitentiaria et S. C. Rituum quoad causas Beatificationis et Canonizationis.

4.° *Forma procedendi.*—Est quae explicata fuit cum de Congregationibus in genere sermonem fecimus juxta diversitatem negotiorum.

5.° *Congr. similaris de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis* a Pio IX, per Const. *Romani Pontifices*, 6 Jun. 1862 instituta, Praefectum habet cum praecedenti communem; sed proprio Secretario, consultoribus, officialibus, interpretibus instructa est, et Commissionem etiam duorum Cardinalium cum Praelato Secretario *pro revisione et correctione librorum Ecclesiae Orientalis* amplectitur.

IX. **S. Congr. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis.**—1.° *Natura.*—Est Congregatio cardinalitia, quae etiam *Status* vocatur, a Pio VII (a. 1814) instituta

pro gravioribus emergendis negotiis, praesertim Concordatis, antequam ineantur, examinandis.

2.° *Constitutio.*—Ex variabili constat Cardinalium numero, prudenti Papae arbitrio determinato, et quamvis Praefectum proprium non habeat, vices ipsius gerit Cardinalis Secretarius Status. Constat praeterea ex Secretario, Subsecretario aliisque officialibus et nonnullis consultoribus.

3.° *Competentia.*—Primario se extendit ad expedienda graviora negotia inter Ecclesiam et Civitates. Est etiam competens *ad instar* S. Congr. de Prop. F. in omnibus negotiis ecclesiasticis, quae ad Imperium Russicum vel regiones Americae meridionalis spectant. In pluribus negotiis haec Congr. *votum consultivum* tantum habet, et etiam extra regiones sibi subjectas suam *gratiosam* jurisdictionem saepe exercet.

4.° *Modus procedendi* in ista Congregatione similis est procedurae aliarum Congregationum. Cardinales per Secretarium Status convocantur ad sessiones, quae non raro coram Papa celebrantur. Secretarius in sessionibus habet partem, at non consultores, qui forte vota conscripsere. Omnibus denique secretum impositum est juramento firmatum et gravibus poenis sancitum.

X. **S. Congr. Studiorum.**—1.° Fundata a Xysto V, confirmata a Leone XII (Const. *Quod divina sapientia* 24 Aug. 1824) ut in *Pontificia ditione* studiis universitatum et omnium scholarum publicarum et privatarum praeesset, post usurpationem a. 1870 factam, iterum ad primitivum Xysti V scopum conformata est, atque in *universa* ecclesia supremum regimen Universitatum Catholicarum obtinuit. 2.° *Constat* quampluribus Cardinalibus, quorum unus munere Praefecti fungitur, Secretario, nonnullis officialibus minoribus et variis consultoribus. 3.° Ei *competit* approbare novas erectiones Universitatum Catholicarum, eisque leges et normas tradere, tum in ordine ad cathedras constituendas, tum pro gradibus academicis conferendis, necnon resolvere quaestiones circa jura et privilegia Universitatum Catholicarum jam existentium.

XI. **Congr. Rev. Fabricae S. Petri.**—1.° Est Congr. cardinalitia a Clemente VIII erecta et a Pio IX (a. 1863) ad simpliciorem formam redacta, cujus praecipuum mu-

nus est vigilare super Basilica Vaticana et bonis illius.

2.° *Constituitur* pluribus Cardinalibus, quorum Praefectus est Archipresbyter Basilicae Vaticanae, Secretario, qui est Oeconomus ipsius Basilicae et variis officialibus, quorum alii secretariae ecclesiasticae, alii sectioni administrativae, alii sectioni legali, alii demum officio technico adscripti sunt. Ista Congregatio caret consultoribus.

3.° *Competentia* ipsius, quatenus Ecclesiae universalis interest, ad *pia legata* et *onera missarum* maxime refertur. Imprimis haec Congregatio amplis facultatibus instructa est, ut ad *compositionem* admittat, ex justis causis et soluta summa in favorem Fabricae S. Petri, oratores nimis gravatos oneribus piorum legatorum, tum quoad onerum praeteritorum amissionem, tum quoad futuram onerum expletionem. Pariter *redemptionem* admittit piorum legatorum, dummodo, praevia solutione summae facta in manibus Ordinarii, satisfactioni pii legati consultum sit. Item facultate gaudet haec Congr. *reducendi*, certis servatis clausulis, onera *fundationum Missarum* sive ad tempus sive in perpetuum, sive quoad tempus, locum, aliasque conditiones fundationi adjectas, necnon *dilationem concedendi* celebrationis Missarum manualium ultra duos menses, si fideles in oblatione eleemosynae diem non determinarunt.

XII. **Congregatio Lauretana.**—Est Congregatio cardinalitia ab Innocentio XII constituta, ut praeesset tum Basilicae Lauretanae, tum clero et bonis ejus servitio addictis. Illius Praefectus jussu Greg. XVI est Cardinalis a Secretis Status, quem adjuvant Secretarius et nonnulli officiales. Nullos habet consultores adscriptos, et hodie ipsius potestas valde imminuta est ob usurpatum ab invasoribus picenae regionis administrationem bonorum temporalium, quae diuturna fidelium pietas B. Virgini sacravit.

XIII. **S. Congr. Visitationis Apostolicae.**—Est Congregatio cardinalitia ab Urbano VIII instituta ad peragendam visitationem dioecesis Romanae, quam per se Papa perficere nequit. Resolvit etiam quaestiones circa Cappellanias et legata pia Urbis, quae in contentione partium agitantur. Ejus Praefectus est Romanus

Pontifex, sed Card. Urbis Vicarius nomine et officio *Praesidis* ipsius decoratur. Huic Congregationi duo tantum Cardinales hodie adscripti sunt, duos tantum habet ipsa consultores, sed gaudet Secretario, qui est Archiepisc. titularis, et variis officialibus.

XIV. **Scholion de Commissionibus Cardinalitiis.**— Hoc nomine veniunt nonnullae Congregationes particulares Cardinalium, quae a Congregationibus Cardinalitiis proprie dictis tantum differunt ex defectu stabilitatis et generatim etiam ex scopo magis scientifico, vel particulari, et charactere potius consultivo quam auctoritativo, quem prae se ferunt. Hodie extra ambitum SS. Congregationum supra descriptarum, tantum tres Commissiones cardinalitiae existunt, scilicet: Commissio cardinalitia pro *Studiis Historicis;* id. *pro Studiis Biblicis*, et Commissio Cardinalitia *praeservationis Fidei. Secunda* a Leone XIII instituta, quam plures habet consultores ex diversis nationibus assumptos, eique exclusive competit gradus prolytatus et doctoratus in S. Scriptura, nuper a Pio X institutos per litteras apostolicas in forma Brevis 23 Febr. 1904, illis tantum concedere, qui lauream in S. Theologia jam sint adepti, et anno mediante inter unius et alterius gradus concessionem (Const. Scripturae Sanctae 23 Febr. 1904).

TITULUS V

DE JURISDICTIONE EXEMPTA REGULARIUM

Monitum.—Cum hinc ratione connexionis summopere expediat, quae ad statum religiosum spectant, in eadem pertractare disciplina, nostraque ratio studiorum ideo disciplinam canonicam elegerit, et inde legislatio canonica super religiosis magni nobis intersit, tractatus iste aliis comparatus prolixior evadet; sed eo ut proportioni consulatur, quaecumque a saecularibus praesertim commode possunt praetermitti, minusculis typis consignabuntur.

Sex articulis integrae huic sectioni finem imponemus; itaque: In I. de natura, origine et varietate status religiosi agemus. In II. de fundatione religionum et domorum religiosarum. In III. de professione religiosa. In IV. de religiosorum obligationibus. In V. de religiosorum gubernatione. In VI. de eorum privilegiis. Quae vero judicia, delicta et poenas religiosorum respiciunt, tertio Libro velut proprio loco appositius amandantur.

ARTICULUS I.

DE NATURA, ORIGINE ET VARIETATE STATUS RELIGIOSI

I. Notio. II. Finis. III. Elementa substantialia in genere. IV. Elementa substantalia in specie. V. Origo et utilitas. VI. Varietas religionum.

I. **Notio.**—Dupliciter sumi solet Status religiosus: *improprie*, nempe, et *proprie*. *Improprie* sumptus est: status eorum, qui vi voti unum vel alterum evangelicum servant consilium. *Proprie* est: fidelium ad christianae charitatis perfectionem tendentium, editis perpetuae

paupertatis, castitatis et obedientiae votis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.

II. **Finis.**—Ex hac definitione oritur status religiosi finem esse tendere ad perfectionem, non tantum per media ad salutem necessaria, quae communis omnibus fidelibus obligatio est; sed etiam sese obligando ad alia, quae de se necessaria non sunt, sed quae ad majorem perfectionem conducunt. Ad cujus intelligentiam sciendum est, christianae vitae perfectionem essentialiter in charitate consistere, quae maxime hominem cum Deo conjungit. Sed haec charitatis perfectio, quamquam *essentialiter* obtineatur observantia divinorum praeceptorum, quae removent obstacula charitatis, *secundario* et quasi *instrumentaliter* consistit in observantia divinorum consiliorum, quae removent impedimenta actus charitatis, ut matrimonium, occupatio negotiorum saecularium, etc. Religiosi ergo status perfectio in observantia divinorum mandatorum et consiliorum evangelicorum voto firmata consistit. Sed, cum haec perfectio se habeat ut finem status religiosi, finis autem sit primum in intentione et postremum in exequutione, dicitur proprie statum religiosum esse statum perfectionis acquirendae; sed non acquisitae, ut episcopatus.

III. **Elementa substantialia status religiosi in genere.**—Ex tradita definitione sequitur etiam elementa substantialia status religiosi, juxta praesentem saltem Ecclesiae disciplinam, haec quatuor esse: 1.^m Observantiam consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiae, quibus removentur radicalia charitatis impedimenta, quae sunt: concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae. 2.^m Hanc observantiam esse voto perpetuo confirmatam. 3.^m Esse in communitate sub Praelato. 4.^m Hoc ita esse in religione aliquo modo approbata.

IV. **Elementa substantialia in specie.**—1.^m *Necessitas trium consiliorum evangelicorum* demonstratur ex tradita notione status religiosi, ex doctrina communi Doctorum, et ex Constitutionibus Romanorum Pontificum (C. 6 *de Stat. monach.*; Extr. Joann. XXII, C. 1, 3 et 5 *de verb. signif.*)

2.^m *De votis* videamus: **a)** necessitatem; **b)** divisionem; **c)** discrimina inter vota solemnia et simplicia, et **d)** vim ipsorum.

a) *Voti necessitas.*—Non desunt qui voti necessitatem ne-

gant, in exemplum afferentes Patres Oratorii; sed communissime affirmatur, quia naturâ sua status exigit stabilitatem et immobilitatem, quae in statu religioso nequeunt aliunde nisi per votum haberi, et haec fuit semper Ecclesiae praxis. Patres vero Oratorii non sunt religiosi, et a Greg. XIII in Bulla erectionis clerici saeculares appellantur.

b) *Votorum divisio.*—Duplicia votorum genera quoad religionem Ecclesia distinguit: videlicet, *solemnia*, quae per professionem solemnem emittuntur in religione ab Ecclesia approbata tamquam perfecte regulari, et *simplicia* quae sine hac solemni professione nuncupantur (1).

c) *Discrimina inter vota solemnia et simplicia.*—Quidquid veteres olim thomistae sentirent, sententia modo communissima est haec vota esse ejusdem speciei, et sola extrinseca accidentali differentia inter se differre; seu enim dicatur cum nonnullis, ut Suarez, votum tam simplex quam solemne essentialiter in promissione consistere, seu cum aliis, ut Sanchez, utrumque votum veram importare donationem, quod Constitutioni Gregorii XIII *Ascendente* § 18 conformius est, cum idem habeat objectum et sub eadem religionis ratione formali, illa unius ejusdemque speciei prorsus esse fateamur oportet. In quonam tamen stat accidentalis differentia? *Primo*, quia votum solemne irritat actus sibi contrarios; secus simplex, quod illicitos tantum reddit, si excipiatur votum simplex castitatis ab Scholasticis et Coadjutoribus S. J. emissum. *Secundo*, quia in votis solemnibus solus Papa dispensare potest, in simplicibus vero etiam Episcopus, exceptis reservatis quae sunt: votum religionem stricte seu juridice sumptam ingrediendi, perpetuae castitatis, peregrinationis Hierosolymitanae, ad Limina Apostolorum et Compostellanae, vota quae solemnem professionem in religionibus approbatis praecedunt, et vota in favorem tertii facta ab eoque acceptata. *Tertio*, quia is, qui vota tantum simplicia emisit, a Religione *dimitti*; sed, qui solemnia, solum *ejici* potest.

Ex his sequitur voti solemnitatem juxta probabiliorem et veriorem sententiam consistere in traditione absolute perpetua ex utraque parte simul, et in hoc quod vim habeat inhabilitandi personam ad effectus morales voto contrarios; quae omnia primario pendent ex voluntate Rom. Pontificis vota uti *solemnia approbantis*.

(1) Notetur alia etiam vota praeter tria essentialia nuncupari posse, quae accidentalia sunt, et solemnia vel simplicia sunt, pro natura professionis et privilegiorum apostolicorum.

d) *Vota simplicia sufficiuntne ad statum religiosum?* Plures sunt sententiae; sed nobis distinguendum videtur inter statum religiosum *theologice*, seu quoad essentiam, effectusque essentiales, et *juridice*, seu quoad effectus juridico-canonicos consideratum. Ad primum, sufficiunt vota simplicia emissa in Congregatione approbata, dummodo perpetua sint; ad secundum vero, *regulariter* requiruntur vota solemnia; dixique *regulariter*, quia ob speciale privilegium vota simplicia Scholasticorum et Coadjutorum S. J. *juridice* ut vota vere religiosa considerantur (1). Haec theoria plus ex dicendis patebit.

Nonnulli veteres canonistae docuerunt votorum solemnitatem esse de essentia status religiosi, quod hodie communiter rejicitur. Inter recentiores vero, alii dicunt sufficere vota simplicia perpetua emissa in qualibet Congregatione approbata (ita Bouix); alii requirunt approbationem esse pontificiam (ita Gury); alii insuper approbationem pontificiam respicere ordinem ut vere religiosum (ita Piato; de Jure Reg. t. I, p. 19).

3.m *Vita communis.*—Quamvis ex natura status religiosi non requiratur; siquidem nec statûs ut sic, nec perfectionis ratio id exigit, jure tamen ecclesiastico, *generatim* requiritur, quia melius hoc modo ad praxim votum obedientiae reducitur. Dixi *generatim*, quia anachoritae potuerunt esse veri religiosi, et quia tales revera sunt regulares ejecti, saecularizati, ad episcopatum promoti, vel extra claustra degentes. De facto tamen hodie praescribitur ad validam susceptionem status religiosi; quare hodie divisio ordinum in *eremiticos* et *coenobiticos* mere historica est; sed non ideo prohibita est vita eremitica citra statum religiosum. Vita vero communis *professione* suscipitur (C. 9 *de relig. domib.*; c. un. h. t., in 6.°; S. C. EE. et RR. 11 Aug. 1889).

4.m *Ecclesiae approbatio.*—Disputatur annon sit necessaria jure divino; jure enim ecclesiastico necessaria est; sed ante Innocentium III sufficiens erat Episcoporum approbatio; post vero Concilium Lateranense IV sub illo Papa celebratum, approbatio pontificia necessaria est (*c. ult. de relig. domib.*); quod etiam nunc vigere docent omnes, relate ad effectus juridico-canonicos *religionis;* est enim causa major pluribus titulis

(1) *Regulares* seu juridice religiosi etiam sunt et dicuntur *equites teutonici*, quamvis vota simplicia tantum emittant; nam, post indultum Leonis XIII 16 Mart. 1886, id fit «sarta tectaque ejusdem ordinis natura et religiosa institutione». Sacerdotes vero hujus ordinis solemniter vovere possunt, quare ipse ordo *regularis* dici potest

Rom. Pontifici reservata (loc. cit. cum cap. un. *de relig. domib.* in Extr. Joan. XXII, et Const. Bened. XIV *Quamvis justo*). Si vero religio *theologice* consideretur, alii, prout innui, episcopalem sufficere ajunt; alii approbationem generalem Instituti simul et Constitutionum ejusdem a Papa factam requirunt; alii specialem ut veram religionem exigunt. Secundum saltem sufficere probatur: status religiosus ex sua natura nihil aliud exigit, ut apud omnes hodie in confesso est, quam ut edantur tria vota perpetua; ut fiat et acceptetur traditio, qua vovens divino se mancipat servitio, utque haec peragantur cum aliqua vivendi forma non prohibita. Atqui haec omnia concurrunt ex quo Papa Institutum cum votis simplicibus ejusque Constitutiones approbat. Ergo. Declarationes in contrarium allatae hoc unum probant, nimirum: alumnos horum institutorum non haberi ut vere religiosos, quoad praecipuos effectus juridico-canonicos; minime vero eos theologice non esse tales. Immo haec instituta *Congregationes religiosae* (1)

(1) Juvat hic perspicuitatis causa, praecipuas verborum hoc in tractatu usurpatorum significationes afferre.

1.° *Institutum Religiosum* significat et veram Religionem et quamlibet ejus imitationem.—2.° *Religio* significat formam cultus pluribus communem et praescriptam; et proprie et stricte instituta votorum solemnium.—3.° *Ordo* significat statum personarum in ecclesia, et sic applicatur laicis, clericis et religiosis; *Ordo Religiosus* latissime denotat religiosorum universitatem, latius singula instituta ab ecclesia approbata, proprius instituta approbata a Sede Ap., et strictius instituta votorum solemnium; tandem *Ordo Regularis* est institutum votorum solemnium, ubi nimirum ea fiunt ab aliquibus saltem membris.—4.° *Congregatio* denotat coetum monachorum, plurium monasteriorum complexum, et frequentius omnes familias religiosas; *Congregatio Religiosa* proprie est institutum approbatum a Sede Ap. cum tribus votis substantialibus perpetuis, late vero est institutum vel non approbatum a Sede Ap., vel approbatum absque aliquo votorum substantialium, vel cum votis mere temporaneis; Congregationes improprie dictae seu *Piae Congregationes*, vel *Piae Societates* carent omnino substantia religionis; *Congregationes Ecclesiasticae* vel *Saeculares*, et *Congregationes laicae* sunt, quae constant clericis, vel solis laicis, sive approbatae sive non approbatae sint a Sed. A., quibusque deficit aliquod votum substantiale, aut votorum perpetuitas, aut saltem votorum acceptatio nomine ecclesiae; ita, e. gr., *Presbyteri Missionis* seu *Lazaristae* sunt de corpore cleri saecularis, etsi nuncupent quatuor vota Sanctae Sedi reservata, videlicet paupertatis, castitatis, obedientiae et stabilitatis. 5.° Leo XIII (Const. *Conditae*) omnia «instituta, quae, sacro votorum simplicium suscepto vinculo, sese variis religionis ac misericordiae operibus sancte devovere contendunt» vocat *Familias Religiosas*, sive sint *dioecesanae* aut *polydioecesanae*, quae scl. unius aut plurium episcoporum approbationem nactae fuerint, sive sint *Pontificiae* pleno vel minus pleno

vocantur et sedulo distinguuntur in Congregatione EE. et RR. ab aliis congregationibus, quae essentialia status religiosi non habent, quaeque piis confraternitatibus aequiparantur.

¿V. **Origo et utilitas status religiosi.**—1.° *Origo.*— Secundum se et quoad substantiam ab ipsomet Christo institutus est, qui ad tria consilia evangelica servanda, et saltem implicite ad vota perpetua de illis facienda homines fuit cohortatus. Quoad peculiarem vero et de-

---

jure, quae nimirum *approbationem* instituti et constitutionum, vel instituti aut constitutionum, habuerunt, vel ad minus *decretum laudis* a Sede Ap. consecutae sunt; «est enim primus actus quo S. Sed. ad Instituti opus manum ita admovet, ut cesset esse simpliciter dioecesanum» (*Normae* secundum quas *S. Congr. Episcoporum et Regularium* procedere solet *in approbandis novis Institutis votorum simplicium*, Romae 1901, n. 2). Hac de re inter excludenda a textu constitutionum recensentur «termini juris canonici, qui Institutis votorum simplicium applicari non possunt, v. gr.: regula, religio, monasterium, moniales, etc. quorum loco respective dicendum est: constitutiones, congregationes, seu institutum, domus, sorores, etc.» (ib. n. 32).

Simili modo distinguuntur, qui ad statum religiosum aliquatenus saltem spectant. Unde: 1.° *Regulares* strictissime sunt nuncupantes vota solemnia, minus stricte religiosi simpliciter professi Ordinum Regularium, late novitii praedictorum Ordinum, abusive religiosi omnes.—2.° *Religiosus* idem est ac regularis, saepius tamen indicat alumnos Ordinum et Congregationum Religiosarum, et late et improprie socios Piarum Congregationum.—3.° *Monialis* vel *Sanctimonialis* strictissime est alumna instituti votorum solemnium, minus stricte est religiosa claustralis, quae scilicet vota simplicia nuncupat in domo clausurâ papali utente, improprie est alumna votorum simplicium perpetuorum.—4.° *Soror* est religiosa simpliciter professa, et improprie *pia femina* aut alumna Piae Congregationis.—5.° *Religiosi* dividuntur in *choristas* et *conversos, clericos* et *laicos, scholasticos* et *coadjutores* prout sacris ministeriis vel artibus honestis deputantur. Religiosi item numerantur *Aspirantes*, qui aspirant ad cooptationem religiosorum; *Postulantes*, qui aspirant proxime ad novitiatum; magis proprie *Novitii*, qui in statu probationis ad religiosam professionem versantur, et genus quoddam *Tertiariorum*, qui vocantur *Donati, Oblati, Commissi* et alias, quique se dedicant servitio religiosorum, interdum cum votis, interdum cum simplici promissione obedientiae et gratis omnino et pro Deo. Hinc ab his distinguendi sunt *famuli*, qui conducta mercede serviunt, *alumni convictores* et alii, qui ob continuam commorationem in claustris evadunt et dicuntur *familiares*. Conditio juridica horum omnium attenditur in favorabilibus praesertim, non tamen aequaliter in omnibus omnino Religionibus. Nota plura vocabula interdum promiscue penes auctores usurpari, sive agatur de viris, sive de feminis.

terminatum vivendi modum ab Ecclesia originem habet; fundatores enim adumbrant dumtaxat peculiaris instituti rationem oeconomicam.>

Tria consilia, quae votorum materiam constituunt, continentur in illis Domini verbis: «Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo» (Matth. XIX, 21); «sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum» (ib. c. XIX, 12); «si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me» (Matth. XVI, 24).

<2.° *Utilitas.*—Quamvis jam exinde pateat utilitas status religiosi, non erit supervacaneum haec alia notare: **a)** Qui hujusmodi vitam amplectuntur, Ecclesiam sublimiorum virtutum exercitio illustrant (Vid. S. Cypr. *De disc. et habitu Virginum*). **b)** Ab iis, qui hanc vitam profitentur, salutis impedimenta removentur, via ad coelum assumitur securior, major acquiri perfectio potest, ideoque major in coelo gloria. **c)** Suis exemplis, praedicationibus, exercitiis spiritualibus et missionibus vitam vere christianam in clero ac populo servant ac propagant> **d)** Fidem ac civilizationem christianam ad populos infideles adducunt atque prolatant. **e)** Non parum scientiis tum ecclesiasticis, tum profanis afferunt commodum, uti patet ex diligentia, qua priscorum scriptorum libros servarunt atque transcripserunt religiosi, doctissima evulgarunt volumina, proprias erexerunt academias et juventutis educationi incubuerunt.

<VI. **Varietas religionum.**—Videamus: 1.° an utilis sit haec varietas; 2.° fundamentum distinctionis in religionibus, et 3.° genera statuum religiosorum.

1.° *Utilitas varietatis religionum* evidens est; nam: **a)** fieri nequit ut unus vivendi modus seu status religiosus aptetur variis hominum complexionibus et propensionibus; **b)** adsunt diversa ministeria, in quibus Ecclesiae inservire possunt religiosi et moniales, quae una religio explere nequaquam posset, et **c)** magis sic pulchritudo elucet Ecclesiae in tot tantisque religionum varietatibus, cum unus sit in omnibus spiritus charitatis diversa operantis.

2.° *Fundamentum distinctionis* est diversus finis particularis cujuslibet religionis et diversitas mediorum, quibus ad hunc finem tendunt, et ad vota servanda: quae omnia, cum per Regulas et Constitutiones proponantur, sequitur sic inter se differre, prout diversas habeant Regulam vel Constitutiones. Omnes vero consonant fini

essentiali, qui est perfectio, et votis substantialibus ad hunc finem assequendum necessariis.

3.° *Genera statuum religiosorum.* a) Ex parte *finis proximi* tria sunt, nempe: vitae *contemplativae*, ut monachi SS. Basilii, Benedicti, Bernardi, etc.; vitae *activae*, ut hospitalarii, et vitae *mixtae*, ut Mendicantes, Filii Immaculati Cordis B. M. V., etc.

Quoad relativam perfectionem horum statuum, vita contemplativa simpliciter melior et perfectior est vita activa; sed vita mixta perfectior est duabus aliis, quippe quae conformior vitae Christi, et melius est illuminari et illuminare quam illuminare tantum; calere et calefacere quam calere tantum.

b) *Ex mediis* quinque praecipuae species numerantur: 1. *Monachales*, qui vi proprii instituti primario non ordinantur ad clericorum ministeria, sed principaliter vitam contemplativam et solitariam profitentur. 2. *Clericales*, qui primario et ex proprio instituto ministeriis spiritualibus vacant. 3. *Mendicantes*, qui vi instituti sui bonorum immobilium excludunt possessionem, atque eleemosynis vivunt, ut Praedicatores, Carmelitae, Augustiniani, Franciscani, Jesuitae, etc. 4. *Militares*, qui ad defendendam Ecclesiam armis per se deputantur, ut Equites S. Joannis Hierosolymitani, Teutones, etc. 5. *Hospitalarii*, qui primario ex vi instituti sui ordinantur ad exercitium hospitalitatis, utpote peregrinorum receptionem, infirmorum curationem, etc.

Ordine autem praecedentiae, ita numerari debent: *Clericales* Canonicorum Regularium et Clericorum Regularium, *Monachales*, *Mendicantes*, *Militares*, *Hospitalariae*.

Nota eos Ordines qui utuntur, privilegio possidendi bona in communni contra primaevam institutionem esse *Mendicantes simpliciter*, cujusmodi sunt Conventuales, Praedicatores, Eremitae S. Augustini; eos, qui tali privilegio pro parte saltem renuntiarunt, uti Fratres Minores, Capuccini et aliquo modo Carmelitae Discalceati et Jesuitae, esse *Mendicantes stricte* dictos; alios vero, quibus concessa est communicatio privilegiorum cum praedictis, esse *Mendicantes improprie*, ut Cistercienses, Camaldulenses.

c) *Ex essentia status religiosi*, dividuntur in *Ordines Regulares*, *Congregationes Religiosas* et *Pias Sodalitates*. Regulares habent totam essentiam religionis, concipiunt, aliqui saltem, vota solemnia, et obligationibus et privilegiis juris communis afficiuntur. Congregationistae, seu simpliciter religiosi, habent totam essentiam religionis, nuncupant, *omnes* quidem, vota simplicia perpetua, et

non veniunt nomine regularium, nec in favorabilibus neque in odiosis, nisi per analogiam aut expressam juris extensionem (S. C. EE. et RR. 16 Sept. 1864, 11 Aug. 1889, *Normae* loc. cit.). Pia Sodalitia non habent nisi partem status religiosi, puta: vitam communem, juramentum perseverantiae, unum alterumve votum, vel etiam tria, sed privata sive non acceptata ab ecclesia.〉

d) *Ex regimine* externo vel interno distribuuntur in ordines *hierarchicos*, qui habent Superiores ad invicem subordinatos, et *familias independentes*, quae hodiernae disciplinae parum consonae dici debent; in *exemptos* et *non exemptos*.

e) *Ex asperitate* aliae religiones sunt aliis in foro externo *perfectiores*. Ita Carthusiani primatum obtinent in usu S. Congr. In foro vero Dei ea est eminentior, quae non in cultu exteriori, sed in studiis praecipuis strictior est, quo in sensu eminent Religiones maxime obedientiam excolentes.

ARTICULUS II.

De religionum et domuum religiosarum fundatione

§ I.—de religionum fundatione

I. Religionum approbatio. II. Modi approbationis apostolicae. III. Organa approbationis pontificiae. IV. Approbatio episcopalis. V. Quales debeant esse Constitutiones approbandae.

〈I. **Religionum approbatio.**—Approbatio, quae, 〉uti diximus in praecedenti articulo〈 juxta hodiernam disciplinam requiritur ut religio habeatur, respicit *Institutum, Constitutiones et Domos*.〉Non loquimur de approbatione *negativa*, quae semper jure divino necessaria fuit: nam, Ecclesia renitente, status religiosus non esset status perfectionis, sed rebellionis; sed loquimur de *positiva* quae jure ecclesiastico requiritur〈Et quidem ad Ordines *regulares* omnino necessaria est approbatio pontificia; ad *Congregationes* vero auctoritas Rom. Pontificis vel Episcopi sub quibusdam gradibus, conditionibus et organis concessa, tum quoad Institutum in se, tum

quoad Constitutiones ejus; ad Instituta demum *dioecesana* erigenda sufficit Episcopi approbatio.

II. **Modi approbationis apostolicae.**—Duo sunt: per viam *ordinariam* et per viam *extraordinariam*. Extraordinario proceditur (quod raro evenit), cum dantur decreta definitivae approbationis Instituti simul et Constitutionum, quin praecurrerit decretum laudis aut simplex decretum approbationis Instituti (*Normae* (1) n. 7, 23, 24). Ordinariae approbationi praemitti solent *Litterae commendatitiae*, subsequitur *Decretum laudis*, et dein *Decretum approbationis Instituti* ac *Decretum approbationis Constitutionum*. Bina posteriora decreta actu et facto conjuncta procedunt hac ratione: cum decreto laudis solent dari animadversiones *in folio* super Constitutionibus; cum decreto approbationis Instituti solent dari novae animadversiones in folio ad pleniorem earum correctionem, et interdum approbatio earum ad *experimentum*, et tandem datur definitiva approbatio Constitutionum. Maxima esset approbatio, si uti religio votorum solemnium dein approbaretur.

Litterae commendatitiae sunt litterae S. Congregationis EE. et RR. quibus laudantur fundatorum intentio et pii operis institutum. Conceduntur cum Institutum unam ulteramve domum habet absque constitutionibus aptis, modo Episcopus domus matris, vel ipsi fundatores ab eo commendati Summo Pontifici indolem et bona futura Instituti exponant ut benedictionem Apostolicam consequantur. Nihilominus Institutum manet dioecesanum (*Normae*, n. 1).—*Decretum laudis* est actus quo S. C., praemissa narratione fundationis, tituli, finis, votorum, regiminis et supremae auctoritatis Instituti, amplissimis verbis ipsum laudat, commendat, ac pontificiam constituit congregationem votorum simplicium sub regimine mode-

(1) Hujusmodi *Normae* habent duas *Sectiones*: prior loquitur de ordine procedendi in approbandis Institutis et Constitutionibus; altera continet schema constitutionum, et duabus *Partibus* absolvitur: quarum prima de natura sub XIX capitibus (n 42-201), secunda de regimine et structura Instituti sub XI aliis capitibus (n. 202-321), quibus *Appendix* Decretorum subsequitur (n. 322-325). In iis «de *sororibus* potissimum sermo est; ea autem quae de ipsis dicuntur, etiam *religiosis viris* applicantur» paucis exceptis (ib. p. 3 Nota). Tales Normae, ubi decreta et constitutiones apostolicas non renovant, vim legis haud obtinent; mentem vero S. Congr. clare innuunt, et pluribus dubiis clara et authentica responsa dederunt, ut ex dicendis patebit.

ratoris generalis, salva Ordinariorum jurisdictione ad praescriptum sacrorum canonum (ib. n. 2). Conceditur si Institutum satis diffusum fuerit et uberes dederit fructus pietatis, regularitatis et spiritualis emolumenti. De hoc constare debet per *litteras testimoniales* Ordinariorum ubi domus habentur, quibus addi debent *supplex libellus* Superiorum Instituti, accurata *relatio circa Institutum*, quam authenticam declarabit suscriptio Superiorum, et *testificatio* episcopi domus principis, quam secreto expediat opus est (ib. n. 4 et S. C. EE. et RR. 22 Jul. 1900), et tandem *constitutiones* ab episcopo approbatae et latine, gallice vel italice typis impressae (Const. *Conditae*, I, n. 1; *Normae*, n. 4).—*Decretum approbationis Instituti* conceditur, si satis diuturno tempore, decem scilicet vel quindecim annorum a fundatione (*Normae*, 5, 2, 10), probantur firma Instituti compago, constitutionum observantia, bonum regimen, charitas ad intra, zelus ad extra. De quibus constare debet ex *supplici libello* approbationis, nova *relatione status* Instituti, *litteris commendatitiis* Ordinariorum et novo *codice correcto Constitutionum*. Sic Papa Institutum approbat atque confirmat (ib. 5, 6).—Ad *approbandas constitutiones* per hos fere gradus procedit S Congr.: *Dilatio cum animadversionibus*, seu differtur approbatio et dantur animadversiones in folio quibus ea indicantur quae mutari debent; *approbatio ad experimentum*, seu, facta ex officio prima correctione *in textu*, approbantur prout in correcto continentur, sed ad tempus; *approbatio definitiva*, seu, codice post experimentum absolute correcto, SSmus. eas plene approbat atque confirmat (ib. n. 18-22).

III. **Organa approbationis pontificiae.**—Rom. Pontifex opera utitur S. C. Episcoporum et Regularium, et, pro Institutis in locis missionum natis, vel ad ea praecipue destinatis, opera S. Congr. de Propaganda Fide.

IV. **Approbatio episcopalis.**—«Episcopi est quamlibet recentem natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges ejusque Constitutiones cognoverit itemque probaverit: si videlicet, neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant» (Const. *Conditae*, I, 1).

Item Leo XIII et *Normae* constituunt ne sinant Episcopi, quoad fieri possit, condi instituta similia; quae finem secundarium certum vel circumscriptum non habent, extra loca missionum vel casus particulares cum Episcopi licentia et debitis cautelis; vel quorum *victui* non sit satis provisum et nonnisi

cautissime et difficulter quae *stipe collatitia et ex eleemosynis vivant*, quibus tamen approbatis praescribitur observatio decreti *Singulari quidem* S. C. EE. et RR., 27 Mart. 1896; nullatenus vel nonnisi difficulter approbent muliebres familias quae *aegrotis, domi ipsorum*, die noctuque adsint, habentes pro scopo domorum suarum *diversoria* aut *valetudinaria* utriusque sexus, vel *hospitia pro sacerdotibus*, sive scopum *assumendi gestionem* in seminariis vel collegiis utriusque sexus, vel docendi in *scholis adolescentulorum* aut *mixtis*. Multo minus probantur, quae virgines dedecere videntur, neque in posterum Instituta *Tertiariorum*, nisi a legitimis Superioribus in proprium tertium Ordinem aggregentur, neque *Institutorum Aggregatio* permittatur sive sit activa sive passiva, sive homogenea, sive heterogenea; videlicet: sive agatur de viris ad viros, sive de feminis ad feminas, sive de feminis ad viros a quibus directe dependeant (Const. *Conditae*, I, 1, 3 et II, 7; *Normae*, n. 8-17, 49-51).

V. **Quales debeant esse Constitutiones approbandae.**— Debent esse breves, clarae, ordinatae, divisae in partes, articulos et numeros ab initio ad finem progredientes, in quibus agatur de natura, membris et modo vivendi, necnon de gubernio, administratione et officiis, et prae primis de titulo, qui desumi potest a Dei attributis, mysteriis festisve Sanctorum, fineve Instituti, quin aliorum existentium sibi usurpent, aut artem, novitatem absonam vel levitatem aut falsam devotionem prodant. E constitutionibus *excludi* debent prooemia et litterae laudatoriae, exceptis apostolicis confirmationis et aliis quae ad calcem referri debent, nimirum *Auctis admodum* et *Romani Pontifices* pro institutis ecclesiasticis, *Quemadmodum* pro muliebribus, et *Singulari quidem* pro omnibus stipem ostiatim colligentibus, et duo quidem priora decreta in latina, duo posteriora vernacula lengua inseri debent. Item excludantur *citationes textuum, directoria*, ne approbari videantur, minuta *horaria* pro alumnis, *quaestiones theologiae* et decisiones opinionum in materia praesertim votorum, minutae praescriptiones circa *officia minora*, *termini Regularibus* proprii, instructiones asceticae vel mysticae vel de muniis episcopi aut confessarii, aut de legibus civilibus; non enim pro iis scribuntur constitutiones, «quae continere tantum debent leges constitutivas Congregationis et directivas actuum communitatis, sive quod ad gubernium attinet, sive quod ad disciplinam et normam vitae» (*Normae*, 25-41, 322-325).

§ II.—DE DOMORUM RELIGIOSARUM FUNDATIONE

I. Requisita pro erectione conventuum Regularium. II. Requisita pro erectione conventuum monialium. III. Requisita pro erectione domuum Congregationum religiosarum.

I. **Requisita pro erectione conventuum** (1) **Regularium.**—1.° Ad erectionem domus religiosae Regularium requiruntur: **a)** *Licentia Romani Pontificis*, ut constat ex Bulla Leonis XIII *Romanos Pontifices*; quod jure veteri jam praescriptum erat; sed plures affirmabant illi juri a Tridentino derogatum fuisse. At etiam nunc plures tenent extra Italiam et Insulas adjacentes, et loca, quae regebantur more missionum, id non requiri jure scripto, et saepius nec consuetudinario. **b)** *Licentia Episcopi loci*, ut patet ex Tridentino (sess. 25, c. 3, de Reg.). Non sufficit venia Vicarii Capitularis neque Vicarii Generalis absque speciali mandato. **c)** Ut citentur et audiantur omnes interesse habentes.

Inter hos annumerandi sunt alii in eisdem civitatibus et locis existentes conventuum Priores seu procuratores (Const. Clem. VIII *Quoniam*); imo et qui sunt in aliis locis per quatuor millia passuum circumvicinis (Const. Greg. XV *Cum alias*); sed disputatur quoad parochos; nullibi enim hoc jus ipsis tribuitur, quamvis possint erectioni contradicere. Si nulli alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum diligenter inquirant, an locorum incolae, quorum consensum requirant ac adhibeant, duodecim Religiosos in conventu instituendo commode alere et manutenere valeant (Const. *Cum alias*).

Non desunt auctores affirmantes Episcopum non teneri has

(1) *Conventus* est sedes stabilis communitatis religiosae observantis. Hinc *residentia*, ubi viget disciplina regularis, conventibus annumeratur; dum a conventus nomine abhorrent *granciae*, ubi rustica praedia administrandi gratia unus vel alter religiosus habitat, *villae* ubi rusticandi gratia religiosi se conferunt, *hospitia* in commodum itinerantium erecta, *quasi-residentiae* ubi diuturna commoratio non habetur, quae ad domicilium sufficiat religiosorum. *Monasterium* est conventus cum clausura papali, et praesertim si ibi solemnia vota nuncupantur. Interdum etiam vocantur *conventus, coenobia, domus religiosae*, sed haec nomina latius patent.—*Beaterium* seu *Conservatorium* indicat institutum aut domum piarum feminarum in communi degentium; interdum cum votis, saepius sine votis.—*Domus Professorii* est domus institutionis simpliciter professorum in Ordinibus Regularibus, et scholasticorum in plerisque Congregationibus Religiosis.

solemnitates servare, si illi constet omnes interesse habentes nullum ex erectione novae domus passuros esse detrimentum; sed verior apparet contraria sententia, ubi S. Pontifex ab hac obligatione non eximat.

〈2.° Quod de nova conventuum erectione dictum est, etiam dicendum de *Ecclesiarum* et Oratoriorum nova erectione (Const. Leonis XIII *Romanos Pontifices*). 〉

3.° Certo non licet mutare *finem* ipsorum absque praedictis solemnitatibus (ib.). An observandae sint praedictae solemnitates in conventuum translatione, ampliatione, reaedificatione vel recuperatione, acriter controvertitur. Tamen *quoad translationem,* si fiat de loco in locum, certum est observandas esse, et quaestio tantum est, si ex uno ejusdem loci situ in alium situm fiat. *Quoad ampliationem,* alii observandas dicunt, si ultra prioris concessionis limites amplietur conventus, quod alii negant, cum non detur ibi nova fundatio. *Quoad reaedificationem,* si totus dirutus sit, et praesertim si ecclesia in alio loco et situ seu forma diversa reaedificetur observandas affirmant, aliis absolute negantibus. *Quoad recuperationem,* alii observandas simpliciter sentiunt, alii e contra; alii affirmant, si sponte et licite conventus derelictus fuerit; negant, si vi vel alias illicite; alii verius affirmant observandas, si sponte, sive licite sive illicite monasterium dereliquerint, negant, si violentia coacti, nisi per notabile tempus duraverit interruptio. Prima pars decisa fuit a S. C. EE. et RR. die 17 Nov. 1617.

〈 II. **Requisita pro erectione conventuum monialium.** —Ad erectionem conventuum monialium etiam requiritur licentia S. Sedis et Episcopi; 〉 sed disputatur, an teneatur Episcopus alias solemnitates servare. Negandum videtur, si non vivant ex eleemosynis, eo quod tunc cesset legis ratio; cui opinioni, teste Monacelli, favet S. Congregationis EE. et RR. praxis. 〈Sed notetur monasteria monialium erigi non posse prope conventus virorum (S. C. C. Jul. 1586).

III. **Requisita pro erectione domuum Congregationum religiosarum.**—Quoad instituta votorum simplicium, si dioecesana sint, necessarius est consensus Episcopi loci fundationis; si polydioecesana, consensus Episcopi tum loci unde excedant, tum loci quo velint commigrare (Const. Leonis XIII *Conditae* I. n. 2, 4; *Normae*, n. 271, 272, 305); si vero aliquo modo approbata sint a S. Sede, sufficit consensus Episcopi loci in quo

fundare velint (*ibid.* II, n. 3, et *Normae*, n. 308), sed non requiruntur aliae juris solemnitates, quamvis nonnulli contrarium autumant, casu quo eorum alumni ex eleemosynis vivant, quia tunc militat eadem legis ratio. Requiritur tamen licentia Consilii Generalis, et in locis missionum venia S. Congr. de Prop. Fide, et ut conveniens numerus alumnorum ibi collocari et sustineri possit (*Normae*, n. 305, 306, 307). Idem dicendum de erectione oratorii tam publici quam semipublici (*ib.*).

ARTICULUS II.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

Cum illam praecedere debeat ingressus in religionem et novitiatum, distinctis paragraphis de ingressu, de novitiatu deque ipsa professione loquemur.

§ I.—DE INGRESSU IN RELIGIONEM

Ingressus est actus quo quis incorporatur alicui religioni. Haec incorporatio praeparatur *admissione* postulantis; inchoatur *admissione et permanentia* in *novitiatu;* perficitur *admissione definitiva* per professionem religiosam. Quae singula ex dicendis patebunt. In praesens explicanda erunt requisita ad religionem ingrediendum, hoc ordine: I. Vocatio religiosa. II. Carere impedimento. III. Aetas conveniens. IV. Informatio de postulante. V. Testimoniales Episcopi. VI. Ut fiat admissio a Superiore competente. VII. Ut nihil exigatur pro ingressu. VIII. In Italia ut candidatus subjiciatur duplici scrutinio. IX. Requisita pro ingressu in Congregationes religiosas.

I. **Vocatio religiosa.**—Est invitatio ad statum religiosum a fine supernaturali procedens. Dividitur in *externam*, quae est idonei candidati per legitimum Superiorem libere et rite ad statum religiosum facta assumptio; et in *internam* seu *divinam*, quae *active* consistit in invitatione Dei ad consilia evangelica exercenda, et *passive* demonstrat aptitudinem ad tale exercitium vel saltem notitiam consiliorum. Divina, de qua modo,

est vel *generalis*, qua Christus omnes homines ad consilia evangelica amplectenda cohortatus est, vel *specialis*, qua alii prae aliis eliguntur ad vitam religiosam, seu supernaturali impulsu constanter et fortiter ad eam moventur. Utraque esse potest *proxima* et *remota*, prout divinae voluntatis significatio actu habetur, vel minus, sed futura est vel fuisset, nisi homo voluntario eam impedivisset.

Ad *necessitatem* vocationis divinae quod attinet, adest duplex opinio vere probabilis. Multi praesertim nuperi, uti S. Alph., Boranga, Gautrelet, Gury, etc., specialem requirunt vocationem, idque triplici argumento probare nituntur, nempe, divina providentia, quae omnia modo singulis proprio gubernat, exemplo et verbis Christi ac Apostolorum, et praxi Ecclesiae. Alii vero cum S. Thoma dicunt sufficere vocationem generalem, qua Christus omnes homines ad consilia evangelica amplectenda cohortatus est, dummodo de jure non prohibeatur et bono fine moveatur. Ita S. Bernardinus Sen., Bordoni, Passerini, Piat, etc. In concreto utraque sententia fere in idem recidit.

Qui vi, metu, fraude aut dolo utens avertit alium a religione, peccat contra justitiam, et tenetur ad damni illati reparationem, ex parte aversi amovendo causam damni illati, et procurando quoad possit ipsius ingressum in religionem, et ex parte religionis reparando damnum temporale, si quod passa est; an vero teneatur loco aversi alium subrogare, disputant auctores. Si vi, metu, fraude aut dolo usus non est, peccat tantum contra charitatem; tenetur tamen corrigere, quantum in se est, pravos inde secutos vel secuturos effectus. Ita Lugo, IX, 15.

II. **Carere impedimento.**—Quia ingressus est de genere eorum, quae sunt permissa, constare debet de impedimento juris, sive naturalis, sive ecclesiastici, sive peculiaris cujuslibet ordinis. Hinc arcentur:

1.° *Qui laborant impedimento naturali*, ut est: **a)** defectus rationis; **b)** defectus libertatis, seu pendere quoad hoc ab aliis, ut impuberes sine parentum consensu, et servi, sicubi servitus vigeat, sine consensu domini; **c)** habere obligationes cum statu religioso incompatibiles, ut quandoque evenit in parentibus, liberis, fratribus et conjugibus, et **d)** fidei defectus, ut in non baptizatis, haereticis, schismaticis et *quodammodo* excommunicatis.

Hac de causa ingredi nequeunt *liberi*, quorum cura indigent

parentes in gravi vel extrema necessitate positi (1); *parentes*, quorum cura indigent filii nondum emancipati, sive ad sustentationem sive ad educationem; *fratres* vel sorores, qui alios habent fratres vel sorores in extrema necessitate constitutos, vel etiam in gravi, si de iis agatur, qui adhuc sub cura parentum sunt, (secus enim, quamvis pro gravi necessitate fratrum vel sororum possint, non tamen tenentur ingressum differre); sed tam si agatur de necessitate parentum, quam fratrum vel sororum, ingredi poterunt, si nec habeant, nec sperare possint media ab subveniendum necessitati; vel si manendo in saeculo proximo peccandi periculo exponantur, quod aliter vitari nequeat. *Conjuges* ingredi nequeunt, nisi: 1.° alterius conjugis consensus liber et expressus accedat, et insuper vel uterque profiteatur, vel alter ordinetur altera profiteatur, vel alter profiteatur et altera, si juvenis sit, aut quamvis senex, incontinentiae suspecta monasterium ingrediatur, et alias in saeculo remanens votum emittat perpetuae castitatis; vel nisi: 2.° agatur de matrimonio *rato* tantum, juxta plures intra bimestre post contractum, juxta alios etiam post bimestre, sed in utroque casu probabilius requiritur, ut adfuerit in conjuge ante contractum matrimonium animus deliberandi de ingressu in religionem; vel 3.° quoad conjugem innocentem, quando compars crimen tale commiserit quod det jus ad divorcium, dummodo crimen sit notorium aut interveniat sententia judicis. Haec autem crimina sunt adulterium carnale vel spirituale per lapsum in haeresim, apostasiam aut infidelitatem. Demum impediuntur ingredi religionem aere alieno gravati, nisi prius debita solvant, aut saltem cautionem de solvendo dederint; aut, si solvendo impares sint, spes affulgeat fore ut ipsi manendo in saeculo saltem post breve tempus solvere possint.

2.° *Carere impedimento juris ecclesiastici.*—Hoc jure sunt impediti: a) Obligati ad ratiocinia, sive ex administratione rei publicae sive privatae, etsi respectu hujus quaestio sit.

Requiritur tamen, ut ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam sit illata, vel timendum sit ne inferatur; unde posset ingredi ille, cujus patrimonium longe superat aestimationem praestitae administrationis, et ille qui ante ingressum sufficientem praestaret cautionem.

b) Graviorum criminum rei vel suspecti, si ante habitus susceptionem delatio facta fuerit.

(1) An filii e claustro egredi ad subveniendum parentibus in gravi necessitate positis teneantur, disputant auctores; probabilius non tenentur, si necessitas subsecuta sit professionem.

Certo impediuntur, si criminis delatio facta sit apud judicem saecularem, et probabilius etiam si apud judicem ecclesiasticum. Non impediuntur tamen ingredi declarati innocentes per sententiam, neque qui poenam impositam luerunt. Hi omnes non possunt admitti, sub gravioribus poenis statutis a Xysto V, excepta nullitate professionis, quae fuit abrogata a Clem. VIII.

c) Episcopi residentiales, nisi episcopatu dimisso et venia a R. Pontifice obtenta.

Quoad Episcopos titulares disputant auctores. Quoad clericos inferiores Episcopo, sive sint beneficiarii, sive non, Episcopi licentia non indigent ad ingrediendam religionem etiam votorum simplicium (S. C. EE. et RR. 21 Julii 1837; et 23 Sept. 1885). Excipe ordinatos titulo collegii pontificii, aut missionis, aut cum voto vel juramento servitii dioecesani temporanei, quod sine magno incommodo et sine aeternae salutis dispendio observari valeat. Curati tamen et beneficiati certiorem facere debent Episcopum, qui possit beneficio aut curatui providere infra rationabile tempus, quique etiam revocare valet eos, qui se invito discesserint cum ecclesiae detrimento (Bened. XIV Const. *Ex quo*). Omnes denique clerici dioecesani absque Episcopi *notitia* nequeunt ingredi ex hodierna disciplina de *litteris testimonialibus* sub gravi exigendis ad liceitatem admissionis.

d) *Illegitimi* in illa religione, in qua pater sit professus, vivente patre, admitti non possunt, bene vero in aliis vel in eadem mortuo patre, salva tamen *inquisitione* legitime facta *meritorum* personalium et utilitatis religionis supplentis illum defectum, et salva etiam «*inhabilitate* ad gradus, honores et dignitates sui ordinis obtinendas». Ita Greg. XIV c. *Circumspecta* confirmata a Clemente VIII, qui tamen salvas esse voluit poenas privationis vocis activae et passivae et officiorum quorumcumque ac inhabilitatis ad ea, a Xysto V latas contra Superiores aliter facientes.

e) *Irregulares* sive ex delicto, sive ex defectu, si postea inter clericos sint cooptandi, nisi Superiores gaudeant potestate ab eo dispensandi.

Huc refertur Decretum Generale Clem. VIII de impedimento *ignorantiae*: «Quisque recipiendus (inter scholasticos) eam litterarum scientiam calleat, ut illius adipiscendae *spem indubiam* prae se ferat, ut minores et suis temporibus majores ordines suscipere valeat. Sed si quis annum XXV excedens postulaverit talis eruditionis expers, in *conversorum tantum*

numerum referatur. *Conversi* vero ne recipiantur, nisi saltem praecipua christianae doctrinae capita noverint».

f) *Professi alterius ordinis*, nisi agatur de casibus in quibus *transitus* ad aliam religionem licet (infra).

3.° *Carere* impedimentis peculiaribus cujuslibet ordinis; idest: quae in decretis apostolicis latis pro illo ordine, vel in regulis, constitutionibus aut statutis legitimis cujusque ordinis designantur. Utrum ea impedimenta omnino *singularia* Instituti sint mere prohibentia, vel etiam irritantia admissionem et professionem, ex tenore decretorum et statutorum eruendum est (Piat, Suarez, Wernz).

Quaestio est inter auctores an valeat professio illius, qui vitium occultum, excludens ab Ordine jure singulari illius Ordinis, non manifestavit; probabilius valet, nisi Constitutiones, Regulae vel Statuta a S. Sede approbata eam invalidam declarent. Huic sententiae adhaesit S. C. C. 13 Jun. 1722, et 30 Apr. 1729. At praxis hodierna Rom. Curiae obstat huic sententiae, cum agitur de vitiis seu impedimentis quae dispensatione egent Sedis Apost. vel Definitorii Religionum.

〈III. **Aetas conveniens.**—In jure antiquo et novo nihil cavetur de aetate ad ingressum, et ad *licitam* professionem sufficiebat aetas pubertatis (De Angelis III, 99 et alii); jure vero novissimo constitutum est a Conc. Trid. «ut *professio* non fiat ante 16 annum expletum» (sess. 25 c. 15 et 16 de Reg.) et ut sine *justa causa*, novitiatu perfecto, vota haud procrastinentur (ib.)〉quibus decretis nihil immutatum est quoad *ingressus* aetatem legitimam (Pirhing, Schmalzg. Reiff. Verm. contra Piat) quoadusque S. C. EE. et RR. 23 Maj. 1659 constituit, ne *mulieres* cooptarentur in novitias, nisi 15 annos explevissent〉et donec Clemens VIII (Const. *In suprema*) decrevit, ut *clericus* «quisque recipiendus sit in ea *aetate* constitutus quam *regularia Instituta* et Ordinationes requirunt.....; 〈ipsi autem *conversi* non recipiantur *ante 20 aetatis* suae annum»〉

Hoc autem jure utimur ubi receptum moribus non sit decretum S. C. *super Statu Regularium* 17 Maji 1675 jubente Clemente X latum, quod inpraxim reducere conatur D. Nervegna, quodque pluribus locum dedit quaestionibus. En ipsius textum verum contra prolatum a Ferraris et a *Il Monitore*: «Re-

gularibus Superioribus quibuscumque praeceptum est in virtute sanctae obedientiae, ut neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel Servientibus, nec pro Hospitibus seu Postulantibus, vel Cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis vel induendis, seu quovis praetextu, vel causa, aut quaesito colore recipiant seu *admittant ad habitandum* intra claustra, nisi vigesimum aetatis suae annum expleverit, omnesque sic receptos seu admissos (iis *tantum exceptis, qui completa aetate annorum quindecim, pro clericis* seu *choristis* in habitu novitiorum annum probationis agunt) a Monasteriis, seu Domibus Regularibus omnino amoveant, et ejiciant infra terminum duorum mensium... Quod si non paruerint... poenam privationis dignitatum et officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae ipso facto absque alia declaratione incurrant». Putamus hoc decreto neminem ut clericum posse admitti in novitiatum nisi annum 15 expleverit, ut constat ex prooemio istius decreti; verum arbitramus etiam cum cl. Vermeesch aetatem istam non praecipi sub nullitate admissionis, sed indicari ut professio fiat post 16 annum. Aliae et quidem directae prohibitiones respiciunt famulatum vel convictorum commorationem non simpliciter, verum in ordine ad aliquam cooptationem vel additionem monasterio (*Il Monitore* et Verm. contra Nervegn.). Notandum exiguam habitam fuisse hujus decreti rationem, quod tamen non adeo ignorabatur, ut supponit cl. Vermeesch (Cf. ex. gr. *Constitutiones et Decreta Apostolica a Regularibus in publica mensa*... Romae 1720, et alios cum Bizzarri).

IV. **Informatio de postulante.**—1.° Si agatur de institutis *virorum*, praeter *litteras testimoniales*, de quibus infra, Superiores Regulares, sive per se, sive per religiosum sibi bene visum, sive per judices ecclesiasticos vel saeculares, debent de praedictis qualitatibus juris communis et particularis, necnon de spiritu ac mente quibus impelluntur, sedulo inquirere, notitiamque Capitulo Generali vel Provinciali, aut Superioribus duorum saltem conventuum, aut fatribus ex antiquioribus religiosis unius monasterii communicare, sub poenis et sanctionibus contentis in Const. Xysti V *Cum de omnibus* et Clem. VIII *Cum ad regularem,* sublata *nullitate* professionis; quae posterior Const. renovata fuit ab Urbano VIII. Concessit tamen Clem. VIII, ut is, qui juraret nihil sibi obstare ad admissionem, posset ingredi, modo

inquisitio ante professionem perficeretur, quin ipsemet Xystus V permisit ingressum eorum, in quibus, si e dissitis locis venirent, adhibita diligentia nihil appareret quod eosdem ingressu prohiberet.

2.° In Institutis *Monialium* ante habitus susceptionem debet fieri *exploratio* puellae, quae major sit *annis duodecim*, ab Episcopo, vel, eo absente aut impedito, ab ejus Vicario, aut aliquo sumptibus eorum deputato, interrogando «an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat». Ad hoc Episcopus ante mensem praemonendus est, et ipse voluntatem puellae infra 15 dies debet explorare, ad liceitatem ingressus, nisi mos invaluerit, ut unicum examen fiat ante professionem (Conc. Trid. sess. 25, de Reg.; Gallemart, Piat, etc.; S. C. EE. et RR. Febr. 1753).

V. **Testimoniales Episcopi.**—Debent haberi ab Episcopo originis, vel, si agatur de ordinato *in sacris*, ab Episcopo, qui ordines sacros legitime ei contulerit, et insuper in utroque casu ab Ordinariis, in quorum dioecesi postulans post expletum 15 annum ultra annum moratus fuerit. Si agatur de professo non saecularizato alterius Ordinis vel Congregationis debent peti a Superiore Generali vel Provinciali, et in hujus defectu a locali cum quo ultimo vitam degat (Decret. *Romani Pontifices* 15 Jan. 1848, et Declar. S. C. Super Statu Reg. 1 Maj. 1851, 5 Nov. 1852, 29 Maj. 1853 et 20 Maj. 1857).

Si Episcopus illas expresse deneget, sive quia postulantem non novit, sive alia de causa, potest hic ad habitum admitti, modo antequam habitum suscipiat in conventu per trimestre probetur, et suppleantur etiam informationes generales (Decl. 1 Maj. 1851 ad 3.m, 4.m et 5.m). Si eas deneget, quia ingressui postulantis in religionem opponitur, recurrendum est ad S. C. de *Stat. Reg.* Testimoniales requiruntur tantum ad liceitatem et possunt esse privatae et secretae; qui tamen absque illis ad habitus susceptionem admittunt, eo ipso poenam incurrunt privationis omnium officiorum, vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, post sententiam tamen declaratoriam. Quae dispositiones applicari etiam debent Instituto ritus latini admittenti Orientalem (Const. *Orientalem* 30 Nov. 1894) et omnibus Institutis *virorum* cum votis simplicibus, etiam Donatis seu Oblatis, antequam habitum suscipiant (Decr. cit.). Decretum hoc legi debet quotannis die prima Januarii in publica mensa sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae a Superioribus ipso facto incur-

renda. Notetur demum milites in Italia ad professionem solemnem admitti non posse nisi afferant testimoniales omnium Ordinariorum, in quorum dioecesibus per trimestre commorentur (S. C. *Super Disc. Reg.* 27 Nov. 1893).

VI. **Ut fiat admissio a Superiore competente.**—Praeter habilitatem postulantis, requiritur in Superioribus admittentibus legitima potestas. In Ordinibus vel Congregationibus virorum, potestas admittendi spectat jure communi ad Provincialem, qui procedere debet capitulariter cum tribus examinatoribus, sed huic juri derogari potest per regulas vel constitutiones cujusque Ordinis. Monialium vero receptio plerumque *capitulariter* fit, et, attento usu communi, praelati, apud quem est jurisdictio, censensus requiritur (Suarez, Pellizar., Craisson); qui praelatus, secundum Bouix cum Fagnano, poterat supplere monialium negligentiam, si reditus abundarent et conventui prodesset admissionem fieri; sed hodie certum est Episcopum cogere non posse moniales ut invitae sororem recipiant.

VII. **Ut nihil exigatur pro ingressu.**—Si pro solo ingressu exigeretur, simoniacum esset de jure divino; non vero, si pro expensis exigeretur. Id tamen ecclesia prohibere valet; at ex disciplina vigenti possunt exigi *sumptus* novitiatus (Conc. Trid. sess. 25, c. 16, de Reg.); et si monasterium sit pauper, potest aliquid pro ingredientis sustentatione recipere.

Si monasterium sit opulentum, distinguendum est inter monasteria monialium et virorum. His non licet; quamvis pacisci possunt cum ingredientis parentibus de aliqua pecuniae summa solvenda, ea lege, ut ingrediens post professionem juri haereditatis alteriusve praetensionis renuntiet. Illis licet, imo debent dotem exigere; quamvis dispensare possint cum conversis (S. C. EE. et RR. 26 Mart. 1590).

Scholion de dote monialium.—1.° Dotis taxatio ad monialium superiores pertinet; sed quoad moniales exemptas consuetudo viget, ut taxetur a S. C. EE. et RR. et absque ejus beneplacito nequit minui (S. C. EE. et RR. 1 Dec. 1645 et 10 Jun. 1828). S. C. C. die 1 Sept. 1645 pro minima dote constituit 200 scuta romana (*1000 ptas.*), nisi fundator minorem statuisset. Debet taxari eadem pro eadem classe monialium, nisi agatur de supernumerariis, quarum dos duplo major prae aliis et non inferior 400 scutis sit oportet, vel nisi agatur de infirmis aut impe-

ditis. In his tamen aliquid moribus indulgendum (S. C. C. 6 Sept. 1604; Lucidi, Wernz).

2.° Debet solvi numerato (S. C. EE. et RR. 18 Jul. 1834).

3.° Nequit relinqui apud novitiae consanguineos, neque monasterio consignari ante professionem (Conc. Trid. sess. 14, c. 16, de ref.), sed apud personam fide dignam et facultatibus idoneam deponenda est. Secuta professione, statim ac monasterio consignata est dos, applicanda est in emptionem bonorum stabilium aut annuorum redituum (S. C. EE. et RR. Jun. 1784), unde nequit alienari, nec insumi ad aedificandum conventum, neque ad debita communitatis extinguenda (S. C. EE. et RR. 29 Nov. 1779).

4.° Si puella exeat vel moriatur ante professionem, restituenda sunt dos et omnia, quae ipsius erant, ipsi vel haeredibus. Idem dicendum, si professio nulla fuerit (S. C. C. 26 Nov. 1650). Si vero exeat post professionem votorum simplicium, pluries declararunt S. Rom. Congregationes exeunti restituendam esse dotem. Si exeat post vota solemnia causa justa et necessaria non occasionata a monasterio, non tenetur monasterium dotem restituere, imo nec alimenta ei praebere nisi in subsidium, quatenus monialis non habeat aliunde quo novam sibi constituat dotem; sed ab hac praestatione potest se monasterium liberare per dotis restitutionem (S, C. EE. et RR. 30 Maj. 1856). Si vero ipsum monasterium exeundi causam dederit, S. Congregatio mandare solet dotis restitutionem, quamvis aliquam ejus partem titulo compensationis pro ejus victu etiam retinere valeat.

VIII. **In Italia ut candidatus subjiciatur duplici scrutinio.**—Ita ex Decr. *Regulari disciplinae* 25 Jun. 1848, quod etiam instituta votorum simplicium afficit.

Summa Decreti haec est: 1.° In qualibet provincia habeantur octo examinatores, scilicet: Provincialis et septem alii idonei a Capitulo provinciali eligendi, inter quos duo sint Consultores. Ex declaratione 1 Maj. 1851 sufficiunt tres examinatores provinciales praeter superiorem provincialem ad primum scrutinium; alii vero eliguntur ad commoditatem.

2.° Provincialis informationes diligenter captas tradat tribus examinatoribus, exclusis postulantis consanguineis vel affinibus. Examinatores, emisso juramento, per secreta suffragia, quorum unum saltem supra medietatem ad approbationem requiritur, judicium ferunt.

3.° Hoc examen et scrutinium, ab examinatoribus subscriptum et juramento confirmatum, ad Superiorem vel Procuratorem generalem transmitti debet, sicut et alia documenta.

4.° Praeter examinatores provinciales, alii septem generales, inter quos duo Consultores generales a Capitulo generali eligendi erunt, in quorum consilio suffragium praeterea habebunt Superior generalis ut praeses, et Procurator generalis ceu examinator natus. Ex declaratione supra memorata sufficiunt tres examinatores generales praeter Superiorem Gen. ad 2.m scrutinium; ceteri eliguntur ad commoditatem.

5.° Si Superior generalis Romae non resideat, omnia acta ad Procuratorem generalem Romae commorantem trasmittenda erunt, dummodo tres examinatores generales saltem ibi habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit; quo in casu vices Generalis quoad praemissa gerit; secus, eadem acta ad Superiorem generalem transmittet.

6.° Superior, qui secundo scrutinio praeest, poterit candidatum ex justis et rationabilibus causis rejicere, licet ab examinatoribus in utroque scrutinio probatus sit; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab examinatoribus reprobatus.

7.° Superiores quolibet semestri ad S. C. *Super Statu Reg.* referent de singulis novitiis ad habitum receptis, et de uniuscujusque qualitatibus, et de aliis omnibus in hoc decreto praescriptis.

8.° Omissio praefatarum solemnitatum illicitam solum reddet professionem (Decl. 16 Jun. 1852).

IX. **De ingressu in Congregationes Religiosas.**— Agendum in primis de *adspirantium*, dein de *postulantium* admissione (*Normae*, c. III et IV).

1.° *De adspirantibus.*—**a)** Sensu *lato* ita dicuntur qui ingressum in Congregationem postulant et nondum novitiatum coepti sunt, sive extra sive intra claustra degant. *Stricte* tamen ita vocantur, qui ingressum postulant, adhuc extra claustra degentes.

b) *Adspirantes* debent esse *apti*; apti sunt qui habent conditiones requisitas in recipiendis, et carent *impedimentis* quae admissioni obstant, quaeque duplicis generis sunt, nimirum: *reservata Sanctae Sedi* et *reservata Moderatoribus Generalibus* cum suis consiliariis justa de causa.

Conditiones juris communis sunt: *vocatio divina*, *baptismus*, *confirmatio*, *morum honestas*, *status libertas* atque sufficiens *valetudo* ad Instituti onera ferenda.

Impedimenta juris communis S. S. reservata afficiunt *illegitimos* non rite legitimatos, *matrimonio* ligatos et *viduas*, *annis amplius triginta* natos, vel *quindecim minores*, in alio Instituto *vota professos* nondum soluta

aere alieno gravatos cui ipsi per se solvendo non sint, *reddendae rationi* obnoxios, aliisve *saecularibus negotiis* implicatos ex quibus lites Institutum timere possit.

Constitutiones debent definire reservata Superioribus, quae specialia sunt justa scopum Instituti. In nostra Congregatione praeter conditiones et impedimenta communia nuper recensita, habentur *requisita* specialia pro *sacerdotibus*, *scholasticis* et *fratribus coadjutoribus* et impedimenta quae dicuntur *excludentia* et quae simpliciter *prohibentia* (Part. I, nn. 64-65, 58, 60, 62); notandum vero alumnos 15 annis minores posse ex dispensatione Superiorum admitti (ib. n. 65) ad instar Generalis S. J.

Censeo posse admitti absque venia Rom. Pontificis *haereticos* conversos, vel haereticorum consanguineos aut affines «salvis constitutionibus» (S. C. U. I. 3 Febr. 1898); *exteros* non obstante conditione naturalitatis forte in ipsis posita (S. C. EE. et RR. 24 Aug. 1887 ad 14); *clericos saeculares* omnes, non ordinatos titulo collegii aut missionis, (Alex. VII Const. *Cum circa*; S. C. de Prop. Fid. 27 April. 1871) aut alio titulo excepto, absque Episcopi licentia; imo eo invito, non tamen eo inscio juxta traditam doctrinam de litteris testimonialibus, neque cum officii dioecesani damno inconsulto (S. Congr. pluries et hodie commune contra Schmid et alios paucos); et generatim omnes *christianos* qui jure naturae aut canonico vel constitutione juri canonico conformi non prohibeantur.

c) *Superiores admittentes* debent omnia praestare, quae ad hoc exigit prudentia, ac proinde sedulo in eorum qualitates inquirere, unde et idonea instrumenta exigere de conditionibus praedictis, et etiam, si de viris agatur, *testimoniales litteras* tum ordinarii originis, tum ordinarii loci commorationis ultra annum post expletum 15, eodem plane sensu quo declaratum fuit decretum *Rom. Pontifices* (1).

(1) Etiam in nostra Congregatione aetas 15 annorum requiritur; an vero ad liceitatem tantum, vel etiam ad validitatem, disputari potest. Si principiis juris nitamur, cum non adsit clausula irritans, nec secundum in jure sit determinatum, videtur requiri ad liceitatem tantum. Officiales tamen S. Congregationis contrarium autumant, dicentes hanc esse mentem S. Sedis cum Constitutiones approbavit. Sed mens non est lex, et promulgatione formali indiget, nisi aliquo modo in verbis legis contineatur; unde fatentur auctores interpretationem pure extensivam, cum sit nova lex, promulgatione in forma *Decreti* saltem indigere. Hujusce exemplum habemus in Litteris Encyclicis Pii IX a. 1857

2.° *De postulantibus.*—**a)** Ita *proprie* appellantur, qui nondum novitiatum incoepti sunt, sed jam intra claustra degunt animo religionem ingrediendi.

b) *Praesidum* sodalitatum est candidatos cooptare (Const. *Conditae*, II, 1); unde ad admissionem *postulantium* requiritur et sufficit licentia Generalis vel Provincialis, nisi agatur de Congregationibus Italiae aliisve subjectis Decreto *Regulari disciplinae;* quod, si alicubi Episcopi licentia impetratur tolerari, id solet, a novis vero constitutionibus expungitur uti novum et innecessarium.

c) Pro sororibus et pro nonnullis Congr. virorum admittitur ad liceitatem *probatio postulatus* seu probatio admissioni praevia. Ea *congruenter* fiet in loco novitiatus a novitiis separato, vel etiam in alia domo observanti de Superiorum consensu. Apud sorores nec infra sex menses nec ultra annum, nisi juxta de causa *proroget* illud tempus moderatrix generalis, non vero *minuat*. Postulantes reguntur a Superiorissa domus acceptantis vel a sorore delegata, quin postulantis defectus *scribere* liceat.

Mens S. C. est, ut *maximum* postulatus tempus sit annus; *minimum* vero semestre integrum, et ordinario nec minus nec ultra; quo expleto aut dimitti aut admitti debent. In nostra Congr. definitur aliter (Const. Part. I.ª, c. 23).

§ II.—DE NOVITIATU

I. Natura novitiatus. II. Necessitas et duratio ipsius. III. Locus. IV. Disciplina. V. Praescripta a Tridentino circa bonorum renuntiationem. VI. Novitiatus Congregationum religiosarum.

I. **Natura novitiatus.**— Novitiatus *materialiter* est domus probationis definitivae ad professionem; *formaliter* vero est mutua candidati et religionis probatio, qua prudens praeparetur professio.

II. **Necessitas et duratio novitiatus.**—Ante Conc. Trid., si Mendicantes excipias, licitum erat tempus no-

praescribentibus, ut vota simplicia professioni solemni praemitterentur; quia, enim, clausula irritante carebant, validam, illis praetermissis, declarabit S. C. EE. et RR. 16 Aug. 1866; et ad irritandam professionem aliter factam novas Litteras edidit 7 Febr. 1862.

vitiatus contrahere ex consensu tum religionis, tum novitii, sed Tridentinum prohibuit, ne is, «qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur», idque sub poena nullitatis professionis (sess. 25, c. 15 de Reg.). Requiritur igitur annus mathematice integer, completus et continuus, seu non interruptus, enumerandus a die susceptionis habitus. Qui annus *conciliaris* non solet dispensari (Norvegna, p. 102), et tam stricte interpretatur, ut si vel una hora deficiat, professio sit irrita, et, si annus sit bisextilis, probatio producatur ad finem diei 366 ecclesiasticae. Ita communiter contra Pirhing.

Novitiae dominicanae et, qui cum illis communicant in privilegiis, in articulo mortis possunt ex concessione S. Pii V professionem emittere ante completum novitiatum, sed quoad gratias tantum spirituales lucrandas; minime vero quoad alios quoscumque effectus.

Interrumpitur novitiatus cum status novitii perfecte dimittitur, idque contingit: 1.° Si, retento habitu, per longum tempus extra monasterium sine superiorum licentia remaneat. Quodnam tempus censendum sit longum, disputatur; alii unius vel alterius diei, alii trium vel quatuor dierum, alii longius spatium requirunt. Si extra monasterium degat cum licentia superioris, non interrumpitur, uti saepe declaravit S. C. Concilii. 2.° Si novitius e conventu exeat cum animo deliberato illam religionem deserendi et habitu dimisso, etiamsi per aliquod solum horarum spatium (S. C. C. 21 Jul. 1663). 3.° Si novitius dimittatur et habitu spolietur, dummodo jam e monasterio egressus sit. Non vero interrumpitur, si violentiâ e loco novitiatus expellatur, vel aliis de causis injustis, dummodo nimium intervallum non intercedat. 4.° Si nimis diu vitam saecularem et praesertim stipendiariam agere debuerit (Génicot), nisi animi constantia aliunde innotescat (Verm. I, 189). 5.° Si quis, *elapso probationis anno*, e conventu exeat cum animo religionem deserendi, sed dein poenitens redeat, aut *invalide fuerit professus* ex defectu aetatis, verius hic adepta aetate, ille post reditum profiteri valet, modo post novitii egressum aliqua notabilis mutatio non supervenerit (S. C. C. pluries contra Suarez et alios veteres).

Nimis rigidum se praebet Nervegna cum interrumpi asserit novitiatum cum novitius comite Superiore ante civilem auctoritatem se sistit et *per unam noctem* extra claustrum remanet. An vero novitiatum iterare debeat qui, post octo menses v.gr., novitiatus pro laico, transit ad statum clericalem, supposita

S. Sedis licentia, disputatur, quamvis affirmandum videatur ex pluribus S. C. EE. et RR. decisionibus. Dico *supposita*, etc., quia prohibitus est hic transitus a Clem. VIII, quamvis non ex statu clericali ad laicalem, si ordinatos in sacris excipias. Non autem tenetur novitiatum iterare nec professionem, qui vi indulti perpetuae saecularizationis in saeculo permansit, si poenitens ad ordinem regredi velit. Utique vero, juxta communem sententiam, professus, qui ad alium transit Ordinem, nisi forte legitime ad illum transferatur tamquam praelatus, v. g.: ad instaurandam observantiam regularem.

Suspenditur novitiatus cum tempus utiliter labi cessat, pars tamen bene peracta conjungi valet cum reliqua ad annum complendum necessaria; quod evenit, cum status novitii non fuit perfecte dimissus, verum defuit actualis probatio, v. gr.: si novitius per mensem furiosus vel amens fuerit, vel injuste a Superiore fuerit dimissus, donec revocetur.

Cessat novitiatus per *professionem religiosam* saltem validam et per omnes modos *interruptionis*, et nominatim per ejectionem et liberum discessum cum animo non redeundi.

Prorogatio. Ex decreto ipsius Tridentini (sess. 25, c. 16 de Reg.; S. C. EE. et RR. 12 Jul. 1793) tempus novitiatus prolongari nequit, sed, illo elapso, novitius vel ad professionem admittendus est, vel dimittendus. Excipiuntur: 1.° Novitii Ordinum, in quibus duo anni novitiatus requiruntur. 2.° Differri potest professio, si judicio Generalis vel Capituli conventualis gravis adsit causa illam differendi, saltem ad breve tempus. Si juvenes ad militiam vocari possint, S. C. EE. et RR. die 21 Apr. 1871 indulsit, ut donec hujusmodi periculum perduraverit, novitii, qui tempus novitiatus expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad sex menses valituram, ac de semestri ad semestrem renovandam. 3.° Qui novitiatum expleverit ante aetatem ad profitendum requisitam, quod bona fide vel ex privilegio certe evenire potest, quamvis ordinario habitus invalide ante 15 annum suscipiatur (supra de ingressu).

III. **Locus novitiatus.**—Veteres auctores fieri posse dicebant extra conventum; alii vero rationabilius docent regulariter fieri debere in conventu. Intra Italiam saltem et Insularum adjacentium fines peragi debet in conventibus a S. Sede designatis (Decr. Clem. VIII *Regularis disciplinae* et *Sanctissimus*; Decr. Innoc. XII *Debitum*).

Praxis plurium Ordinum extra Italiam est, ut recurrant ad S. Sedem pro domus novitiatus erectione. Imo erectio novitiatuum pro monialibus etiam extra Italiam S. Sedi reservata est

(S. C. EE. et RR. 4 Oct. 1871), et nonnullis congregationibus virorum cum votis simplicibus haec praxis uti obligatoria a S. Sede imponitur. Sed notandum, quod, ubi vigeat hujusmodi decretum, novitiatus peragi potest partim in uno conventu, partim in alio, si uterque pro novitiatu designatus est; secus nullo modo (S. C. C. 21 Jul. 1663).

Circa *loci qualitatem* idem Clemens VIII in Decr. *Cum ad regularem* plura determinat; nimirum: 1.° Ut locus novitiatus propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit cum cellulis vel dormitorio pro novitiis, Magistro et socio. 2.° Ut adsit ibi locus ad collationes faciendas, et in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiantur. 3.° Ut adsit oratorium ad novitios in spiritualibus et caeremoniis ecclesiasticis exercendos. 4.° Ut sit hortus conclusus et bene munitus ad recreationem; sin minus, hortum communem ingrediantur separatim a professis. 5.° Nulli conventûs novitiatus locus pateat praeterquam Magistro et socio, ac Superiori; hic tamen debet assumere socium ex senioribus conventus patribus. 6.° Clavis novitiatus apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illic alicui permittere.

Praeterea Innocent. XII in Decr. *Sanctissimus* 18 Jul. 1695 jubet, ut in his conventibus non collocentur nisi religiosi graves, devoti, exemplares, observantiae studiosi, quique consentiant exacte servare vitam communem.

IV. **Disciplina novitiatus.**—Statuitur in citato Decreto Clem. VIII. *Cum ad regularem*. Et 1.° Magister novitiorum sacerdos 35 annorum esse et 10 professionis habere debet. Ejus socius sit annum 30.^{m} excedens et Magistro subjectus in iis, quae ad novitiatus regimen spectent.

2.° Uterque, Magister et socius, eligendi sunt a provinciale Capitulo, et saltem per triennium suum officium exercere debent. Si vero extra tempus capitulare electio fiat, a Generali, Provinciali vel eorum Vicariis ex definitorum vel aliorum graviorum Patrum consensu fieri potest.

3.° Magister habere debet plenam et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini, Visitatoribus ac Superioribus majoribus exceptis, quovis colore se ingerere liceat. Hanc Magistri potestatem alii ad forum internum restringunt, alii ad externum extendunt, usque ad censuras infligendas.

4.° Soli Magistro competit confessiones novitiorum audire; sed Superiori locali licet etiam per se vel per alium semel vel bis in anno; cui dispositioni derogatum non est per Decr. S. Officii 15 Jul. 1899, quo Superiores vetantur excipere confessiones suorum subditorum, ut 23 Aug. ejusdem anni S. Officium declaravit.

5.° Quoad novitios, initio novitiatus confessionem generalem totius anteactae vitae agere debent; dein exerceri in regulari disciplina et instrui quoad vocationem, vota et perfectionem vitae religiosae et in omnibus virtutibus; bis saltem in mense confiteri debent, et tempore novitiatus numquam cum professis, nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus aut in coenaculo refectionis causa commorari debent. Insuper praescribuntur bis in die oratio mentalis et vocalis secundum propriam cujusque capacitatem; frequens propriae conscientiae discussio; quotidiana aperitio conscientiae; missae et officio canonico quotidiana assistentia; frequens sacramentorum usus; quaedam recreationes, et semel saltem in singulis quindenis, longior extra domum; deputatio novitii provectioris, qui socium magistri in minoribus suppleat cujusque necessitatibus.

6.° «Licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua; conversorum tamen religiosa instructio non est praetermittenda, quin potius aequanimiter amplectenda. Habeant dormitorium separatum; accedant capitulis et spiritualibus concionibus, nisi suis in officiis sint actualiter occupati, et obedientiam Magistro vel Superioribus praestent, a quibus et quoad corporalia obsequia probandi, et de spiritualibus pro eorum commoditate instruendi.

7.° Alia etiam habent novitii officia et privilegia. In primis subjiciuntur Superioribus Ordinis, cujus habitum sumpserunt vi Statutorum a S. Sede approbatorum, vel ex Episcopi concessione, si ordo non sit exemptus; et vi etiam jurisdictionis quasi-episcopalis, si sit exemptus. Secundo, ex decentia et honestate tenentur ad regulae observantiam et praeceptorum communium religiosis, tum ex fine novitiatus, tum quia regula generalis est, ut qui similem cum aliis vitam suscipit, similem sentiat in legibus disciplinam» (C. 3 *de Statu monachorum*).

8.° Quoad privilegia in favorabilibus veniunt nomine religiosorum: unde gaudent privilegio canonis et fori; indulgentiarum aliorumque privilegiorum religioni concessorum participes efficiuntur, exceptis concessis solis professis; a proprio Ordinis Praelato, intra limites suae potestatis, absolvi possunt a reservatis, eorumque vota non reservata commutari, et in aliis dispensari sicut et professi. In odiosis exempti sunt ab Ordinarii jurisdictione. E contra, in favorabilibus ut saeculares habentur, unde non incurrunt casus in religione reservatos; nonnullis tamen contradicentibus, libros imprimere possunt absque Praelati licentia, quin poenas incurrant ab Ecclesia statutas; et valide, quamvis non licite, confitentur cum confessario ab Ordinario tantum approbato, quod tamen plures negant quoad primam partem.

V. **Praescripta a Tridentino circa bonorum renuntiationem.**—Dispositiones Tridentinae hisce verbis continentur: «Nulla renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento vel in favorem cujuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus» (sess. 25, c. 16, de Reg.). Haec dispositio lata est ad tuendam libertatem professionis, eaque comprehenduntur etiam moniales; ut saepe declaravit S. C. Concilii; ab eodem autem Concilio excipiuntur Patres S. J.

Decretum se extendit ad donationes et obligationes, quae notabiliter minuant bona novitii, ad renuntiationem beneficii (Bened. XIV, Const. *Ex quo dilectus*) ad renuntiationes bonorum parentum vel consanguineorum, et ad renuntiationes ante ingressum in religionem factas, si intuitu ingressus factae sint, quamvis rationes probabiles in contrarium adducantur; non vero attingit actus ad nutum revocabiles, uti testamentum, nec contractus onerosos, neque parvas eleemosynas. Si agatur de renuntiatione bonorum, quae *accidentaliter* venire possunt, S. C. Concilii die 16 Sept. 1885 respondit in singulis casibus recurrendum esse ad ipsam Congr. S. Concilii.

Quoad licentiam, ejus concessio competit Episcopo, in cujus dioecesi situs est novitii conventus (S. C. C. 13 Jan. 1677), eamque novitius tenetur personaliter petere ab Episcopo vel ejus Vicario vel ab alio per Episcopum deputando (S. C. C. 19 Jan. 1686), et obtineri debet ante renuntiationem, ut haec sit valida, nisi consuetudo non petendi existat, cui tamen consuetudini valde repugnat Sedes Apostolica.

Quoad tempus, hodie facienda est intra bimestre ante professionem solemnem, ut Pius IX declaravit die 1 Aug. 1862. Ante professionem vero temporaneam debent cedere pro tempore, quo in ea permanserint, administrationem, et usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini si capax sit, si ita pro lubitu existimaverint (S. C. EE. et RR. 19 Mart. 1857).

Quoad formam, quaevis exterior sufficit in foro conscientiae, et statim ac fieri possit secundum leges civiles, actu civili firmo renovabitur (S. C. EE et RR. ibid.); quod, si interea actus civiles professus facere debeat, potest specie tenus eos facere (ibid.). Integrum est novitio bona ista deputare suffragiis, familiae, monasterio, aut causae piae.

Quoad effectus, nequit revocari ante professionem; si vero facta non fuerit renuntiatio, nequit post professionem suppleri, sed bona *praesentia* acquiruntur monasterio, si capax sit possidendi, sin minus, haeredibus; bona vero *futura* pariter monasterio capaci accedunt, sin minus, dividuntur inter haeredes, nisi aliquod jus sibi reservaverit ope conditionis resolutoriae «nisi legitime egrediar e monasterio» (S. C. C. *Nullitatis testament.* 2 Sept. 1870), vel clades monasterii contingat, tunc enim donatarius tenetur alimenta professo inopi praestare, nisi malit donationem revocari.

VI. **Novitiatus Congregationum religiosarum.**—1.° *Novitiatus incipit a momento* quo susceptus est habitus (*Normae*, n. 71), et, si Instituta habitum proprium non gerant, a momento, quo quis ad probationem admittitur (Verm. I, 187).

Jam *habitus* debet dignitati, modestiaeque et virtuti paupertatis convenire; exacte describi in constitutionibus; non esse diversus omnino ipso diversis membris; et haud mutari semel obtento laudis decreto; et ritu probato, non tamen in constitutionibus describendo, suscipi in domo novitiatus.

2.° *Praemitti* debent novitiatui: **a)** ex parte *postulatium*, *decem dies exercitiorum spiritualium*, qui aequivalent octo integris; *generalis confessio* semel et juxta prudens judicium confesarii (non vero tenentur manifestare statum conscientiae, neque ad hoc induci a laicis feminisve); et *dotis legitimae* exhibitio, qua nimirum reddatur tuta favore Instituti; ea vero est legitima, quae aequaliter pro sororibus ejusdem gradus praefigitur, neque a Moderatrice remittitur vel minuitur absque licentia S. Sedis. **b)** Ex parte vero *Superiorum*, potest fieri pactum de expensis novitiatus, et debet fieri diligens adnotatio rerum postulantis, et, si de sororibus agitur, superiorissa debet certiorem facere Episcopum ante mensem de vestiendis, Episcopus vero, vel ejus Vicarius aut deputatus, explorare an coacta, an seducta, an sciat quid agat virgo, ad normas Conc. Trid. et Const. *Conditae* (II, n. 1) quin aliud exprimere debeant constitutiones (*Normae*, n. 77 et sqq.).

3.° *Annus conciliaris* absolute requiritur ad valorem novitiatus, vel etiam ex jure particulari cujusque Congregationis biennium aut menses duodeviginti, quod tempus numquam imminui nec ultra tres menses prorogari a Consilio Generali potest (Ib. n. 72 et 75). In anno unico vel saltem in primo, si ultra annum duret novitiatus, exercitiis spiritualibus dumtaxat immorandum est; in

altero opera et studia Instituti licent in domo novitiatus, sed non extra (Ib. n. 73 et 74).

4.° *Ad erectionem, translationemve* novitiatus opus est venia S. C. EE. RR.; at opus non est, ut habeatur unica domus, nec ut constituatur in domo principe, sed potius in loco ad probationem aptiori (Ib. n. 76, 88, 89 et 90) (1).

5.° *Quae officia* novitiorum et Magistri spectant, communia sunt Regularibus, si excipias quae ad confessiones audiendas novitiorum referuntur (Ib. n. 73, 74).

§ III.—DE PROFESSIONE RELIGIOSA

Investiganda erunt: I. Natura et divisio professionis religiosae. II. Praescripta a Pio IX et a Leone XIII circa professionem. III. Requisita ad validam et licitam professionem Regularium. IV. An hodie professioni tacitae locus esse possit. V. Revalidatio professionis. VI. Reclamatio contra professionem. VII. Effectus professionis temporaneae. VIII. Effectus professionis solemnis. IX. Natura et effectus professionis simplicis.

⟨I. **Natura et divisio.**—1.° *Natura.*⟩—In genere est promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita aetate constitutus, post tempus probationis expletum, tribus votis substantialibus Deo se adstringit in religione ab Ecclesia approbata. Brevius: ⟨est religiosi status susceptio, sive publica sanctitatis professio.⟩

Olim, ut diximus, professio perfectionis consistere potuit absque votis et vita communi; hodie vero, licet formaliter distinguantur professio a nuncupatione votorum et a professione vitae communis, adeo ut etiam hodie habeantur et vita communis sine votis, et votorum *devotionalium* nuncupatio citra professionem; religiosa tamen professio est nulla sine votorum nuncupatione facta Deo et absque traditione facta

(1) Notetur has Normas, quatenus integrum annum novitiatus in domo quidem a Sede Ap. approbata exigunt *ad valorem* professionis, praesertim afficere Congregationes et Constitutiones in posterum approbandas; unde quoad jam antea approbatas, similis quaestio incidit ac quae in ultima nota paragraphi praecedentis fuit exposita quoad aetatem ingressus. Puto tamen in praxi novitiatum alias factum, vel interruptum ad cautelam iterari debere, vel petendam dispensationem ad cautelam a Sede Apostolica.

Religioni ab Ecclesia approbatae, ita ut materialiter conjungi soleant vota et professio, v. g.; in inscriptione Const. *Conditae*: «De *Religiosorum* Institutis *vota* simplicia *profitentium*».

2.° *Divisio.*—Duplex distinguitur; *simplex*, in qua vota tantum simplicia emittuntur, et *solemnis*, in qua vota solemnia nuncupantur, quaeque communiter definitur: contractus ultro citroque obligatorius, quo persona habilis absolute et *irrevocabiliter* se religioni *tradit* per emissionem votorum *solemnium*, et Religio vicissim hujusmodi traditionem *acceptat* cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tamquam filium juxta Regulas et Institutum Religionis tractandi. Utraque potest esse *expressa*, si verbo, scripto vel alio signo sufficienter declarante consensu exprimatur, vel *tacita*, quae per unum aut plures actus professorum proprios induci censetur.

Insuper *valida* et *invalida*, *licita* et *illicita*, *temporanea* et *perpetua* esse potest. Temporanea, quatenus statui religioso non repugnat, dicitur nuncupatio votorum ad tempus, quae praecedere debet professionem solemnem, vel etiam simpliciter perpetu aequarumdam Congregationum. Votorum temporalium *ut sic* emissio abhorret a perpetuitate status religiosi, ut supra dictum est.

II. **Praescripta a Pio IX et a Leone XIII circa professionem.**—Disciplina hodierna pro *viris* eruitur ex decretis latis a Pio IX per encycl. litteras S. C. *Super Stat. Reg.* incip. *Neminem latet* 19 Mart. 1857, et per litteras sub Annulo Piscatoris incip. *Ad Universalis Ecclesiae regimen* 7 Febr. 1862, cum subsecutis respective declarationibus 12 Jun. 1858, 17 Jul. 1858, 6 Aug. 1858, 20 Jan. 1860, 7 Febr. 1862, 16 Aug. 1866, 1 Sept. 1875, 16 Jan. 1891, et S. C. EE. et RR. 27 April. 1866, 25 Jan. 1884, 24 Mart. 1884 et 8 Jan. 1886. Decreto *Neminem latet* constituta fuit disciplina *triennii* professionis simplicis et praeviae solemni; Brevi *Ad Universalis* reunita est sub poena nullitatis.

Haec porro disciplina sensu et verbis infra in religiosorum commodum tradendis extensa fuit ad *Moniales* jussu Leonis XIII per Decretum S. C. EE. et RR. quod incipit *Perpensis temporum adjunctis* 3 Maj. 1902. Illi plura indulta praecesserant aequalis majorisve durationis in votis simplicibus, puta: latum pro episcopis Austriae 19 Mart. 1857, pro episcopis Statuum Foederatorum Americae Sept. per Decretum S. C. EE. et RR. 3 Sept. 1864 et S. C. de Prop. Fid. 6 Oct. 1867. Decretum *Per-*

pensis subsecutae sunt Declarationes Secretarii Dni. Philippi Giustini 28 Jul. 1902 et 26 Jan. 1903. Quae cum ita sint, en decretorum verba, iis demptis quae ad conditionem juridicam simpliciter profitentium n. VIII tradentur:

2.° In omnibus et singulis virorum et sanctimonialium monasteriis, ubi *vota solemnia* emittuntur, *peracta probatione et novitiatu* ad praescriptum S. C. Trid., Const. apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. S. approbatorum, novitii et novitiae *vota simplicia* emittant, postquam expleverint *aetatem annorum 16* ab eodem Conc. Trid. statutam, vel *aliam majorem*, quae forsitan a constitutionibus a S. S. approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Const. Clem. VIII incipiente *In supremo* praefinita est (1). Professi et professae, etsi majores jam 25 annorum, *post expletum triennium* a die quo vota simplicia emiserint computandum, et quidem mathematice, si digni dignaeve reperiantur, ad *professionem votorum solemnium* admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit; sublata de cetero cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe, ut siquis vel siqua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem quacumque ex causa admitteretur, *professio ipsa irrita* prorsus foret ac nullius valoris; nisi *exceperis* religiosum solemniter professum in Ordine suo et dein in alium Ordinem ingressum, qui potest valide et licite professionem emittere statim post novitiatum, quin teneatur ad novum triennium. Poterit vero Superior Generalis, aut Provincialis, et, si Provinciales non habeantur, Superior domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri Novitiorum et duorum religiosorum in Instituto aliquo gradu insignitorum; et, si de Monialibus agatur, Ordinarius pro monasteriis suae jurisdictionis; et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere *ex justis et rationabilibus causis*, de quibus, ubi de mulieribus agitur, tum monasterii Superiorissa, tum Novitiarum

(1) Nihil habetur; at ad calcem Bull. Rom. plura in eodem numero referuntur decreta quae exigunt *21 annos* completos: v. g. Decretum *Cum ad regularem* ipsius Clem. VIII.

Magistra fidem scripto facere debent, *et in casibus particularibus*, ut professio votorum solemnium *differatur*, non tamen *ultra aetatem 25 annorum expletorum*; quare differri nequit pro iis qui majores natu fuerint, sed recurrendum ad S. C. in casibus particularibus. Decreta *Rom. Pontifices* et *Regulari Disciplinae* a. 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

III. **Requisita ad validam et licitam professionem Regularium.**—Quinque sunt: 1.° *Capacitas profitentis*, quae involvit *aetatem legitimam* et *absentiam impedimentorum*.

a) Ad validam professionem Conc. Trid. exigebat *aetatem 16* annorum saltem, sed ad licitam professionem *laicorum 21* anni exposcebantur. Post decreta n. II allegata hoc jus Trid. et Clementis VIII perseverat pro *professione temporanea*; pro *solemni* enim requiruntur saltem *19 completi* pro *clericis* et *monialibus*, et 24 pro *laicis*, salvis privilegiis cujusque Ordinis, quibus non obstantibus, professio habentis minorem aetatem, quam constituta in Ordine, valida censebitur, nisi adsit clausula irritans (S. C. C. 2 Aug. 1631, et 24 Apr. 1632).

b) Notandum impedimenta ad *validum ingressum* non obstare *validae professioni*, si durante novitiatu rite sanentur, puta: si conjugis consensum obtineas.

2.° Ad professionem simplicem *annus* probationis *conciliaris*, vel longius tempus, si id requirant Constitutiones; ad solemnem vero, *triennium* in votis simplicibus vel minus ex privilegio apostolico juxta dicta.

3.° *Consensus* plenus atque perfectus profitentis; ad validitatem enim professionis, saltem solemnis, obstat ad minus metus gravis injuste incussus ad extorquendum consensum in professionem, et cuicumque professioni obstat defectus intentionis in vovente et error substantialis in objecto professionis. Hac de causa debet Episcopus examinare moniales infra 15 dies post intimatam professionem, et in ecclesia vel ante crates «an coacta, an seducta, an sciat quid agat», interrogare.

4.° *Acceptatio* ex parte Religionis, et quidem per Superiorem legitimum sub poena nullitatis.

Quisnam sit legitimus Superior definiendum est ex uniuscujusque Ordinis statutis, usibus et privilegiis; extra *Italiam*

vero, dempta S. J., praeter consensum Superioris Regularis requiritur suffragium decisivum majoris partis capituli ad professionem temporaneam; ad solemnem vero "audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiore Generali vel ab ejus delegato standum erit resolutioni ejusdem capituli, (7 Febr. 1862 ad 3), et si triennium dispensari ab Apost. Sede expediat, standum est praxi communiori, juxta quam Superior ante expostulationem dispensationis exquirit votum capituli *mere consultivum* etiam hoc in casu, adnotando tamen quale fuerit judicium Capituli» (S. C. EE. et RR. 26 Jan. 1903).

Ad *Moniales* quod attinet, si regularibus sint subjectae, jus conventus exercetur cum consensu Superioris Regularis; sin minus, cum licentia Ordinarii in *manibus Superiorissae* (28 Jul. 1902).

In Italia vero et Insulis adjacentibus, Decr. *Regulari Disciplinae* hanc *propriam temporaneae* et cujusque simplicis professionis disciplinam induxit, ut de novitio ad professionem admittendo audiatur capitulum locale, instituatur scrutinium Examinatorum Provincialium, quod debet referri Generali et ab ipso confirmari, quin umquam permittere possit professionem novitii, qui ab illis reprobatus fuerit.

5.° *Forma* professionis debet esse legitima, ac proinde externa, immo publica, gratuita et usualis, et si de solemni agatur, expressa.

Expedit ut fiat personaliter et absolute, licet, non obstante decreto abrogante professionem tacitam solemnem, valida censeatur, quae fieret per *procuratorem* specialem vel per scripturam authenticam, vel cum conditione, quae non repugnet substantiae votorum. Saltem in Italia et Insulis abjacentibus, professio *temporanea* fieri debet in domo novitiatus a Sede Apost. designata ad hoc quod sit valida, in aliis regionibus saltem congruenter id fit; ipsa vero *solemnis* professio licite et libere emittitur in domo, in qua professus tum temporis versetur (9 Dec. 1859). Ad validitatem professionis solemnis requiritur *ritus expressus;* nullus tamen ritus specialis de jure communi nec ad validitatem nec ad liceitatem praescriptus est, sed solummodo commendatur. Quare servari debent ritus approbati; expedit autem, ut scripta legatur vel saltem ut viva voce proferatur, et ex Const. *Regularis disciplinae* Clem. VIII debet probationis causa et ad liceitatem coram duobus saltem testibus emitti, et in librum vel tabulas a vovente subscriptas vel, si illiteratus sit, cruce obsignatas referri. Si velint facere professionem *intra missam* et *coram celebrante S. Hostiam manu tenente,* profecto possunt ad instar Jesuitarum et deinde

sacramentum quisque sumere (S. R. C. Decret. 14 Aug. 1894, 5 Jun. 1896); non tamen prohibentur alteri ritus probati sive extra missam sive intra missam, citra casum communionis praedictum (ibid.). Ubi de monialibus agitur, declaravit secretarius S. C. EE. et RR. «ritum in unoquoque monasterio receptum adhibendum esse in *prima professione*, pro qua consuetae formulae, suppressis, si adsint, verbis solemnitatem exprimentibus, adjiciatur novitiam nuncupare vota simplicia juxta Decretum a S. C. EE. et RR. die 3 Maji 1902 editum: *professionem* autem *secundam* emitti posse *privatim* in Choro, sive in Oratorio interiore, *coram communitate, in manibus Superiorissae, praevia approbatione* Ordinarii, seu Praelati Regularis quoad monasteria exempta» (28 Jul. 1902). Episcopus tamen pro temporanea nequit uti ritu Pontificali (S. C. EE. et RR. 21 Apr. 1841). Licet professio *simoniaca* non sit nulla, est tamen graviter prohibita; unde etiam dantes et recipientes in solemni saltem professione incurrunt excommunicationem latae sententiae simpliciter reservatam et irregularitatem ex infamia juris.

IV. **An hodie professioni tacitae locus esse possit.**— Certe *insolita* est apud Regulares utriusque sexus; certo etiam omnino abrogata est quoad *professionem solemnem* sive virorum (12 Jun. 1858) sive, verius hodie, ne dicam certo, monialium (3 Maj. 1902 et 28 Jul. 1902), quibus decreta lata pro illis «cum subsecutis declarationibus» applicata sunt. Num abrogata dicenda sit etiam quoad *professionem temporaneam*, et quoad *mere simplicem*, quaeritur jure merito inter Doctores. Piat negat, Palmieri ait; ego, si quid opinor, Piat assentior; unde praestat adhuc novisse modos professionis tacitae demonstrandae, eo praesertim quod practicam utilitatem habere possit, tum ad *primam emissionem votorum simplicium*, tum etiam ad *convalidationem votorum solemnium*. Fateor tamen talem professionem tacitam, et tacitam etiam ratihabitionem ab usu et praxi Curiae Romanae videri alienam, et tutius esse ad expressam professionem et convalidationem confugere.

Professio tacita inducebatur: 1.° ex eo quod novitius *habitum professorum* per annum, novitiatu expleto, induisset; vel 2.° *actibus professorum* propriis se ingereret cum Superioris consensu; vel 3.° habitum professorum proprium triduo etiam infra novitiatum indueret. Certo ultimus casus non prodest ad professionem temporaneam, neque ad convalidandam so-

lemnem, neque, saltem ex praxi Curiae, ad simplicem congregationum quarumcumque; urget enim annum conciliarem pro novitiatu. Insuper vi decreti Conc. Trid. neque tacita professio de jure praesumitur in prioribus, nondum elapso quinquennio. Vigetne adhuc Conc. Trid., vel potius jus vetus, cum agitur de professione temporanea?

V. **Revalidatio professionis.** — Professio invalide prius emissa potest convalescere, dummodo sanetur vitium, ob quod invalida erat.

Nullitas vero provenire potest: 1.° *Defectu ex parte profitentis*, et tunc sanatur ratihabitione, ad quam requiritur tum cognitio nullitatis, nisi ratificans vellet illam ratam habere, etiamsi forte a principio fuerit invalida, tum ut novus, ablato impedimento, praestetur consensus, si in priori professione consensus fuerit nullus. Nonnulli insuper requirunt novam acceptationem ex parte religionis, quod plerique rejiciunt.

2.° *Defectu ex parte Religionis tantum*, v. g.: quia professionem acceptans carebat hac potestate; et tunc sanatur per solam Religionis ratihabitionem, dummodo prior acceptatio nomine potestatem habentis facta fuerit; nam ex regula juris, ratum quis habere non potest, quod suo nomine non est gestum, et dummodo professus ante ratihabitionem consensum suum prius datum non revocaverit.

3.° *Defectu tum ex parte profitentis, cum ex parte Religionis*: quo casu novus utriusque requiritur consensus, idest, nova professio, sicut si ex alio capite oriatur.

Non satis constat an ratihabitio in casibus numeri 1 et 2 fieri possit per professionem tacitam; S. C. C. 6 Febr. 1874 in causa nullitatis professionis ob emissa vota simplicia, quae solemnia praecedunt, ante aetatem legitimam «supplicandum SSmo. pro dispensatione ad cautelam», resolvit. Piat vero negativam tenet sententiam.

VI. **Reclamatio contra professionem.**—Quilibet regularis, etiam monialis, qui invalide professus est, ex quacumque tandem causa nullitas proveniat, potest intra quinquennium, a professionis die computandum, reclamare contra validitatem professionis per querelam nullitatis (Conc. Trid. sess. 25, c. 19 de Reg.); sicut et ipsa Religio (Bened. XIV, Const. *Si datam*). Post quinquennium peti debet a S. Sede restitutio in integrum.

Ad reclamandum intra quinquennium requiritur: 1.° Ut religiosus ante reclamationem habitum non deposuerit, neque cum habitu discesserit absque Superiorum licentia; secus

audiri nequit donec habitum resumat vel ad monasterium regrediatur.

2.° Ut causa nullitatis primum coram Superiore Regulari, qui, tempore quo lis movetur, Rector est conventus, in quo reclamans professionem emisit, et coram Ordinario simul et conjunctim discutiatur, qui Ordinarius est ille, in cujus dioecesi est conventus, ubi reclamans professionem emisit. Excipitur casus, quo impugnetur ex non peracto novitiatu in domo a S. Sede assignata; tunc enim immediate coram S. C. Concilii causa ventilanda est. Superior localis nequit jus suum cedere Ordinario loci, ut solus procedat; potest tamen alium subrogare jurisperitum. Si agitur de *monialibus* non exemptis, Ordinarius est unus judex; si vero de exemptis, debet procedere una cum Praelato Regulari.

3.° Ut instruatur verus necnon judicialis processus, in quo citari et audiri debent defensores conventus ipsiusque professi, omnesque interesse habentes, ac insuper ab Ordinariis institui *defensor professionis*, ad instar defensoris matrimonii, coram quo omnia peragi debent sub poena nullitatis. Ut professus e religione migrare possit, necesse est, ut duas saltem sententias nullitati faventes obtinuerit; si vero prior validitati faveat, nec appellatio a professo interponatur, causa finita est.

4.° Judices primae instantiae causam finire debent intra biennium, et a sententia eorum, si faveat nullitati, defensor professionis appellare debet. In secunda instantia judices sunt Superior ecclesiasticus, ad quem de jure appellandum, et Superior Regularis alterius conventus ejusdem Ordinis in ejus civitate vel dioecesi existentis; aut, si non existat, vicinioris conventus, aut persona ecclesiastica, cui superior ille suas vices ad hunc effectum delegaverit. Sed notandum quod si Ordinarius et Superior Regularis in prima instantia dissentiat, causa immediate devolvitur ad Sedem Apostolicam (Const. Bened. XIV, *Si datam*).

Ad obtinendam post quinquennium restitutionem in integrum, Ordinario loci et Superiori Regulari committitur, ut processum conficiant super tota causa et super motivis illud beneficium concedendi. Hoc processu Romam transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, et quidem, sic accurate et severe, ac si dubium esset super ipsa professionis validitate vel nullitate. Si beneficium concedatur, tunc Ordinario et Superiori Regulari committetur ut sententiam proferant, quae, iis attentis quae praecesserunt, sine dubitatione ferri solet pro nullitate. Tum in praedictis commissionibus, tum in dubii propositionibus forsan iteratis, opus est interventu defensoris professionis cum eodem munere praedicto et sub simili nullitatis poena; quae etiam infi-

ceret restitutionis beneficium, nisi coram eo duplex sententia conformis intercessisset. De effectibus hujus declarationis jam satis dictum est.

VII. **Effectus professionis temporaneae,** *seu votorum simplicium, quae solemnem praecedunt professionem.*—In genere taliter professi vel professae fiunt participes omnium gratiarum et privilegiorum, quibus gaudent solemniter professi (S. C. *Super Stat. Reg.* 12 Jun. 1858 et S. C. EE. et RR. 3 Maj. 1902, n. 6); et quatenus morte praeveniantur, ad eadem respective suffragia jus habent (Decr. *Perpensis*, ibid.); easdemque acquirunt obligationes, iis exceptis, quae ex differentia intrinseca votorum oriuntur. Immo in sententia veriori sunt vere *Regulares* ad instar Scholasticorum S. J. (Viderlack, Bouix, Bizzarri, Wernz, Vermeersch).

In specie autem: 1.° Possunt deputari ad minora officia, non autem ad praelaturas et superioratum (ibidem et S. C. *Super Statu Reg.* 16 Jan. 1891).

2.° Possunt ipsis a Superioribus concedi dimissoriae cum dispensatione a defectu natalium (S. C. 20 Jan. 1860), sed ad tonsuram et ordines minores tantum.

3.° Ab illa professione computandi sunt anni professionis necessarii, ut quis sit capax vocis activae et passivae, necnon officiorum ordinis. Excluduntur tamen a ferendo suffragio in capitulo, quando agitur de admittendo ad professionem solemnem vel simplicem (S. C. *Super Stat. Reg.* 7 Febr. 1862 et 1 Sept. 1875, et Decr. *Perpensis* 28 Jul. 1902); at votum capituli pro dimissione monialis seu non admissione ad vota solemnia est mere consultivum, et ipsa dimissio Sedi Apost. reservata (ibid.).

4.° Dominium radicale suorum bonorum retinent; sed eis interdicitur eorumdem administratio, quam ante professionem cedere alteri debent (ibid.); at de dominio definitive disponere non poterunt, nisi infra bimestre proximem praecedens professionem solemnem (ibid.).

5.° Remanere debent in domibus *Professorii*, vitam communem et Regulam observare et choro interesse uti solemniter professi (Decl. S. C. *Super Stat. Reg.* 6 Aug. 1858); quatenus vero legitime impediantur a choro, ad privatam officii recitationem non obligantur (ibid.).

6.° Haec professio non dirimit subsequens matrimonium illicitum neque ratum praecedens (25 Jan. 1861).

7.° Vota haec sunt perpetua ex parte voventis et reservata R. Pontifici, sed ex parte Ordinis solvi possunt in actu dimis-

sionis, quae ex justis tantum causis, minime vero ex causa infirmitatis supervenientis post dictam professionem, fieri potest a solo Superiore Generali cum suo Consilio, et extraordinario, in regionibus longinquis, ab ejus subdelegatis, qui tres, probi et prudentes saltem esse debent.

8.° Sorori a monasterio discedenti ob dispensationem apostolicam aut ob decretum dimissionis a Sede Apost. approbatum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus; quae quidem tradi debuit monasterio ante professionem simplicem (Decr. *Perpensis*).

9.° Potiori jure censentur, quae prius vota simplicia nuncupaverint, quod si solemnia distulerint, loco *interim* cedent junioribus solemniter professis (ibid.).

10. Beneficia non vacant per hujusmodi professionem. quae in ceteris alios etiam producit effectus professionis simplicis, de qua n. IX.

VIII. **Effectus professionis solemnis.**—Praecipui sunt: 1.° Profitens constituitur in statu vere religioso, theologice et etiam juridice; seu fit vere *regularis*.

2.° Professus religioni et haec professo ligatur, sic ut nec sola professi voluntate, nec sola religionis, saltem sine juxta causa, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit illud vinculum mutuum.

3.° Professus sui juris non manet, sed potestati dominativae Religionis incorporatur; ex quo sequitur Superiorem Religionis jus habere religioso praecipiendi et religionem vicissim teneri illum alere et gubernare, tam in temporalibus quam in spiritualibus, sicut pater et dominus.

4.° A patria potestate profitentem liberat in damnosis professo et religioni; sed non in favorabilibus.

5.° Profitens satisfacit pro peccatis, peccatorumque remissionem obtinet; alii dicunt ex divina liberalitate ac gratitudine, alii ex operis excellentia; sed, cum hic effectus procedat ex opere operantis, non infallibiliter obtinetur. An reviviscat, recuperata gratiâ, si profitens professionem emisit in statu peccati, disputant AA., communiter negatur. Item disputatur an eumdem effectum producat renovatio professionis. Lucratur quoque indulgentia plenaria.

6.° Extinguit vota praecedentia, exceptis factis in confirmationem promissionis tertio factae ab eoque acceptatae. Suarez tamen aliique quoad vota compatibilia cum professione requirunt ad hoc voluntas in profitente eadem in vota professionis commutandi.

7.° Beneficium a profitente possessum reddit vacans.

8.° Professio solemnis irritat matrimonium contrahendum, ac etiam contractum, si ratum solummodo sit, necnon juxta

plures etiam consummatum, si in infidelitate contractum fuerit ac compars infidelis perseveret. Professio vero simplex tantum reddit illicitum matrimonium futurum, usumque jam contracti. Qui post professionem solemnem matrimonium contrahere attentarit, nec non qui idem cum illis sive religiosis, sive monialibus, excommunicationem latae sententiae Ordinariis reservatam incurrunt (Const. *Apost. Sedis*).

9.° Aufert irregularitatem ex defectu natalium in ordine ad suscipiendos ordines sacros, quamvis non in ordine ad praelaturas et dignitates religionis.

IX. **Natura et effectus professionis simplicis in Congregationibus religiosis.**—1.° Professio simplex, ut sit legitima, praeter ea quae requiruntur ad perfectionem votorum, fieri debet juxta normas proprii Instituti (1). In plerisque enim Institutis dividitur in *temporalem* et *perpetuam*. Temporalis fit emissione trium *tantum* votorum essentialium *ad annum*, per periodum trium annorum ut minimum, et sex annorum ut maxime; ita scilicet, quod, si Instituto placet, possit fieri duplex professio triennalis, non tamen extendi; et ea ratione ut, die veniente, statim fiat *renovatio juridica* votorum. Talis votorum emissio et juridica renovatio non potest fieri secreto, sed in manibus moderatoris vel delegati acceptantis nomine Instituti, qui una cum vovente subsignare debebunt testimonium de ea scriptum in libro apposito. Talis renovatio juridica differt a *devota*, quae fieri potest pluries in anno juxta Constitutiones. Elapso tempore votorum temporaneorum a constitutionibus praefinito, religiosus admitti debet ad perpetua, si dignus est; secus, ab Instituto dimitti (*Normae*, 101-109).

2.° Emissioni votorum praemitti debent exercitia spiritualia per decem dies, seu octo integros, et *dispositio de bonis* temporalibus juxta dicenda de voto paupertatis, et insuper, si soror sit, Instituto tradere debet dotem, quam ante habitum tutam reddiderat, et explorationi Episcopi subjici (*Normae*, n. 98, 97, 93, 96, 80 cum Const. *Conditae*, II. n. 13).

(1) Formula professionis inseri debet in constitutionibus, eaque, demptis superfluis, simpliciter et clare dicere debet religiosum vovere tria vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae, secundum Constitutiones Instituti, ad tempus vel in perpetuum, juxta casus, et quidem explicita omnino (*Normae*, n. 99-100).

3.° Effectus praecipuus in eo habetur quod alumnos constituat in *statu religioso* theologice sumpto, tam in favorabilibus quam in odiosis. Videtur satisfacere poenis peccatorum, et in professionem commutari posse vota anteriora a tertio non acceptata, quin ea repetere teneatur, si absque culpa fuerit dimissus (1); et certo inducit vacationem beneficiorum residentialium, quidquid olim senserint probati auctores et tenuerit ipsa S. C. Concilii. Ita decisum est a S. C. EE. et RR. 25 Aug. 1903, *Romana* pro Filiis Cordis Mariae. Alios effectus professionis solemnis *per se* non habet, sed eos tantum qui a votis et a traditione ortum habent juxta proprias Constitutiones. Vota, sive temporanea, sive perpetua, sunt Sanctae Sedi *reservata* (*Normae*, n. 112; Const. *Conditae*, II. n. 2).

Ubi professio temporanea praecedat perpetuam, et praesertim in iis Institutis, ubi temporalia dumtaxat nuncupantur, *lapsu temporis* licet *per se* a Congregatione discedere, et de Superioris consensu vota etiam ad diem emittere, quo elapso, libere egredi possit; citra vero Superioris consensum, non licet vota temporanea nuncupare, quae iis dumtaxat permittuntur quibus perseverantia proposita est votorum juridica renovatione obtinenda. Facultas discedendi elapso tempore sublata est *clericis in sacris* constitutis, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint (Decr. *Auctis*, n. V die 4 Nov. 1892).

(1) Cum vota reservata S. Sedi nonnisi in statum religiosum commutari possint, auctores, qui essentiam status religiosi negant Institutis votorum simplicium perpetuorum, vota reservata in professionem, quae in illis fit, commutari non posse, fateantur necesse est.

ARTICULUS III.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS

Ex quatuor fontibus religiosorum obligationes nascuntur: I. ex natura status religiosi; II. ex vi votorum; III. ex legibus ecclesiasticis, et IV. ex regula cujusque Ordinis.

§ I.—DE OBLIGATIONIBUS E NATURA STATUS RELIGIOSI FLUENTIBUS

Hae obligationes reducuntur ad obligationem permanendi in suscepta religiosa vita, et in eadem ad perfectionem tendendi. Prima obligatio oritur, uti diximus, ex pacto intercedente Religionem inter et profitentem; quod pactum dissolvi aut relaxari potest *voluntario* vel *necessario egressu*. *Voluntarius* autem egressus esse potest *licitus* vel *illicitus*. *Primus* fit tripliciter: per indultum pontificium, et per transitum vel ad aliam religionem, vel ad Episcopatum aut Cardinalatum. *Secundus*, seu illicitus fit: vel per apostasiam, vel per fugam religiosi. *Necessarius* egressus fieri potest quadrupliciter: per legitimam dimissionem; per legitimam Ordinis vel conventus suppressionem; per violentam suppressionem Ordinis vel conventus, et per ejectionem seu expulsionem a religione. Igitur haec omnia puncta distincte pertractanda erunt, et ultimo loco de obligatione tendendi ad perfectionem.

PUNCT. I.—DE EGRESSU PER INDULTUM PONTIFICIUM

Indulta pontificia duplicia sunt: I. Dispensationes in votis. II. Indulta saecularizationis.

I. **Dispensationes in votis.**—1.° In votis *solemnibus*, in *simplicibus praeviis* professioni solemni, necnon in *simplicibus* sive perpetuis, sive temporaneis *Congregationum* Religiosarum sive virorum, sive mulierum, unus *Rom. Pontifex* dispensare valet; de facto vero non dispensat in solemnibus, nisi: **a)** ex *causa publica* et valde urgenti, puta: ad stirpis regiae propagationem, pacem

alicujus regni, et similes, si et quatenus vera sint facta vetera, quae allegari solent (Cf. Ferraris, Fagnan., Sebastianelli): aut **b)** *in mortis discrimine*, quo in casu Episcopi per se vel per aliam personam ecclesiasticam dispensare possunt super impedimentis quamtumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus aegrotos, qui civile matrimonium contraxerunt vel in concubinatu actu vivunt, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, et servatis aliis de jure servandis (S. C. S. O. 1 Jul. 1893 cum declarationibus subsequentibus. Cf. Busquet V, n. 472, et alios).

2.° *In Institutis Dioecesanis* Episcopus potest dispensare, exceptis voto castitatis perpetuae et votis, quorum dispensatione laederet jus tertii, puta communitatis insciae vel juste dissentientis (Const. *Conditae*, I, n. 8). Videtur Episcopum dispensare posse votum castitatis perpetuae emissum *sub conditione honesta* in Instituto episcopali (S. C. S. O. 2 Aug. 1876; Verm. I, 327).

Prudenter monet Vermeersch maturo opus esse judicio antequam dispensationis consilium detur; at conscientiam petentis et obtinentis dispensationem tuto stare posse judicio Ecclesiae et in Deum erigi, etsi deinceps se errasse deprehenderit (op. cit. I, 332).

II. **Indulta saecularizationis.**—1.° *Natura.*—Sunt indulta concessa a S. C. EE. et RR. vel a S. C. *Super disciplina Regulari*, quibus religiosi vivere permittuntur extra communitatem et obedientiam Instituti.

2.° *Divisio.*—Indulta saecularizationis duplicis sunt speciei: saecularizationis *perpetuae* et *temporalis*. Vi temporalis indulti religiosus non abscinditur a religiosa familia; utique vero vi saecularizationis perpetuae; unde hic, juxta plures, Regulae praeceptis, quae vota non respiciunt, non amplius ligatur.

Perpetuum interdum continet simplex privilegium, interdum decretum ejectionis: «quoad vixerit», vel «quoad vixerit per modum expulsionis». *Temporale* dari solet vel *ad diem*, puta annum, biennium, quinquennium; vel «donec causa permaneat» necessitatis parentum, infirmitatis, munerum obligationum civilium; vel «ad nutum S. Sedis», quod significat indultarium non

posse ad claustra redire, nisi obtenta S. Sedis venia (C. *Sup. Disc. Reg.* 28 Jun. 1872), vel «ad annum et interim», quo indulgetur saecularizatio ad annum, semel vel pluries, ad effectum sibi procurandi Episcopum benevolum receptorem et patrimonium ecclesiasticum, quibus inventis, datur indultum perpetuum, secus claustra remeanda sunt (Litt. Encycl. Card. Vannutelli 16 Aug. 1898; Nervegna).

3.° *Principia.*—Ex discrimine inter saecularizatum *ad tempus* et saecularizatum *perpetuo*, sequitur: **a)** Priorem ad conventum redire posse, etiam durante indulto, et Ordinem teneri illum recipere, uti saepe declaravit S. C. EE. et RR.; posteriorem vero ad hoc indigere consensu Religionis vel S. Sedis. Item priorem, si regrediatur, jus praecedentiae ratione antiquitatis suae non amittere; e contra posteriorem, qui tamen per se non tenetur ad novam professionem.

b) Hujusmodi vero indulta dari solent in *forma commissoria* Superiori Generali; interdum etiam in forma *gratiosa*, vel *mere executoria*. Tenor rescripti omnino inspiciendus est, sive persona executoris, sive clausulae speciales, sive onera vel forte privilegia spectentur. Non solent dari nisi *solemniter professis* aut, post Decretum *Auctis*, etiam *sacerdotibus* cum *votis* simplicibus *perpetuis* (Nervegna); aliis enim consuli solet per dimissionem ad normas praedicti decreti.

c) Qui petunt *saecularizationem temporaneam* debent idoneum instrumentum de congrua sustentatione proferre; excipe casum indulti saecularizationis *ad annum et interim* (Nervegna). Peccant graviter, si ultra dies indulti in saeculo maneant, nisi novum indultum obtinuerint.

d) Indulta vero *perpetua* concedi solent sub his conditionibus : 1.ª Ut in saeculo degant habitu convenienti presbytero, retento interius aliquo regularis habitus signo. 2.ª Ut maneant sub jurisdictione Episcopi, etiam vi voti obedientiae. 3.ª Ut legitimum patrimonium sibi constiterint et Episcopum benevolum receptorem invenerint (saltem ordinario). 4.ª Ut possint unum beneficium obtinere ad honestam sustentationem, nisi aliquid amplius concedatur (S. C. *Super Disc. Reg.* 14 Jun. 1899. 5.ª Raro conceditur indultum ad testandum; saepe vero ad disponendum de bonis alio modo, quam per testamentum; secus ad monasterium redeunt bona in egressu recepta vel exinde comparata, cetera vero ad Cameram Apostolicam et non ad haeredes (Bizzarri, Sebast., Nerv., Verm.). 6.ª Jura demum in indulto comprehensa non intelliguntur concessa, si cedant in praejudicium juris alteri quaesiti.

e) Saecularizatus *perpetuo* solvitur qua professus ab horis

canonicis; si *in sacris* sit constitutus, tenetur ad kalendarium dioecesanum, secus ac saecularizatus *ad tempus,* qui forte solus in ecclesia celebret (S. R. C. 7 Sept. 1873); nisi enim solus celebraret, teneretur ad kalendarium loci ex decreto *Urbis* et *Orbis* 9 Dec. 1895.

f) Omnes saecularizati sive perpetuo sive ad tempus confiteri debent apud confessarios ab Ordinario approbatos, a quibus etiam absolvi poterunt a casibus in Ordine tantum reservatis (Pius IX, 27 Aug. 1852).

PUNCT. II.—DE EGRESSU PER TRANSITUM AD ALIAM RELIGIONEM

I. Quibus conditionibus licitus sit hic transitus. II. Causa juxta transitus. III. Quisnam sit Superior quoad licentiam. IV. Conditio juridica transeuntium.

I. **Quibus conditionibus licitus sit hic transitus.**—*Licitus* est transitus ad aliam religionem, si fiat justa de causa, absque jactura et injuria prioris Ordinis, petita licentia Superioris Religionis a qua fit transitus, si hic fiat ad arctiorem; alias, obtenta licentia S. Sedis, et dummodo transitus fiat recta via, et, professione impedita, revertatur ad Ordinem derelictum. Nervegna, Wernz cum Mateucci, Monacelli, Sebastianelli et alii requirunt semper veniam apostolicam, innixi stylo Curiae; quod certum est pro monialibus et pro transitu ad laxiorem. S. Congr., priusquam licentiam impertiatur, exigit instrumentum de observantia alterius religionis, et audit Superiorem *a quo,* qui debet referre consensum Superioris *ad quem,* et non solet dispensare in votis accidentalibus in priori Ordine factis. Religiosi votorum simplicium ante transitum solent dispensari in votis.

II. **Causa justa transitus.**—1.° Ex parte *religiosi* transeuntis est zelus religionis perfectioris, vel infirmitas aut debilitas, ob quam non posset statuta a Religionis arctioris servare. 2.° Ex parte *Religionis*, a qua fit transitus, si a debita perfectione declinet. 3.° Ex parte *Religionis assumendae*, si religiosus ibi multo majoris utilitatis esset, quam in priori Religione.

III. **Quisnam sit Superior quoad licentiam.**—Est Generalis vel Provincialis, et, juxta nonnullos, etiam Localis, qui eam negare nequit, si adsit justa causa, et certus sit aliam Religionem paratam esse petentem recipere.

IV. **Conditio juridica transeuntium.**—Plures sunt juris

dispositiones quoad transeuntes ad aliam Religionem. 1.° Mendicantes ad non Mendicantes etiam debite transeuntes inhabiles fiunt ad prioratus, administrationes et officia quaecumque, etiam tamquam vicarii et locum aliorum tenentes (Clem. 1.ª *de Reg.*)

2.° Translati quicumque exercere nequeunt curam animarum per se vel per alios, neque promoveri ad beneficia saecularia quaecumque, sed in claustro Ordinis ad quem translati sunt, sub obedientia Superioris perpetuo manere debent, idque sive Ordo, ad quem translati sunt, arctior, sive laxior sit (Cit. Clem.; Conc. Trid. sess. 14 c. 11 de ref.).

3.° Nullam vocem nullumque locum in Capitulo habent, cum agatur de electionibus vel aliis tractatibus (Clem. 1.ª *de Reg.*).

4.° Novitiatum et professionem iterare debent, nisi quis transferatur ut ibi sit praelatus, quo casu sufficit absque novitiatus iteratione profiteri.

Haec omnia, excepta dispositione numeri 4.ª, applicanda non sunt transeunti a Congregatione votorum simplicium ad Ordinem votorum solemnium.

Quaenam vero dicatur religio arctior, quamvis in genere sit illa, in qua arctior Regula est in viridi observantia, theologi et canonistae diversimode reputant ista, et concordant dumtaxat in agnoscenda tamquam omnium arctissima Chartusianorum Religione. Olim libere ad eam aditus patebat; hodie ex privilegiis opus esse solet licentia Superioris vel etiam Sedis Apostolicae.

Punct. III.—De egressu per promotionem ad episcopatum vel cardinalatum

I. Cardinales regulares. II. Episcopi regulares.

I. **Cardinales regulares.**—Qui ex regularibus ad cardinalatum promoventur, manent *regulares*, utuntur tamen vestibus cardinalium saecularium cum hac differentia, quod pro illis sericae esse nequeant, et aliquod ordinis proprii signum continere debent; votis insuper obstringuntur, licet facultatem testandi ex privilegio obtinere soleant et uni Rom. Pontifici obedire debeant. Ad regulas quod attinet, ut Episcopi regulares considerantur.

II. **Episcopi regulares.**—1.° *Electio.*—Regulares eligi possunt in episcopos, quia status episcopalis est statu religioso perfectior; dummodo electio non fiat in discordia, idest, non impugnetur, a majori parte eligentium

vel postulantium sit facta, et licentia ad acceptandum obtineatur a Superiore Generali vel Provinciali, vel juxta nonnullos a Locali, si non immediate nominetur ab ipso Pontifice.

Qui vero vovent vel jurant non acceptare episcopatum vel dignitates extra Ordinem, indigent ad acceptandum licentia R. Pontificis, vel mandato Superioris Generalis Ordinis.

2.° *Conditio juridica.*—a) Episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam paupertatis determinant; item tenetur ad alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi, qua ante dignitatem episcopalem assecutam tenebatur, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant» (Decl. S. C. EE. et RR. 6 Maj. 1864; Const. Bened. XIV *Custodes*). Antiquitus plures canonistae contrariam sententiam patrocinabantur. Ab obedientia vero est exemptus. Exceptis scriptis, nihil secum afferre potest. Omnia acquirit suae ecclesiae, et, ipso facto promotionis, fit capax juris succedendi, et renuntiationes ante professionem factae ac nondum aliis adquisitae revocantur quoad haereditates.

b) Episcopus regularis, si episcopatui renuntiet, tenetur ad claustra redire (Bened. XIV Const. *Custodes*); non tamen subditur praelatis, nisi dignitati simul abrenuntiet.

Primum antiquitus plures canonistae id negabant; sed hodie ex citata Constitutione affirmandum est, ipsis tamen concedit Papa, «ut in sua provincia quodcumque Ordinis sui coenobium et monasterium ubi commode et religiose degere possint, sibi pro libitu eligant»; ideoque praecipit ut «illorum Praesides et Superiores Regulares, congruas eis et honestas cellulas in coenobiis et monasteriis ab eisdem electis assignent». Incapaces tamen sunt officiorum Ordinis, ut decrevit Paulus IV (Const. *In sacra*).

PUNCT. IV.—DE EGRESSU PER APOSTASIAM ET PER FUGAM.

I. Discrimen inter apostatas et fugitivos. II. Poenae contra apostatas et fugitivos qualificatos. III. Obligationes Superiorum Regularium relate ad apostatas et fugitivos.

I. **Discrimen inter apostatas et fugitivos.**—Apostatae sunt professi solemniter, qui ab Ordine religioso recedunt absque legitima Superiorum licentia, animo jugum Religionis omnino excutiendi et Institutum perpetuo deserendi, sive habitum retineant, sive illum dimittant. Fugitivi vero dicuntur professi solemniter, (vel etiam simpliciter, si agatur de Soc. Jesu), qui ab Ordine vel monasterio suo sine Superiorum licentia recedunt ad tempus, animo vagandi aut extra obedientiam vivendi, cum animo tamen ad Religionem redeundi. Hic non est confundendus cum furtive exeunte; nam iste non habet animum ab obedientia Superiorum et communibus observantiis se subtrahendi.

Fugitivi alii sunt *simpliciter* fugitivi, alii *qualificati;* isti, non vero illi aequiparantur in jure apostatis quoad poenas. *Qualificati* vero dicuntur *Regulares,* qui vel habitum dimittunt, vel absque licentia ad universitates confluunt, vel ad curias saeculares transeunt, ut religioni suae sive monasterio damnum inferant, vel qui ex privilegio alicujus Religionis apostatis aequiparantur. Non sunt fugitivi qualificati, qui absque licentia Romam proficiscuntur, etsi per biennium voce activa et passiva priventur; neque qui gravi de causa iter ad Superiores arripuerint, vel qui ostendant se ab iis fuisse missos aut vocatos (Conc. Trid. sess. 25 c. 4); nec qui ad aliam Religionem transeunt.—Quae hic dicuntur non tangunt proinde religiosos *votorum simplicium*, qui tamen graviter delinquunt in similibus rerum adjunctis.

II. **Poenae contra apostatas et fugitivos qualificatos.**—1.ª Si habitum deponant excommunicationem nemini reservatam incurrunt; quamvis Pennacchi, Santi, Hollveck et Lega tenent hanc poenam non amplius vigere, nisi in constitutionibus proprii Ordinis contineatur. 2.ª Amittunt omnia privilegia suae Religionis, si habitum dimiserint. 3.ª Subjiciuntur Ordinariis locorum, a quibus puniri debent. 4.ª Religio non tenetur eis praestare alimenta, nec expensas ab eis factas reficere. 5.ª Tenentur interim ad sui Ordinis Constitutiones et vota servanda. 6.ª Apostatae suspensi remanent ab usu et exercitio-

ordinum sacrorum durante apostasia susceptorum. At de tali suspensione silet Const. *Apostolicae Sedis*; quare plures tenent non amplius vigere, dum alii eam putant simplicem prohibitionem, quae remanet donec a Rom. Pontifice vel a Superiore tollatur. Infamia tamen facti fieri possent improprie irregulares, et certe Episcopus eos arcere deberet ab ordinibus suscipiendis et exercendis (Arg. cap. 3, h. t.). 7.ª Tum apostatae tum fugitivi nequeunt interim contra validitatem suae professionis reclamare. 8.ª Ante Const. *Apostolicae Sedis*, qui eos recipiebant, ipsisque fugientibus cooperabantur vel auxiliabantur, ipso facto incurrebant excommunicationem nemini reservatam. 9.ª Plerumque tum apostasia tum fuga est casus intra ordinem reservatus, nisi forte brevi redierint, aut animum non redeundi extra conventum conceperint.

III. **Obligationes Superiorum Regularium relate ad apostatas et fugitivos.**—Juxta Decretum Urbani VIII *Sacra Congregatio*, tenentur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur; idque quolibet anno, et sub poena privationis omnium officiorum, vocis activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, R. Pontifici reservatae. Attamen, auctores notant quod non teneantur perquirere et recipere nisi eos, de quibus spes emendationis affulgeat et qui utiles Religioni esse possint.

Punct. V.—de egressu per ejectionem

I. Quid sit ejectio. II. Potestas ejiciendi. III. Judex in causa ejectionis. IV. Processus servandus in ejectione. V. Ejectorum conditio juridica. VI. Religionis ejicientis conditio. VII. Jura redeuntium. VIII. Monialium ejectio.

I. **Quid sit ejectio.**—Est actus legitimus, quo valide et solemniter professus, cujus incorrigibilitas juridice fuit probata, e religione expellitur seu coacte dimittitur (1).

(1) Verbum *dimissio* multipliciter sumitur: *generice* pro quocumque egressu legitimo e religione, et in hoc sensu alia dicitur *voluntaria*, quae in Regularibus habetur vel dispensatione votorum vel saecularizatione, et in Congregationibus religiosis vel dispensatione Sedis Apost. vel saecularizationis indulto, vel lapsu temporis; alia dicitur *coacta*, quae si agatur de Regulari solemniter professo, proprie vocatur *ejectio*, si de regulari temporanee professo, simplex *dimissio* appellatur; quod nomen etiam retinet

II. **Potestas ejiciendi.**—Professi legitime et solemniter ejici possunt, si plurium criminum rei sint et vere incorrigibiles sint, non solum de facto nec ad normas tantum juris communis, sed de jure ab Urbano VIII et ab Innocentio XII praescripto in binis Decretis S. C. Concilii respective incipientibus *Sacra Congregatio* (21 Sept. 1624), et *Instantibus* (24 Jul. 1694), et servata quoad modum procedendi methodo in his decretis determinata.

III. **Judex in causa ejectionis.**—Causa ejectionis cognoscenda est a Generali vel Provinciali vel a delegatis ipsorum; sententia vero ferenda est a Generali vel a Provinciali *per se ipsos*, accedente in posteriori casu approbatione Generalis. Verum uti debent *consilio et assensu* majoritatis sex graviorum virorum electorum in Capitulo Generali, vel etiam in Provincialibus, sed a Generali confirmandis; ad *Consilium Generale* eligi possunt ex toto Ordine vel ex una tantum Provincia, ad *Provinciale* vero ex propria Provincia tantum; opus non est, ut cum Generali vel Provinciali maneant, nec ut coëant ad processum, nec ut ipsi processum instruant vel processui assistant, sed sufficit ut, instructo processu juxta stylum Ordinis, et transmisso transumpto vel saltem summario ad singulos Consiliarios, ipsi votum suum ad Generalem vel Provincialem transmittant. Si quatuor in expulsionem consenserint, Generalis potest ad expulsionem procedere, et sententiam Ordinario loci illico communicare debet. Si lite pendente, *judex* moriatur, succedit Vicarius in jure expellendi: si *Consiliarii electi non* fuerint, in singulis casibus recurrendum ad S. C. EE. et RR. vel expectandum, si forte *instet* novum capitulum; si electi *moriantur*, Passerini putat Generalem posse et debere alios subrogare, nisi instet Capitulum, et ait S. C. C. approbare solere subrogationes factas eo in casu de consilio Consiliariorum superstitum vel etiam Capituli Conventualis. Praemissa constant ex laudatis decretis junctis responsionibus S. C. C. a Cardinali De Lugo ad Ordinem B. M. de Mercede transmissis.

IV. **Processus servandus in ejectione.**—Ad ejectionem requiritur ut juridice constet de incorrigibilitate; ad quod necessarium est, ut religiosus sit reus gravis criminis, quod de se scandalum grave aliis inferat vel infamiam religioni; ut in illo crimine fuerit deprehensus, aut de illo legitime convi-

---

coacta dimissio alumnorum Congregationum Religiosarum, quamvis horum dimissio a praecedenti et virtute et effectibus valde differat, atque aliquando minus proprie etiam nominetur ejectio vel expulsio, uti fecit S. C. EE. et RR. in Decr. *Auctis*.

ctus, et per sententiam condemnatus; ut sit plurium criminum reus, licet non sint ejusdem speciei, nam expulsio permittitur tantum ob perseverantiam in malo, quae incorrigibilitatem prodit (Ita communiter). Praeter hunc processum incorrigibilitatis Urbanus VIII requisierat etiam ut unius anni expleti, continui et integri spatio in jejunio et aqua probatus fuisset in carceribus (Decr. *Sacra Congr.*); quod tempus Innocentius XII ad sex menses reduxit; sed hodie haec solemnitas servari nequit; unde indulta petuntur. Post annum vel semestrem carceris debebat probari juridice delinquentis contumacia; ex diuturna vero perseverantia in delictis post annum vel semestrem carceris admittebatur incorrigibilitas *praesumpta;* non vero aliis in casibus. Processus demum non necesse est, ut fiat ad apices juris, sed juxta stylum cujusque Ordinis, nec opus est ipsius iteratione.

V. **Ejectorum conditio juridica.**—1.° «Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi *ejecti*, extra religionem degentes». Ita Const. *Apostolicae Sedis* sub n. V inter suspensiones simpliciter reservatas Rom. Pontifici. Quoad substantiam hujusmodi suspensio desumpta est ex decreto *Sacra* supra citato.

Certum est hodie hanc suspensionem esse latae sententiae et reservatam Rom. Pontifici; putamus tamen non esse *censuram* suspensionis, sed suspensionis poenam et quidem medicinalem vindicatoriae conjunctam, latam in egressu a religione, *juste* fulminatam a Praelato Regulari; quod in foro externo innuit indignitatem ad celebrandum. Ratio est, quia, suadente Fagnano, S. C. hanc poenam tulit ut, fracta ejectorum contumacia, facilius redirent ad Ordinem suum. Hinc: 1.° haec suspensio cessat aliis modis quam per absolutionem, ut reditu ad religionem, transitu ad aliam, indulto apostolico saecularizationis, etc.; 2.° re serio perpensa, parum probabilis videtur opinio, quae eam suspensionem tituli ordinationis defectum punire asserebat, eo vel magis quod S. C. de Prop. Fide declaravit, 1 Sept. 1856 et 17 Apr. 1871, tituli defectum per se non efficere ut clericus sit suspensus, sed Ordinarios adstringere ut eos cogant ad tituli subrogationem, imposita etiam, ubi opus fuerit, suspensione.

2.° Dicta de suspensione Decr. *Sacra* et Const. *Apost. Sedis* congruunt *novae* suspensioni latae a Decreto *Auctis*, (1) n. IV: «Alumni votorum solemnium, vel simplicium

(1) Universum jus de dimissione a Religionibus vel instauratum vel constitutum fuit a Decreto S. C. EE. et RR. *Auctis*, quod jussu

perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. S. alio modo eis consulatur ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint».

Dico esse *novam*, quia: 1.° illa respicit *omnes* et *solos ejectos*, haec tantum *ordinatos in sacris*, sive *ejectos* sive *dimissos*, videlicet: juste expulsos ab Ordine Regulari vel a Congregatione Religiosa, non autem *dimissos ab Ordine Regulari* et multo minus *saecularizatos*, *dispensatos* aut a professione *cessantes*: neque ipsos ordinatos in sacris expulsos aut dimissos afficit absolute, sed sub conditione ibi expressa, qua existente nullatenus essent suspensi religiosi votorum simplicium, bene vero regulares ex illa priori suspensione; 2.° suspensio Const. *Apostolicae Sedis* non est totalis, tantum enim afficit exercitium ordinum; nova e contra, est totalis, seu ab officio et beneficio, prohibens quatenus subjecta materia patiatur, puta: in eo qui temporalia vota emisit, patrimoniumve retinuit, jurisdictionemve habeat aut beneficia; 3.° nova non est absoluta, sed triplici conditioni cumulative subjecta (S. C. in *Abulen.* 20 Nov. 1895); *Piana* vero est absoluta, manente injusto egressu.

Haec plana sunt; acriter autem quaeritur de vi talium sus-

---

et auctoritate Leonis XIII die 4 Nov. 1892 in lucem prodiit. Occasio Decreti fuit Causa *Colonien.* seu querimoniae sat fundatae plurium Episcoporum ob incommoda, quae oriebantur *ex facili* egressu religiosorum, tam *simplicium* quam *solemnium* votorum, ut patet ex citata Causa *Colonien.* et ex praefatione et contextu Decreti *Auctis*; aut enim ea incommoda verificari «etiam de alumnis votorum solemnium», et in n. I innovat pro ipsis dispositiones S. Pii V et Pii IX, n. II eas applicat, n. III firmat decreta de expulsione lata ab Urbano VIII et Innocentio XII, in n. IV disserit de effectibus ejectionis et dimissionis, et in VI testimoniales scientiae ab eis requirit. Unus extat n. V, qui nonnisi per exceptionem expresse a S. Apost. faciendam eos tangere potest, ut declaravit laudatus Card. Vannutelli Litteris 16 Aug. 1898 (Ita Acta Sanctae Sedis t. 31 bis et praesertim pag. 631). Miror cl. Vermeersch evehere ad principium universale circa totum decretum *Auctis*, quod in hoc numero V dicitur de indulto saecularizationis *ad annum et interim*, et teneo uti certissimum Decretum *Auctis* habere vim legis pro omnibus ordinibus *virorum*, casu excepto saecularizationis. Pro *Monialibus* et *Sororibus* opus perfecit Leo XIII Const. *Conditae*, cui accedunt *Normae* S. C. EE. et RR. saepius laudatae, et in utroque confirmatur decretum *Auctis* super *ordinatione*, *ejectione* et *dimissione* Religiosorum. De *ordinatione* opportunius agitur in tit. II et infra, ubi de privilegiis circa Sacramenta. Hic quaerimus tantum de dimissione a Religione.

pensionum. Putamus *suspensionis* nomine hanc prohiberi quempiam ab omnibus officiis post egressum susceptis; iis tamen esset privandus, nisi absolutionem vel aliud indultum a Sede Apost. peteret, saltem si adhaereas Cardinali D' Annibale, qui putat ea aliter exerceri non posse. *Ordinum* nomine non veniunt tonsura, nec collatio ordinum, neque probabiliter ordines post egressum forte suscepti; neque alia munia ecclesiastica per se prohibentur, praeter ea, quae cum exercitio ordinis prohibiti *intrinsece* connectuntur, non vero ea, quae vel superioris vel inferioris propria sunt, vel quae accidentaliter ordini prohibito conjuguntur. Nobis etiam certum est, neque ejectionem neque dimissionem parere per se *infamiam* vel *irregularitatem*; verius tamen, ut ait Lega contra D' Annibale, fieret irregularis, qui ordines prohibitos exerceret; nam irregularitas incurritur non solum ob violatam censuram, sed etiam ob violatam suspensionis poenam (S. C. C. 21 Jun. 1625 et 8 Apr. 1848, et Acta S. S. vol. 19, p. 575).

3.° Ejecti uti debent *habitu clericali*, si forte laicos et minoristas exceperis; «*Ordinarii loci jurisdictioni* et obedientiae subsunt», ita tamen ut non solvantur a *votis essentialibus*, neque ab *accidentalibus*; licet accidentalia quadamtenus essentialia in pluribus dormiant, juxta sententiam communiorem, uno excepto voto aut juramento non petendi aut recipiendi dignitates extra ordinem (Const. Urb. VIII *Cum sicut*); non tamen juxta communiorem sententiam satis probabilem tenentur aliis *Regulae observantiis*.

Hinc colliges: Ejectos manere religiosos; teneri ad castitatem, et etiam ad paupertatem, quamvis usum et administrationem facti habeant eorum, quae possident; et tandem ad obedientiam Praelati; unde debent mores suos corrigere, ut redire possint. Redire vero debent, si a Praelato revocentur; correcti autem instare debent toties quoties spes adsit ut recipiantur, etiam juridice, ubi opus fuerit, Superiores compellendo. His per se obedire tenentur, si juxta regulas praecipiant. Verius acquirunt Religioni si redeant, Camerae Apostolicae si extra decedant, nisi agatur de bonis restituendis, et servatis iis quae diximus de transitu ad aliam Religionem. Certum est etiam hodie subjici Episcopo saltem *vi legis* ecclesiasticae (Conc. Trid. sess. 6. c. 3, et Urb. VIII Const. *Sacra*); nam plures tenent illi subjici etiam vi voti obedientiae. Episcopi possunt praescribere ut honeste, caute et moderate vivant, ipsosque regere juxta canones et etiam, ubi opus fuerit, juxta regulas Ordinis. Quaeritur quisnam sit talis Episcopus loci; putamus esse Episcopum habitationis ejecti.

VI. **Religionis ejicientis conditio.**—Qui concurrunt ad injustam ejectionem peccant graviter et debent ejectos statim recipere, eosque alere; sola tamen C. EE. et RR. est competens ad judicandum de injustitia ejectionis. Superiores vero non possunt dare ejectis licentiam transeundi ad aliam religionem, et multo minus ad id eos cogere, nisi forsan optionem concedendo inter reditum et transitum; neque eos possunt remittere ad Apostolicam Sedem; sed debent juste ejectos singulis annis inquirere, imo correctos recipere, si tamen subsit spes evidens emendationis, de qua saltem fidem faciat Ordinarius congruis litteris. Reditui obstare tunc nequit timor scandali, nec timor infamiae religionis, neque damnum religioni proveniens, eo puta quod sit senio confectus, inutilis vel aegrotus. Plerumque ad reditum opus est licentia S. Sedis (S. C. *Super Statu Reg.* 22 Jun. 1866.)

VII. **Jura redeuntium.**—Ejecti possunt petere alimenta ab eo momento quo injuste ejecti vel injuste rejecti sint a Religione. Non tenentur iterum profiteri, et de jure communi retinent *antianitatem* ut dicitur, et *praerogativas personales*, ut lectoratum, doctoratum.

VIII. **Monialum ejectio.**—Sola ratione incorrigibilitatis ejici non possunt, sed opus est privilegio apostolico, quod exprimat et modum expellendi et incommunicabilitatem talis indulti derogantis clausurae. Putat Palaus ex Sanchez posse ejici a Superioribus consulto Nuntio Apostolico, sed mihi non constat, ait Passerini, Nuntium habere hanc facultatem.

Punct. VI.—de egressu regularium per legitimam dimissionem

I. A quo facienda sit dimissio. II. Causa legitima dimissionis. III. Conditio juridica dimissorum.

I. **A quo facienda sit dimissio.**—Ad legitimam dimissionem, si agatur de iis, qui per triennium in votis simplicibus manere debent ante solemnem professionem, requiritur ut fiat a Superiore Generali vel ejus delegato ex causa rationabili, et sola facti veritate inspecta.

II. **Causa legitima dimissionis.**—Causa legitima, seu juxta et rationabilis certo requiritur ad liceitatem di-

missionis, et juxta plures cum Suarez, Craisson, Bouix et Brabander ulterius exigitur ad validitatem; at id probari non potest ex Decl. 12 Jun. 1858.

Causa justa et rationabilis non est infirmitas post emissa vota contracta (Decr. 12 Jun. 1858); neque assertio religiosi quod non habeat vel amiserit vocationem ad vitam religiosam (S. C. EE. et RR. 19 Nov. 1886); neque illius rejectio a majori parte Patrum in Consilio, vel totius Conventus in Capitulo per suffragia secreto prolata (Decr. S. Sedis 7 Febr. 1862).

Quaeritur ulterius num post Decretum *Auctis* talis causa debeat esse criminosa et cum incorrigibilitate conjuncta; verius autem negatur, unde ineptitudo ad Institutum sufficiens causa dimissionis censetur a Pio de Langogne.

III. **Conditio juridica dimissorum.**—Liberantur a votis ipso facto dimissionis, et reviviscit pro ipsis Episcopi jurisdictio, scilicet Episcopi originis (Decl. 12 Jun. 1858, 7 Maj. 1864, ad 4).

Hinc collige: dimissum posse auctoritative revocari a suo Episcopo (S. C. EE. et RR. 20 Jan. 1860 et alias). Nobis certum est eos non venire sub nomine *dimissorum* n. IV decr. *Auctis*, nec admittimus opinionem P. Pii de Langogne, qui censuit ibi eos comprehendi et *suspensos* fieri, non tamen *in poenam*, quia dimissio potest esse ex causa non culpabili, sed ad *cautelam* ut sibi curent. Haec utique opinio mihi non probatur: 1.° quia verba *expulsi vel dimissi* opponuntur «alumnis votorum solemnium vel simplicium perpetuorum vel temporalium in sacris constitutis»; 2.° de iis dimissis loquitur, de quibus in n. III et in aliis, ubi nulla fit mentio de Regularibus dimissis; 3.° Decretum *Auctis*, quin abroget, firmat declarationes 12 Jun. 1858, vi quarum certo alumni in sacris poterunt dimitti; 4.° non eadem militat ratio pro dimissis Regularibus ac pro aliis Religiosis; nam regulares manent *incardinati* dioecesi originis, donec solemniter profiteantur, sua usque professionem solemnem beneficia et patrimonia retinent, non dimittuntur ex causis praecise infamantibus, vel criminosis; ipso dimissionis facto a votis dispensantur, nec exinde a novis ordinibus arcentur, ut diximus. E contra dimissi e Congregationibus Religiosis, nam semel professi *excardinati* censentur a dioecesi originis, unde nullus Episcopus tenetur esse eorum benevolus receptor, etsi saecularizationem obtinuerint aut patrimonium sibi reservaverint, vel procuraverint; hinc etiam amittunt beneficia residentialia; non expelluntur, nisi ex causa incorrigibilitatis, nec a votis per se dispensantur; et tandem a novis ordinibus arcentur, si in sacris constituti sint; non vero si in minoribus

versentur, quia nulla in minoristas lata est suspensio, nec enim *ejectis* assimilari possunt. Excardinationem ex Decreto *Auctis* professioni simplici esse conjunctam certum videtur, cum agitur de ordinatis in sacris constitutis vel etiam in sacris post professionem ordinatis; de aliis clericis, qui in minoribus agunt, sermo non solet fieri super incardinatione, saltem juxta praxim hodiedum vigentem; si tamen Episcopus vellet revocare clericos minores forte dimissos, non auderem eidem obsistere, quia in hoc juri veteri detractum fuisse haud mihi notum est.

Punct. VII.—De egressu per legitimam dimissionem e congregationibus religiosis

I. Dimissio in Congregationibus virorum. II. Dimissio Sororum. III. Dimissorum juridica conditio.

I. **Dimissio in Congregationibus virorum.**—Decreta generalia, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, «servanda imponuntur Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem, sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo (Decr. *Auctis*, n. III).

1.° *Superiores legitimi* pro dimissione sunt illi, qui in propriis designantur Constitutionibus (Const. *Conditae*, n. 1; *Normae*, 192). Sententiae prolatio in Decreto *Auctis* reservatur Superiori cum suo Consilio, quin determinetur an agatur de Superiori Generali aut Provinciali. Praxis tamen S. Congregationis denotat mentem ipsius esse dimissionem reservare Superiori Generali cum suo Consilio generalitio, nisi Institutum indulto gaudeat speciali. Nihil tamen prohibet causae dimissionis instructionem ad normam juris alteri delegare, dummodo plenaria causae discussio atque sententia apud Generalem cum suo Consilio pertractentur (1).

2.° *Subjectum passivum* dimissionis ad effectum methodi servandae, quae in Decr. *Auctis* praescribitur, sunt omnes professi votorum perpetuorum, quamvis non sint ordinati in sa-

(1) Apud nos dimissio expresse in Constitutionibus Superiori Generali cum suis Consultoribus reservatur, et nullatenus Provintiali competit, ut infertur ex responsione S. C. EE. et RR. 4 Jul. 1898, ad 2.m

cris, et professi votorum temporalium, si in sacris insuper sint constituti (S. C. EE. et RR. 4 Jul. 1898, ad 1.m)

3.° *Causa dimissionis* est quodcumque peccatum grave, externum et publicum cum incorrigibilitate conjunctum, quamvis non sit ex designatis a respectivis Constitutionibus (S. C. EE. et RR. 30 Jun. 1899 ad 2.m).

a) *Grave* debet esse theologice, tum ex parte objecti, tum ex parte subjecti; gravitas tamen *subjectiva* semper praesumitur in foro externo, supposita gravitate objectiva, nisi causae excusantes vel minuentes probentur.

b) *Externum* significat quod ipsa actio vel omissio externa sit graviter peccaminosa; unde talis non esset culpae gravis internae manifestatio legitima vel leviter peccaminosa.

c) *Publicum* dupliciter sumitur: 1.° Quatenus delicto *privato* opponitur, et tunc significat delictum contra *bonum commune*, quod ideo *ex officio* persequi potest, dum *privatum* dicitur quod delinquenti vel personae particulari tantum nocet, et ideo ex officio persequi non potest, sed tantum ad instantiam partis *laesae*, vel ejus cujus interest, ut est delictum calumniae vel injuriarum, quod persequi tantum valet ab iis qui calumniam vel injuriam passi sunt vel a Superiore communitatis, cujus interest bonum nomen suorum subditorum. Ex quo sequitur illud tantum delictum non esse causam dimissionis, quamvis grave et externum, quod sine scandalo patratur et soli delinquenti, sive spiritualiter sive etiam corporaliter nocet. 2.° Quatenus publicum opponitur *occulto*, publicum dicitur delictum, quod saltem per duos testes omni exceptione majores potest probari in judicio, et hoc sufficit ut processus dimissionis inchoari valeat, si cetera concurrant.

d) *Incorrigibilitate conjunctum*, ad quod probandum necesse est, «ut Superiores distinctis temporibus trinam admonitionem et correptionem adhibere debeant. Quae admonitiones si salutarem effectum non producant, processus contra incorrigibilem instruatur» (Decr. *Auctis*). Sed cum hujusmodi admonitiones et correptiones debeant esse justae et canonicae, idest; versari debeant super culpa gravi, externa et publica legitime probata, sequitur aliqualem speciem processus respectivis admonitionibus esse praemittendam, quo culpae existentia et qualitas demonstrentur, ideoque admonitionem et correptionem faciendam aliquo modo esse judicialem. Incorrigibilitas igitur, quae ortum det processui dimissionis, patrationem requirit quatuor saltem culparum gravium, externarum et publicarum, seu plene in judicio probatarum et trinam monitionem singulis tribus prioribus respondentem, quae

inutilis demonstretur per probationem legitime factam quarti delicti (1).

4.° *Processus* esse potest *summarius*, servatis tamen judicii substantialibus, quae in Clem. Cap. II *De Verb. signif.* recensentur. In specie in ipso Decr. *Auctis* haec summatim determinantur: **a)** "Ea quae in hoc processu contra delinquentem probantur, Superiores cum illo communicare debent, eique congruum tempus concedere, quo *defensionem suam,* sive per se, sive per alium religiosum sui Instituti exhibere valeat„.

b) "Quod si accusatus propriam defensionem non praesentaverit, Superior seu tribunal ex officio illi defensorem ex proprio Instituto constituere debebit„ (ibid.).

c) "Perpensa defensione, *Superior cum suis consiliariis sententiam dimissionis* pronuntiare poterit, quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad S. Congregationem EE. et RR. *appellaverit*, effectu suo carebit, donec per S. C. judicium latum fuerit„.

d) "Quoties propter graves causas haec methodus servari non posse videatur, Superiores ad S. Congregationem recurrant pro obtinenda dispensatione super solemnitatibus praescriptis et facultates procedendi modo summario„, seu in forma *camerali*.

II. **Dimissio Sororum.**—Pro dimittenda autem sorore votorum perpetuorum, *graviores* causae *exteriores* exiguntur una *cum incorrigibilitate* a *Consilio Generali* probata per *secreta suffragia*. Incorrigibilitas *experimento probata* esse debet, ita ut spes resipiscentiae evanuerit, et ex continuis culpis sororis incorrigibilis Instituto damna immineant. Insuper accedat oportet *Confirmatio S. Congregationis*; ita ut dimissio ex parte Superiorissae Generalis cum suo Consilio facta juridicum effectum non sortiatur, antequam a S. C. confirmata sit. Quocumque modo soror, votis innodata, ab Instituto recedat, oportet ut *dispensationem super votis* expectet, quam vel ipsa soror, vel ejus nomine Superiorissa Generalis, a S. Congregatione petere debet. Solummodo in casu *gravis scandali exterioris*, Episcopo loci approbante, soror statim dimitti poterit. Sed postea confirmatio dimissio-

(1) Pro dimittendis novitiis et professis votorum temporalium in sacris ordinibus non constitutis et pro dimittenda sorore votorum temporariorum, graves etiam requiruntur causae approbatae per majorem partem Consilii Generalis (*Normae,* 193 et 201), quin tamen opus sit incorrigibilitate.

nis et dispensatio super votis a S. C. nihilominus petenda erit.»

Infirma valetudo numquam habetur ut causa sufficiens ad dimittendam sororem professam votorum perpetuorum. Quod vero attinet ad professam votorum temporaneorum, dimitti nec ipsa debet, si infirmitatem contraxit in Instituto post emissa vota; nec etiam ob infirmam valetudinem qua laborabat ante votorum emissionem, si Superiorissa sciens et volens eam nihilominus admisit ad primam professionem. Cuilibet autem sorori recedenti (praeter dotem sine fructibus sua cum supellectili quam attulit, in eo tamen statu in quo est) *Institutum providere* debet ea, quae requiruntur ut modo tuto et convenienti *domum reverti* possit (ibid. n. 194-201).

III. **Dimissorum juridica conditio.** — *De sororibus* jam satis in n.° praecedenti et ubi de dote et de votorum dispensatione; de *viris* haec innui debent juxta Normas: «Cetera quae eos respiciunt, qui tali modo *dimissi* sunt, vel a suis Institutis *recesserint*, habentur in Decreto *Auctis* in fine Constitutionum describendo».

1.° Sola dimissione, citra privilegium in dimittente, non solvuntur a votis; hinc ipsi per se vel ope Superiorum *dispensationem in votis* petere debent (S. C. EE. et RR. 10 Jan. 1896).

2.° Qui *judicialiter dimissi* fuerint et quidem *juste*, incurrunt suspensionem in n. IV Decr. *Auctis* contentam, quae supra explicata est, ubi de *ejectis* egimus.

3.° «Qui *in sacris* ordinibus constituti et *votis simplicibus* obstricti, sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint (*indultum saecularizationis*), vel aliter ex Apostolico privilegio in votis dispensati fuerint (*dispensatio votorum*), ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus *suspensi* maneant *ab exercitio susceptorum ordinum*. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob *elapsum tempus* quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata» (Decr. *Auctis*, n. V).

Notandum verba "donec Episcopum... et de patrimonio...„ esse collective sumenda; suspensionem incurri donec binae conditioni satis non fuerit factum; ipsis vero impletis, opus non esse absolutione apostolica; taliter suspensis (ex n. V Decr.

Auctis) Ordinarium posse concedere sacros ordines exercere in dioecesi sua ad tempus sibi benevisum; ipsis vero dimissis sive saecularizatis, sive dispensatis, sive cessantibus non competere per se indultum saecularizationis ad annum et interim, ac proinde stare debent Superiores Congregationum et eorum alumni litterae hujus Decreti; secus illi inobedientiae, hi ulterius suspensionis poenam luent, etsi ad horas extra claustra degerint, donec binae conditioni haud satisfecerint intra vel extra claustra degentes. Haec suspensio est *latae sententiae*, et *poena* egressus liberi, *nemini* tamen *reservata*, nec arcens per se *ab ordinibus suscipiendis;* nec eos plectens, qui erunt *ordinati in sacris ante professionem* temporaneam, quia valde differunt a saecularizatis et dispensatis;nam, votis non obstantibus, suae dioecesi incardinati manent, patrimonium retinent, nec egressus est culpabilis in se. Valde differt haec suspensio a lata in n. IV; nam *ejecti* vel *necessario dimissi* illico a sententia exire debent, suspensionem ipso facto sententiae incurrunt, et quidem totalem; *dimissi* vero non possunt exire donec binae conditioni satis fecerint, secus suspensionem partialem incurrunt ob culposum liberum egressum. Voluntario dimissi possunt ordinari *absque titulo* ab Episcopo, qui talem ordinandi potestatem habeat. Nihil constitutum habetur contra *non ordinatos in sacris voluntario egressos*.

Punct. VIII.—de egressu per ordinis vel conventus suppressionem

I. Egressus per legitimam Ordinis vel conventus suppressionem.
II. Egressus per illegitimam Ordinis vel conventus supressionem.

I. **Egressus per legitimam Ordinis vel conventus suppressionem.**—Si Religio auctoritate S. Pontificis subsistat, ab illo tantum supprimi valet sive totaliter, sive partialiter. Si vero sola episcopali approbatione gaudeat, ipsa Religio nequit extingui,nisi gravibus de causis et consentientibus Episcopis, in quorum ditione fuerit; singulares tamen domos Episcopis in sua cuique dioecesi tollere fas est (Leo XIII Const. *Conditae* 7 Dec. 1900, n. VI). Si Congregatio injuste laesam se existimet, potest recurrere ad S. Sedem.

Si S. Pontifex aliquem Ordinem supprimat, religiosos in sacris constitutos Episcoporum jurisdictioni subjicit, vel simul

dat facultatem omnibus transeundi ad quamcumque aliam Religionem a S. Sede approbatam. Si aliquis tantum conventus supprimatur, solet jubere, ut illius incolae ad alios ejusdem Ordinis conventus transeant, ubi regularis observantia vigeat. Quoad bona statuit S. Pontifex prout judicat, eique parendum est.

II. **Egressus per violentam Ordinis vel conventus suppressionem.**—In genere dicendum religiosos violenter dispersos eisdem gaudere privilegiis, eisdemque obligationibus adstringi quibus antea, cum factum illegitimum potestatis civilis jura ecclesiastica per se auferre vel minuere non possit. Tamen tum jura, tum officia ex diversitate circumstantiarum, diversimode exercentur.

Quare S. Sedes opportuna ad hoc condit decreta, ut, quatenus fieri possit, sarta tectaque servetur vel instauretur regularis disciplina, atque congruis privilegiis ornentur, qui persecutionem partiuntur. Idem fieri solet per rescripta S. Poenit. vel per alia dicasteria Rom. Pontificis, habentque vim legum, donec cessaverit procella. Alii vivunt ad instar Religiosorum, alii ad instar saecularizatorum. Consule praesertim indulta pro Religiosis Belgii, Italiae et Galliarum.

Punct. IX.—de obligatione tendendi ad perfectionem

I. Natura hujus obligationis. II. Quandonam contra ipsam graviter peccet religiosus.

I. **Natura hujus obligationis.**—Tendere ad perfectionem est secunda obligatio, quae oritur ex ipsa natura status perfectionis acquirendae; unde, qui illum profitetur, sese obligat ad debitam ipsius perfectionis acquisitionem intendendam; quod fit per media status religiosi essentialia, idest, per observantiam votorum religiosorum, et per media accidentalia, scilicet, per proprias Ordinis Regulas, saltem eas non contemnendo.

II. **Quandonam contra ipsam graviter peccet religiosus.**—1.° Si formaliter statuat ad perfectionem non tendere, vel nullo modo de ea curare. 2.° Si Regulas vel alias observantias regulares violet eo fine, ut perfectionem impediat. 3.° Si Regulas, etiam nullatenus obligantes ex contemptu transgrediatur, ad quod requiritur voluntas resistendi obligationi Re-

gulae vel Superioris, et quod illa voluntas sit motivum contra legem vel Superiorem agendi. 4.° Si vota saepe saepius infringat in re gravi. 5.° Probabilius et communius non peccat graviter per se, qui habet consuetudinem transgrediendi Regulas vel Constitutiones, imo nec qui solum praecepta sub gravi obligantia servare intendit, alia vero transgredi statuit, vel de iis non curare (Raggi, Piat, Bouix, S. Lig.). Per accidens peccabit graviter cum adverterit ex suo licentioso modo operandi grave detrimentum Religioni, proximo, sibique causari.

§ II.—DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM VI VOTORUM (1).

Quaestiones praeliminares.—Hic tantum loquemur de iis, quae secumferunt vota essentialia religionis, nempe: votum paupertatis, castitatis et obedientiae; quae quidem accurate debent describi et distingui in singulis Constitutionibus a virtutibus homonymis et Sanctae Sedi reservari (*Normae*, n. 110-112). Priusquam illas obligationes distincte enucleemus, duae aliae quaestiones pertractandae sunt, scilicet: an peccet religiosus, si ipsum de votis religiosis a se emissis poeniteat; et an valeant vota ipsius facta sine Superioris consensu.

Quoad primum, si adsint voluntas ea adimplendi et justa causa poenitendi, non peccat; si deficiat haec causa, remanente voluntate adimplendi, alii dicunt per se non peccare, alii peccare venialiter ex quadam ingratitudine. Si non remaneat voluntas illa servandi in materia gravi, peccat mortaliter; si tantum in materia levi, venialiter. Si demum remaneat voluntas adimplendi ex solo metu damnationis, aut ex motivo humano, alias non adimpleturus, supposito affectu actuali ad transgressionem, peccat mortaliter; secluso tali affectu, venialiter tantum, et, juxta nonnullos, nec venialiter. Omnes tamen fatentur maximum periculum in hoc esse violandi votum; quia ea, quae displicent voluntati, facile omittuntur et difficile fiunt integre et sicut oportet. Quaestio igitur solvenda est ex poenitentiae motivo et periculo.

Quoad secundum, alii, quorum sententia hodie non probatur, absolute dicunt nulla esse vota religiosi sine consensu Superioris emissa; quia religiosi nec velle nec nolle habent. Alii distinguunt inter vota, quorum materia est praecepta, vel consulta, quaeque firma sunt et tantum a Superiore exempto dispensari, non vero irritari possunt, et alia vota, quae, si sint de

(1) Quae in hac tota paragrapho continentur a saecularibus omitti possunt.

materia licita et observantiae non opposita, valida sunt, sed irritari possunt. Alii demum, valida esse affirmant, si de materia licita et observantiae non opposita sint; sed, exceptis voto transeundi ad aliam Religionem, et votis essentialibus eisque annexis, omnia irritari posse; et, exceptis essentialibus eisque annexis, omnia dispensari docent (Suarez, Sanch., S. Alph., Less., Salm.). Media sententia est vere probabilis, non secus ac tertia.

Punct. I.—de voto paupertatis.

Circa votum paupertatis plura inquirenda sunt: I. Quid importet votum solemne paupertatis. II. Quid importet votum simplex paupertatis. III. Quomodo infringatur votum paupertatis. IV. Quaenam sit materia gravis in voto paupertatis. V. Qualis requiratur licentia ad excusandum subditum a transgressione hujus voti. VI. Poenae statutae contra religiosos proprietarios. Demum, cum obligatio servandi vitam communem magnam relationem habeat cum voto paupertatis, ab eoque plus minusve oriatur, VII. de ea agendum est.

I. **Quid importet votum solemne paupertatis.**—Importat abdicationem omnis dominii, proprietatis, et usus independenter a Superioris voluntate cujusque rei temporalis pretio aestimabilis. Sed cum hac incapacitate stat quod religiosi in communi verum dominium habeant nisi speciali jure ipsis hoc etiam prohibeatur, ut supra declaratum est, ubi de mendicantibus egimus (Conc. Trid. sess. 25, c. 2 et 3 de Reg.). Cum vero haec incapacitas a jure ecclesiastico oriatur, S. Pontifex potest in ea dispensare.

Sic de facto dispensavit per S. Poenit. 1 Dec. 1820 et per S. C. *Neg. Eccl. Extr.* 31 Jul. 1878 et per decreta S. C. EE. et RR. 23 Jun. 1880 et 7 Maj. 1882 cum omnibus Regularibus, inclusis Capulatis, Italiae, Galliarum, Belgii et fere omnium nationum, ut Superiorum licentia vel deputatione ad normam legum civilium immobilium proprietarii esse possent, quamvis in foro conscientiae ea non proprio, nisi Belgium excipias, sed vel conventus, vel, si de Capulatis ac Minoribus de Observantia agatur, S. Sedis nomine ea possidere debent (De-Angel. III, 167).

Notetur demum haec prohibitio, quae continetur in Const. *Religiosae* Clem. VIII et Const. *Nuper* Urb. VIII: «Omnibus et singulis Regularibus personis utriusque sexus omnem et

quamcumque largitionem et missionem munerum penitus interdicimus», nisi sint modestae et discretae et ex actibus virtutis. Ex allatis principiis sequitur: 1.° Professos solemniter testare non posse sine dispensatione pontificia. Si vero professus sit paterfamilias, qui de bonis suis ante professionem disponere omisisset, poterit illa inter filios post professionem distribuere.

2.° Item deducitur proprietatem retinere posse *Reliquiarum*, cum non sint pretio aestimabiles; non tamen possunt thecis argenteis aut alio pretioso ornamento conservari. E contra, cum numismata, imagines, cruces, rosaria, etc. sint pretio aestimabilia, earum proprietarii esse nequeunt.

3.° Quoad *manuscripta*, si sint propria, communissime affirmatur uti propria habere posse; controvertitur autem, si sint ab alio donata, vel alieno studio elaborata, quamvis communius affirmetur; unde licite inter se ea religiosi donare possunt (Piat, Craisson, Bened. XIII in Const. *Postulat* a. 1724).

4.° Quoad *sculpturas* et *picturas* valde controvertitur; alii, si monasterium religioso materiam subministravit, ei proprietatem negant; hanc e contra illi concedunt, si extraneus ipsi materiam subministret; quae distinctio prorsus irrationabilis videtur, cum quidquid monachus acquirat non sibi, sed monasterio acquirat. Melius dicendum cum Craisson (*Manuale Juris Can.* t. II, l. I, sect. III, C. III, Art. V, Punct. II) quod «cum pictura ordinarie sit id quod est praecipuum in tabellis, si habeatur ut opus spirituale, non video quid impediret quin proprietas tribuatur religioso, qui illas elaboravit. Exceptio videtur facienda quoad conversos, quia ipsorum opera monasterio debentur, nisi illis horis laborarent, quibus non tenentur pro conventu laborare».

5.° Demum, sequitur religiosos non posse habere *peculium proprium* cum facultate de eo libere et independenter ab alio disponendi tamquam de re propria. An autem habere possint *peculium improprium*, quod tribuit administrationem, possessionem et usum, sed dependenter ab alio, ad cujus arbitrium restringi, revocari et omnino auferri potest, controvertitur. Communior sententia docet hoc Concilio Tridentino adversari, et plures adsunt resolutiones S. C. EE. et RR. hoc peculium reprobantes. An vero consuetudo contraria sit legitima, acriter disputatur.

II. **Quid importet votum simplex paupertatis.**—Hucusque non exstat lex generalis pro Congregationibus religiosis; quare prae primis attendendae sunt singularum Constitutiones et debita obedientia, quae tunc *prudens* certo censebitur, cum Normas sequetur latas pro

Regularibus simpliciter professis, et quas S. Congregatio praestituere solet novis Congregationibus. Quae cum ita sint, haec, juxta *Normas* pro Institutis votorum simplicium latas, statui posse videntur:

1.° Votum simplex paupertatis non eripit professis dominium radicale bonorum suorum (*Norm.* n. 119); nec prohibet ea proprietatis acta peragere, quae a legibus praescribuntur, si modo accedat licentia Superioris Generalis, vel, urgente casu, Localis (Ibid. n. 123) (1); nec infirmat aliquam dispositionem, quam de suis bonis fecerit religiosus.

2.° Prohibet religiosos, quominus *liceat* ipsis de *re temporali* disponere sine venia Superiorum. Et quidem: **a)** ante vota perpetua nequeunt religiosi dominium radicale abdicare *per actus inter vivos* (Ibid. n. 119); **b)** post vota perpetua ad abdicationem *universalem* (2) dominii radicalis necessaria est licentia apostolica; **c)** *testamentum* de bonis praesentibus et futuris, suadetur libere condendum ante primam professionem (n. 120); hac autem facta, nec condi nec mutari potest sine venia S. Sedis; attamen in casibus vere urgentibus sufficiet licentia vel Ordinarii vel Moderatoris Generalis, vel etiam, si aliter fieri nequeat, Superioris Localis (n. 122) (3).

Estne, ubi res urgeat, adeundus Prior Ordinarius an Superior Generalis? Id Constitutionibus declarari poterit. Deficien-

(1) Si ista acta fiant sine licentia, non erunt tamen voto contraria, nisi simul habeatur quaedam veri juris comparatio, ut si acceptanda sit haereditas vel legatum.

(2) Abdicatio ergo *partis* permitti poterit a Superiore, cui, pro rei momento, facultas conceditur a Constitutionibus. Abdicationem autem hic sumas gratuitam, non autem, v. g.: venditionem vel permutationem, quae, ex art. 113, honeste fient cum licentia Superioris. Denique novo isto jure, quod, art. 113, omnem liberam excludit dispositionem, videtur ipsam *donationem*, quae fiat sine licentia, voto paupertatis adversari (Vermeersch, *De Religiosis Institutis*, Tom. alter, Brugis, 1904).

(3) Hactenus benignior erat communis disciplina; ex declarationibus enim S. C. EE. et RR. 18 Febr. 1853 et 2 Mart. 1894 simpliciter professus valide et licite poterat disponere per testamentum, quin ulla opus haberet venia, de iis bonis, quorum dominium radicale retinebat; quinimo aliqui cum d' Annibale ajebant idem fieri posse per actus inter vivos. Quoad *validitatem* etiam nunc idem videtur dicendum, cum nullibi statuta sit actus irritatio; at non quoad *liceitatem*.

te declaratione, soluta erit alterutrius optio, dum Superior *localis* veniam dare nequit, nisi deficiente copia consulendi Superiorem majorem vel Ordinarium.

Quid autem, si testamentum scribatur in intervallo, etsi brevi, quo inter priorem et alteram professionem temporalem aliquis sit votis solutus? Testamentum istud nequit adversari voto, quod tunc non existit, et videtur licite fieri, cum testamentum non vetetur nisi professo, professus autem stricte is tantum sit, qui teneatur votis.

3.° Prohibet religiosos quominus *administrationem bonorum* suorum per seipsos retineant. Quare, ante primam professionem, disponere debent de bonorum usu et fructu, eo quem praetulerint modo, etiam, si velint, in gratiam Instituti; sed prohibitum est (S. C. EE. et RR. 21 Nov. 1902) ut statuant fructus sui patrimonii accrescere ad capitale. Simul ab ipsis constituendi sunt per actum publicum vel privatum administratores, unus vel plures; quas partes rursus Instituto «praemonito et acceptanti» committere valent (n. 115 et 118).

Cessio administrationis, usus et usufructus vim amplius non habebit in casu egressus ab Instituto; quinimo apponi poterit conditio «quod sit quandocumque revocabilis»; revocatio autem, et etiam mutatio horum actuum cessionis *licite* fieri nequit durantibus votis sine licentia Superioris Generalis (n. 116 et 117).

Si quae autem bona professis post vota legitime obveniant, simile jus vel obligationem habent de iis disponendi ac habebant de bonis ante vota possessis; unde debebunt de istis bonis disponere *libere*, quasi nullis adstricti votis (n. 124). Quoad omissam dispositionem, suppleri haec poterit, accedente venia Superioris Generalis.

4.° Privat professos *fructibus suae industriae*, qui, non secus ac bona intuitu Instituti ipsis collata, pleno jure pertinent ad Institutum (n. 126).

5.° «De dote Instituto allata Sorores nullo modo disponere possunt» (n. 125).

6.° «Omnia in Instituto *communia* dicantur et sint quoad supellectilem, victum et vestitum. Congruit tamen singulis, in communi quidem custodia, sed separatim servare et distribuere vestes stricti usus personalis. Supellex paupertati conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur» (n. 127 et 128).

1. **Quomodo infringatur votum paupertatis.**—1.° Si rem aliquam absque Superioris licentia accipiat, retineat, absumat, licet sint comestibilia tantum.

2.° Si absque Superioris facultate rem aliquam donet, alienet, distribuat, etiam ex iis quas licite accepit, nisi talis sint generis, quae in hunc finem concedantur, ut aliis donari possint, v. g., rosaria, imagines, etc.

3.° Si ex rebus proprii usus aut ex aliis monasterii, absque licentia mutuo aut commodato det alteri. Pro rebus tamen parvis et crebro occurrentibus censetur adesse licentiam tacitam vel generalem, saltem ad breve tempus. Etiam in rebus majoris pretii saepe excusatur a mortali religiosus, qui rem commodat, quia usus rei pretiosae non semper tanti valet, quantum exigit materiae gravitas.

4.° Si rem monasterii sibi usurpet, aut aliter sine licentia utatur, quam sibi permissum est.

5.° Si aliquid abscondat ut liberae dispositioni Superioris subducat, aut si tamquam injuria affectus murmuret, dum talia ipsi a Superiore auferuntur, etiamsi ea cum licentia acceperit.

6.° Si res ipsi ad usum concessas per culpam latam, quae dolo aequiparatur, amittat vel destruat.

7.° An peccet contra paupertatis votum, qui ab extraneo pecuniam accipit in pia opera expendenda, plures absolute negant, etiamsi donator pium opus non determinaverit, dummodo tamquam minister tantum se habeat; alii vero id concedunt in casu tantum, quo donator pium opus determinaverit.

IV. **Quaenam sit materia gravis in voto paupertatis.**—Plures sunt opiniones; alii docent sufficere materiam, quae peccatum mortale in furtis filiorumfamilias constituit; alii distinguunt inter conventus mediocriter opulentos et conventus pauperes: primos divitibus, secundos pauperibus aequiparant; alii distinguunt, quoad quantitatem, violationem justitiae et religionis in voto. Pro violatione justitiae, regulam secundae sententiae admittunt; sed ad peccandum graviter contra religionem multo minorem materiam requirunt, cum ejus malitia ex infidelitate erga Deum, cui non solvitur promissum, depromatur.

Notant tamen auctores, si religiosus res monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis ejusdem communitatis donet, majorem requiri quantitatem; ita ut, juxta plures, gravis tunc non censeatur valor 25 libellarum (*ptas.*), (Vid. S. Alph. V. 24); et majorem adhuc quantitatem requirunt in esculentis et

poculentis dummodo non reserventur, et damnificatio conventus non sit nimia et in re extraordinaria vel pretiosiore. Etiam prae oculis habenda est theoria de furtis minutis, quae, si fiant interposito notabili intervallo, non coalescunt.

V. **Licentia requisita ad excusandum religiosum a paupertatis transgressione.**—Licentia Superioris debet esse: 1.° *Spontanea* seu *voluntaria*, id est, non metu, coactione aut dolo extorta.

2.° *Justa*, seu talis quam Superior concedere possit; secus, juxta plures, invalida erit; juxta alios, illicita tantum ad acquirendum, et invalida ad alienandum; et juxta nonnullos, ut Lehmkuhl et Palmieri-Ballerini, valida ad utrumque, quamvis illicita; nisi Superior supremus illam licentiam ab inferiore concessam prorsus nullam declaret.

3.° *Expressa*, si haberi possit, vel saltem *tacita*; et nonnumquam *praesumpta* sufficit.

Tacita habetur et quidem sufficiens, quando id, de cujus licentia agitur, in expresso est contentum, aut cum eo connexum vel ipsi accessorium; quando ita ex consuetudine receptum est, et quando religiosus re aliqua temporali utitur Superiore conscio et non contradicente, si facile contradicere possit, nisi taceat quia putat subditum licentiam habere a majore Superiore. *Praesumpta* sufficit, si Superior adiri nequeat, necessitas urgeat aliquid accipiendi, vel expendendi, et approbatio Superioris rationabiliter praesumatur. Immo etiam sufficit, quamvis Superior adiri facile possit, si ob ruborem, timiditatem, etc. eum quis adire non audeat, dummodo rationabiliter praesumi possit Superiorem non esse absolute invitum, neque illum modum ipsi displicere; quod si solus modus Superiori displiceat, peccatum veniale non excedet (Piat, Tom. II. pag. 257).

Circa licentiam denique notandum: **a)** Ea uti tantum posse religiosum intra limites jurisdictionis eam concedentis. **b)** Licentiam aliquid retinendi non expirare amotione concedentis. **c)** Habentem licentiam dandi aliquid Petro non peccare dando Joanni, nisi specialis ratio concessionis pro illo exstet. **d)** Juxta plures, siquis dandi quibuslibet licentia gaudeat, eo ipso alios ejusdem communitatis facultatem habere acceptandi.

VI. **Poenae statutae contra religiosos proprietarios.**—1.° Jure antiquo expellendi erant e monasterio; sed, ne vagandi daretur occasio, mutata haec poena est pro

detrusione in carcerem. 2.° Ecclesiastica privantur sepulturâ, et tota pecunia simul cum proprietario sepelienda est (C. 2 et 4 *de Stat. monach.*). 3.° Biennio activa et passiva voce privantur, atque etiam juxta suae Regulae et Ordinis Constitutiones puniendi sunt. 4.° Munera largientes privantur omnibus dignitatibus, gradibus, officiis, voce activa et passiva, fiunt inhabiles, ac perpetuo infames, et possunt accusari vel inquiri uti rei furti et simoniae.

Notetur tamen: **a)** Has poenas non afficere infractores voti simplicis paupertatis. **b)** Afficere tantum rerum detentores, et quidem in materia notabili. **c)** Eas non incurri ante judicis sententiam condemnatoriam.

VII. **Obligatio servandi vitam communem.**—Vita communis, ut sepes paupertatis, a Concilio Tridentino omnibus religiosis servanda imponitur (sess. 25. c. 1 et 2 de Reg.). Regulares tamen, quibus Ordinis Constitutiones vel Statuta a S. Sede approbata, vitam communem minus perfectam permittunt, eadem frui possunt quamdiu Sedes Apostolica illos ad vitam perfecte communem non obligaverit, vel quamdiu ipsi eam sponte non adoptaverint; uti enim ait Bened. XIV (De Serv. Dei Beatif... lib. III c. 41, n. 12), licitus esse potest usus peculii, si ab Ordinis Constitutionibus a S. Pontifice approbatis permissus sit.

Ex decreto tamen S. C. EE. et RR. 22 Apr. 1851 in locis professorii, educationis et studii restitui debet perfecta observantia Constitutionum ad Institutum spectantium, praecipue relate ad paupertatem. Die vero 1 Oct. 1852, Pius IX decrevit, religiosos, qui in domibus professis communem vitam professi sponte sunt et observant, a Superioribus non posse pro libitu transferri in domos, in quibus non observatur; et Superiores majores, qui illam non profiteantur, morari non posse in domibus, ubi illa observatur, nisi et illi eam observent.

Punct. II.—de voto castitatis.

Circa hoc votum paucissima sunt dicenda, cum eodem modo quo virtus castitatis obliget; non tamen repugnat ut violetur votum intacta virtute castitatis; puta: qui, facto voto, uxorem ducat. Jam diximus quaenam sit differentia inter votum simplex et solemne castitatis. O-

mnes adstringuntur ad servandum coelibatum, et novo titulo voti, ad abstinendum a quocumque actu castitati opposito. Laudabiliter proponuntur in Constitutionibus opportunae cautelae ad castitatem custodiendam in genere, sed ne quid minis; id praesertim attendendum in Institutis, quae frequentiorem habent cum saecularibus conversationem (*Normae*, n. 129-131).

In *dispensatione* hujus voti tam pro viris quam pro mulieribus, haec clausula inseri solet: «Ad effectum dumtaxat hujus matrimonii, ita tamen ut si comparti, cui nupserit, supervixerit, eodem castitatis voto, ut prius, obligatus remaneat».

Punct. III.—de voto obedientiae

I. Quotuplici ex capite Superiores praecipere possint. II. Natura voti obedientiae. III. Obligatio voti obedientiae. IV. Extensio hujus obligationis. V. Quandonam religiosus graviter peccet contra hoc votum.

I. **Quotuplici ex capite Superiores praecipere possint.**—Superiores Ordinum exemptorum, ex *jurisdictione*, ex *vi voti obedientiae* et ex *vi potestatis dominativae*, quam acquirunt in religiosum, qui se tradit religioni per professionem; non exempti vero, ex duobus his postremis capitibus; sed plures docent obligationem ex voto et potestate dominativa non differre, et eorum opinio videtur verior et communior.

II. **Natura voti obedientiae.** – Consistit in hoc quod religiosus propriae renuntiat voluntati, seque Superioris sui tradit gubernationi ad obtemperandum in omnibus quae honesta, justa et Regulae conformia sint. Strictius per votum obedientiae religiosus «assumit obligationem obediendi praecepto legitimi Superioris in iis, quae pertinent directe vel indirecte ad vitam Instituti, hoc est ad observantiam votorum et Constitutionum, sed non exacte diceretur Constitutiones Instituti observandas esse *vi voti*. Ex *virtute* obedientiae tenetur obligatione implendi dispositiones Constitutionum et Superiorum (*Normae*, 132-134).

Duo igitur hoc votum includit: promissionem Deo factam, quae religionis obligationem inducit, et promissionem Supe-

riori factam, qua Superioris praecepta se exequuturum promittit; unde, juxta plures, in violatione obedientiae religiosae duae continerentur malitiae ex violatione duplicis juris, Dei nempe et hominis. Secunda tamen promissio essentialis non est, nisi ex disciplina recentiori, neque probabilius a priori specie differt.

III. **Obligatio voti obedientiae.**—1.° Hoc votum obligat ad obediendum Superiori in omnibus, quae *secundum Regulam praecipiuntur*, sub quo comprehenduntur ea omnia, quae ad perfectam Regulae observantiam necessaria sunt.

2.° Religiosus «tunc tantum tenetur obedire, cum legitimus Superior praecipit expresse *in virtute sanctae obedientiae*, vel *sub formali praecepto*, aut verbis aequivalentibus; juxta proprias Constitutiones (*Normae*, n. 135).

3.° «Raro, caute, et prudenter Superiorissae praecipiant *in virtute sanctae obedientiae*, et nonnisi ex gravi causa. Superiorissae Locales ab imponendis praeceptis formalibus se abstineant. Expedit praeterea, ut formale praeceptum imponant *in scriptis*, vel saltem coram duobus testibus» (*Normae*, n. 136-137).

Exinde sequitur religiosum non teneri obedire: **a)** Si Superior aliquid *contra Regulam* praecipiat, nisi Praelatus praecipiens legitimam habeat facultatem et causam dispensandi. **b)** Si praecipiat aliquid *praeter vel supra Regulam* ex uno zelo majoris perfectionis; bene vero, si in poenam delicti, vel sit hoc valde conveniens et utile ad Regulae observantiam.

IV. **Extensio hujus obligationis.**—1.° Cum votum obedientiae obliget ad instar legis humanae, regulariter non obligat cum *gravi damno* seu periculo.

Excipiendi sunt casus, in quibus bonum commune Religionis id postulet, ut habitare in locis aëris intemperie laborantibus, assistentia tempore pestis infirmorum propriae communitatis, et, quoad religiosos vitae mixtae, assistentia spiritualis extraneorum, deficientibus tamen parochis.

2.° Disputatur an Superior possit praecipere *actus mere internos*; omnes tamen fatentur posse praecipere ut religiosi missam celebrent ad suam intentionem (Cf. pag. 83).

3.° Disputatur an valeat Superior *limitare libertates* a Regula concessas. Plures absolute negant, quia tunc Superior

ageret contra Regulam, cum sint etiam Regulae permittentes ad instar legis (Bord. Passerini, Ant. etc.). Alii absolute affirmant, sed addunt caute hac in re Superiores procedere debere. Alii distinguunt an Regula libertates concedendo auferat a Praelato potestatem illas coarctandi, vel non. In priori casu negant, affirmant in secundo.

4.° Si superior praecipiat *indifferentia* aut *ridicula*, plures tenent non adesse obligationem parendi, quia haec neque ex genere suo, neque ex circumstantiis reduci possunt ad vitam regularem; alii vero dicunt obediendum esse, si bona fide Superior jubeat, secus non. Si praecipiat vero *impossibilia* naturae, quae sine peccato praestari possint, subditus tenetur conari ea facere, et plura miracula probarunt quantum hujusmodi obedientia Deo grata sit. Si vero absque peccato praestari nequeant ob evidens vitae periculum aut similia, certo subditus obedire nequit, nisi forte instinctu S. Spiritus moveatur.

5.° In voto obedientiae potest quis obligari etiam ad poenas subeundas, si juste infligantur, non vero si manifeste injustae sint. Si vero injustitia non sit manifesta, et lata poena fuerit servato juris ordine, et publice sit subeunda, ex obedientia potest ad id adstringi, cum omitti non posset sine scandalo; sed, si private sit subeunda, et aliunde scandalum non timeatur, omitti potest.

V. **Quandonam religiosus graviter peccet contra votum obedientiae.**—Quando recusat obedire Superiori praecipienti in *virtute sanctae obedientiae*, aut *in nomine Jesu Christi* in materia gravi; vel quamvis in materia levi, si inobedientia sit cum *formali contemptu* Regulae vel Superioris. His alia causa extrinseca gravitatis addi potest, nempe, si ex inobedientia *grave scandalum* aliorum vel grave damnum sequatur.

Tunc censetur haberi contemptus formalis, cum quis simpliciter praeceptum Superioris, ut Superior est, contemnit, v. g.: si respondeat: nolo obedire, nolo facere, non faciam. Sed non esset contemptus formalis, si tantum contemneret, quia praecepta res ipsi videtur inanis, absona, superflua (Piat, Pass., Sanch., etc.), vel si iracundiâ, despectu aut contemptu Superioris qua personae particularis praeceptum leve negligat (Sanctus Franc. de Sales, Gautr. Tom. II).

§ III.—De obligationibus religiosorum vi legum ecclesiasticarum

Obligationes praecipuae ad tres reducuntur, nempe: I. ad obligationem deferendi habitum religiosum; II. ad obligationem divini Officii et Missae conventualis, et III. ad obligationem clausurae servandae.

I. **Obligatio deferendi habitum religiosum.**—1.° Omnes religiosi ad id tenentur, nisi justa causa excuset; quia habitus delatio signum est propriae Religionis protestativum.

Justae causae habitum dimittendi sunt: eum purificare, exsiccare, dormitio, applicatio corpori alicujus medicinae, ingressus in balneum, periculum mortis, saevitiarum aut alterius damni gravis evitare. Habitum religiosi ejecti deferre non possunt.

2.° Unus Papa directe dispensare valet ab hoc onere; Praelati nonnisi expulsione vel justo praecepto.

3.° Qui habitum dimittit sine justa causa (non qui eo se spoliat sine intentione alium induendi) per notabile tempus, praeter peccatum mortale, incurrit *excommunicationem* latae sententiae *nemini reservatam*; non vero, si per breve tempus et ex levitate, quia tunc probabilius veniale est. Talis excommunicatio per se non afficit simpliciter professos regulares, neque episcopos regulares, nisi fuerint ex clericis vel Canonicis Regularibus (Verm. I, 313).

Non desunt qui hanc excommunicationem non amplius vigere autumant; sed communius affirmatur, cum lata fuerit pro interno Regularium regimine. Sed ad eam incurrendam requiritur: **a)** Ut habitus dimissio a religioso vota solemnia professo fiat. **b)** Ut dimittatur habitus propriae Religionis; unde non incurritur ab iis, qui proprium habitum non habent. **c)** Ut sit temeraria seu facta cum scientia legis et sine justa causa. **d)** Ut talis sit dimissio, quae ex circumstantiis apta sit ad vagationem inducendam et facilitandam; unde probabilius illam non incurrit, qui habitum intra claustra dimittit.

II. **Obligatio divini Officii et Missae conventualis.**—1.° Ad recitationem *divini Officii in choro* tenentur Regulares, qui ad chorum destinantur, ut sunt Canonici Regulares, Fratres Minores, etc. ex jure canonico (Clem.

1 *de celebr. Miss. et aliis div. Off.*), et ex propria Regula. Haec obligatio afficit primo et per se communitatem; controvertitur an sit etiam personalis; verius est personalis radicaliter.

Obligatio haec pro *communitate* est gravis; pro *singulis* religiosis levis, exceptis sequentibus casibus: **a)** Si Superior suum quoad hoc negligat officium. **b)** Si ex Regula vel ex Superioris praecepto aliquis obligetur ad choro interessendum. **c)** Si eorum praesentia necessaria sit ad habendum chorum. **d)** Si ex sua negligentia religiosus scandalum aliis ingerat, et pravo suo exemplo alios a choro removeret. **e)** Si conventûs fundator hanc adjecerit conditionem.

An vero qui legitime abest a choro, si non sit in sacris constitutus, teneatur ad recitationem privatam Officii, controvertitur; sed communissime affirmatur ex vi consuetudinis, quoad professos solemniter in Ordinibus ad chorum deputatis. *Objectum* obligationis est Officium diei, defunctorum, litaniae B. M. Virginis, Psalmi Graduales, si mos erat tempore Pii V vel post inductus ea recitandi; qui vero Breviario Romano utuntur ad solum Officium parvum B. M. V. obligantur. Item servare debent *Decretum Generale* S. R. C., 9 Jul. 1895, circa festa *patroni loci, dedicationis ac tituli ecclesiae* (Decr. auth. n. 3863).

2.° De Missa conventuali sequens prodiit *Decretum Generale* S. R. C. 1 Dec. 1892: «Regulares, jure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, teneri tantum *legere* unam *Missam conventualem*, Officio videlicet diei respondentem, tempore a Rubricis praescripto, quamvis aliae ab illis essent canendae, sive votivae, sive defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex peculiari S. Sedis indulto.—Sive Missa illa legatur, sive fiat cum cantu, non solum in duplicibus 1^{ae}, sed etiam 2^{ae} classis, omittendam esse commemorationem simplicis occurrentis aut de die infra octavam.—*Missas feriarum*, duplicibus aut semiduplicibus occurrentibus, Regularibus non esse vetitas, si a Rubricis praescribantur, dummodo tempus servetur ab iisdem Rubricis praescriptum, et Choralibus iis assistendi libertas fiat.—Ad *Rogationum Missam* celebrandam teneri, si tamen publica supplicatio locum habeant.—Ubi vi Constitutionum Ordinis, vel ratione consuetudinis, *Feriarum* aut *Vigiliarum* occurrentium *Missae* fieri debeant, eas non esse omittendas, et tempus in rubricis praescriptum omnimode servan-

dum. Atque ita servari mandavit» (Decr. Auth. n. 3757).

III. **Obligatio servandae clausurae.**—Imposita est tum viris, tum monialibus votorum solemnium primo a propria Regula, sed deinde vim juris obtinuit tam ex consuetudine, quam ex decretis Conciliorum et Romanorum Pontificum: 1.° *Clausura in genere.*—*Materialiter* est locus Regularium clausus; *formaliter* est locus jurisdictioni Praelati Regularis subjectus, et etiam complexus legum quibus ingressus vel egressus a tali loco interdicitur. *Subjectum* clausurae juris communis sunt Ordines Regulares; ex regula vel praecepto Episcopi etiam Congregationes mulierum (S. Congr. EE. et RR. 1 Aug. 1839; Const. *Conditae*, II, 4; *Normae*, n. 170 et seqq.). Clausura dividitur in *papalem* et *episcopalem* ratione legislatoris; in *totalem* et *partialem* prout integram domum vel partem saltem notabilem alumnis reservet; in *necessariam* et *arbitrariam*, prout necessario, vel pro arbitrio Superioris determinari valeant certa loca. Nota aliquid legitimis *consuetudinibus* hac in re deferendum secundum probatos auctores; et *cessare* clausuram materiali eversione conventus, dissolutave penitus communitate; non vero, si vel unus remanserit vel redierit.

2.° *Clausura virorum.*—Duo importat: obligationem non exeundi absque legitima Superioris licentia extra clausuram, et obligationem feminas intra clausuram non admittendi (C. 7 de Off. Jud. Ord.; Clem. 1. § 5 *de Stat. monach.*; Conc. Trid. sess. 25 c. 4 de Reg.; Decret. Clem. VIII *Nullus omnino*).—Sed etiam *locus* clausurae est considerandus.

a) *Quoad egressum*, ut licitus sit, requiritur licentia *specialis* et *expressa*. Clemens enim VIII exigit, ut ante egressum benedictio a Superiore accipiatur et exeunti socius adjungatur. Quamvis non desint auctores, qui dicant hanc obligationem esse levem ex genere suo, et tantum per accidens gravem evadere posse, ut si fiat noctu, vel talis sit egressus, ut religiosus diu et quasi stabiliter extra monasterium vivat (Bonacina, et alii), verius tamen et communius dicitur esse gravem ex genere suo.

Revera, haec obligatio non tantum oritur ex Regula, sed etiam ex Ecclesiae legibus, et quidem ex lege gravi, cum Clemens VIII contravenientes poena gravi, etiam carceris ad

Superioris arbitrium plecti jubeat. Insuper vi voti obedientiae religiosus implicite se obligat ad non recedendum ab statu et loco obedientiae, quod tamen facit, si e claustro, quod est obedientiae locus, recedat, Superiore nesciente vel non consentiente; quae postrema ratio etiam militat pro Institutis votorum simplicium. Materia vero gravis reputatur egressus nocturnus, vel ad longum tempus, idest, cum intentione extra conventum ultra duos vel tres dies permanendi, quod alii restringunt ad intentionem extra conventum pernoctandi.

〈**b**) *Quoad ingressum*, prohibentur clausuram intrare omnes feminae, si excipiantur Reginae vel Imperatrices earumque filiae et comitatus; nam, cum sint speciali notâ dignae, et in Bullis revocatoriis privilegiorum de hac re (Const. S. Pii V *Regularium personarum*; Greg. XIII *Ubi gratiae*, et Bened. XIV *Regularis disciplinae*) non memorentur, a lege exceptae censentur; 〈et fundatrices vel insignes benefactrices, si habeant indultum apostolicum, nec non consanguineae vel affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum, in quibus conventus siti sunt, si legitimo titulo vel consuetudine muniantur. Pius IX excommunicationem R. Pontifici simpliciter reservatam statuit contra mulieres *violantes* Regularium virorum clausuram, et *Superiores* aliosve *Regulares* eas admittentes (Const. *Apost. Sedis*).〉

Plures excipiunt etiam ab hac lege puellas septennio minores; quia in odiosis non veniunt nomine mulierum; sed quamvis haec ratio admitti possit quoad poenam excommunicationis vitandam, non vero ad vitandam culpam eas admittentium. Quoad vero mulieres adultas fatuas, omnes fatentur prohibitione comprehendi, quamvis poenam ob defectum rationis non incurrant.

c) *Quoad locum*, legi clausurae tantum subjiciuntur *conventus* proprie dicti, et *missiones* stabiles ritus latini et eorum solummodo partes a Provinciali designandae, quae intra monasterii septa reperiantur:

Exinde sequitur huic legi non subjici conventus in constructione, quamvis inibi resideant nonnulli religiosi; grangiae, hospitalia et alia hujusmodi loca, quae a conventu distant; *ecclesia* et in odiosis chorus et sacristia, et ex consuetudine *collocutoria* separata penes januam.

Partes *necessario* intra clausuram includendae, sunt: claustrum interius, dormitorium, refectorium, aliaeque interiores

officinae. Quoad alias partes, clausura justa de causa a Provinciali variari potest, cujus etiam est declarare momentum a quo clausura incipiat obligare.

III. **Clausura monialium.**—A Bonifacio VIII (C. unic. *De Stat. monach.* in 6.°) introducta est, et dein a Conc. Trid. et pluribus Pontificibus confirmata (Conc. Trid. sess. 25, c. 5 de Reg.; S. Pius V, Greg. XIII, Bened. XIV et Pius IX in Const. supra citatis), eo fine ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatae, omnino servire Deo valeant liberius, et, lasciviandi opportunitate sublata, Eidem corda sua et corpora in omni sactimonia diligentius custodire queant(C. cit. in 6.°).

Duplex esse potest monialium clausura: papalis nempe et episcopalis, prout a Papa vel ab Episcopo stabiliatur. Haec ab Episcopo pendet et ejus violatio non secum fert,nisi poenas ab eo stabilitas. Papali vero, de qua nobis tantum sermo faciendus est, subjiciuntur jure communi moniales votorum solemnium, et quidem ita ut, si velint papalem clausuram mutare in episcopalem, eo ipso reducantur ad Institutum votorum simplicium (S. C. EE. et RR. 17 Mart. 1848); et ex privilegio apostolico nonnullae sorores votorum simplicium. Haec clausura violari potest per illicitum a) egressum, aut b) ingressum in conventum rite exstructum et cum venia Sedis Apostolicae (S. C. EE. et RR. 8 Febr. 1899).

a) *Quoad egressum.*—Moniales e loco clausurae egredi nequeunt, nisi adsint: *justa causa* quae est *incendium* vel aliud periculum imminentis et totalis ruinae, quod aliter vitari nequit; *infirmitas contagiosa* vel *epidemica*, quae facile ad alios diffunditur cum manifesto mortis periculo (ita auctores communiter Const. S. Pii V *Decori* interpretantes), ac *licentia* Episcopi, et, si conventus Regularibus subjiciatur, Episcopi simul et Superioris Regularis. Haec licentia debet in scriptis dari.

Extra hos casus requiritur *licentia* S. C. EE. et RR., etiam ad fundationem novi conventus, vel quando monialis alterius conventus Superiorissa ad tramites Tridentini eligitur, ut declaravit eadem S. Congregatio, 22 Dec. 1617 et 16 Jul. 1884.

b) *Quoad ingressum.*—Omnibus personis cujuscumque generis sint, sexus vel aetatis, interdicitur ingressus in monialium monasteria extra casum necessitatis, privi-

legii vel indulti apostolici (Conc. Trid. sess. 25, c. 5 de Reg.). Hinc excipiuntur Imperatores, Reginae eorumque filii et filiae cum suo decenti comitatu, et Fundatrices monasteriorum, quorum privatae Constitutiones id permittant, vel quibus hoc privilegium a S. Sede concessum est.

Hinc etiam justa de causa et legitimi Superioris licentia etiam aliae personae ingredi possunt. Causae justae ad necessitatem spiritualem vel temporalem monialium reducuntur, et extraordinario esse potest extraneorum necessitas, ut, si necessarius sit ingressus ad salvandam extranei vitam, vel puellarum educatio, dummodo debitis cum requisitis fiat.

Ob necessitatem spiritualem monasterii vel monialium ingredi possunt: 1.° Episcopi vel Superiores visitationis gratiâ, et quando aliis licentiam dare possunt. Circa hanc visitationem notandum Visitatorem egere justa causâ, et debere a paucis iisque senioribus clericis et religiosis personis comitari. Intra Italiam et Insulas adjacentes visitatio a Superiore regulari fieri nequit, nisi semel in anno, personaliter et cum uno vel duobus sociis, prout Visitator sit inferior Generali, vel ipse Generalis. Episcopus vere potest visitare quoad clausuram per se vel per Vicarium generalem etiam monasteria Regularibus subjecta, quamvis nulla rationabilis violatae clausurae suspicio irrepsisset; idque absque interventu Superioris regularis, et quin teneatur diem et horam visitationis notificare monialibus.

2.° Etiam potest Episcopus clausuram ingredi ad sacramentum confirmationis alicui moniali administrandum, si haec sit in mortis periculo et ad crates deferri nequeat; item eodem pacto ad dandam benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis, comitibus confessario ordinario ipsius monasterii et alio sacerdote.

3.° Confessarius, et in casu necessitatis quilibet sacerdos ingredi potest, quoties aegrotanti, quae ad confessionale accedere nequit, administrandum sit sacramentum Poenitentiae, Eucharistiae vel Extremae-unctionis, et ad assistendum morienti, animamque ejus Deo commendandam, ad quem finem ei in monasterio pernoctare licet. Ingressus solus, comitatricibus duabus senioribus monialibus recte et absque diverticulo, stolâ et superpelliceo indutus, eat redeatque, et dum infirmae confessionem audit, cella aperta maneat, ita ut comitatrices eum et infirmam cernere, non tamen audire possint. Confessarius regularis cum socio probatae vitae et maturae aetatis ingredi debet (V. Piat, P. III C. III).

Ob necessitatem temporalem ingredi possunt: 1.° Medicus, in casibus necessariis, qui a duabus vel tribus monialibus antiquioribus comitari debet. 2.° Chirurgus, si necessarius sit. 3.° Pharmacopola, si ingressus sit necessarius ad docendum quomodo aliqua medicamina sint praeparanda, idque extra clausuram praestari nequeat, quod raro eveniet. 4.° Syndicus, notarius et oeconomus, si adsit necessitas, cui aliter consuli nequeat. 5.° Operarii ad monialium servitium necessarii. 6.° Judex vel milites ad capiendum malefactorem, si hic immunitate non gaudeat.

Ob educationem possunt puellae admitti intra monasteria, dummodo non obstent Regulae; quia id valde utile est puellis et monasteriis. Ad hoc tamen requiritur: 1.° Ut monasteria talem habeant consuetudinem, et aliunde id ipsis non prohibeatur. 2.° Ut de consensu Superiorissae et majoris partis monialium, capitulariter et per vota secreta praestito, recipiantur. 3.° Ut adsit licentia S. C. EE. et RR. (Bened. XIV Const. *Per binas*). 4.° Ut puellae in monasterio habitent in loco separato tam a dormitorio monialium et novitiarum, quam a loco in quo solent ipsae moniales manualibus operibus vacare. 5.° Puellae non debent esse supra numerum a S. Congr. praefixum, neque recipi cum ancillis vel sociis, quae eis inserviant; debent uti vestitu, qui virginali modestiae et pudicitiae conveniat, et nequeunt recipi nisi septimum annum expleverint et 25^{m} non excesserint. Hac aetate expleta statim egredi tenentur sub poenis in violantes clausuram latis. 6.° Ut puellae introductae a monasterio non egrediantur; secus regredi nequeunt absque licentia S. C. EE. et RR. 7.° Demum, ut quolibet semestri pro dictis puellis alimenta in pecunia anticipate solvantur; et pro tali solutione institui debet idoneus fidejussor (Ita ex pluribus decl. S. C. EE. et RR.).

c) *Quoad poenas*, incurrunt excommunicationem latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatam violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illis exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam (Const. *Apost. Sedis*). Haec poena probabilius non incurritur, si introducantur pueri septennio minores, quamvis peccent eos introducentes vel admittentes.

4.° *Clausura sororum.*—a) Non habent «clausuram strictam, sed *partialem* in Constitutionibus determinandam, quae tamen requirit saltem ut in omnibus domi-

bus pars quaedam pro ipsis sororibus reservata sit, in quam nullus alius admittatur. Quoties medicus, aut confessarius aut opifices hanc partem ingredi debeant, binae sorores eos comitentur. Episcopi erit curare ut rite servetur et quidquid in eam irrepat vitii cohibere» (Const. *Conditae*, II, n. 4; *Normae*, n. 170-172).

b) «Non probatur in Constitutionibus dispositio, qua viri professores sive pro sororibus sive pro alumnis in litteris vel artibus instituendis admittuntur» (ib. n. 173).

c) Diligenter servandum est decretum S. C. EE. et RR., 27 Mart. 1896, *Singulari quidem* circa *quaestuationem* a sororibus faciendam (Acta Sanctae Sedis, tom. XXVIII, p. 555).

d) «Quoties e domo *egrediuntur*, sociam a Superiorissa designatam habeant; et iis quae, licentiâ obtenta adeunt vulgo dictum *locutorium*, a Superiorissa plerumque socia addatur; absque socia tamen alloqui poterunt aliquando proprios parentes aut primi gradus consanguineos» (*Normae*, n. 174, 175, 176).

e) «Confessarius vel capellanus ingressum separatum habeat. Ad solis occasum januae occludendae, et claves Superiorissae tradendae sunt (ibid., n. 177, 178).

f) «*Litterae* tradantur Superiorissis localibus, quae eas sua discretione legere poterunt cum moderamine prudentiae et charitatis secreto servato. Excipiuntur litterae ad Moderatricem Generalem vel Provincialem, earumque consiliarias seu assistentes, ad Episcopum et ad S. C. EE. et RR. mittendae, vel ab istis ad sorores datae» (ibid. n. 179-180).

§ IV.—DE OBLIGATIONIBUS EX REGULA CUJUSQUE ORDINIS FLUENTIBUS

I. Regulae et Constitutionum natura. II. Obligatio servandi Regulam vel Constitutiones. III. Causae extrinsecae ex quibus Regulae seu Constitutiones obligare possunt. IV. Obligatio Superiorum corrigendi Regulae transgressiones.

I. **Regulae et Constitutionum natura.**—*Regula* generice sumpta est norma perfectionis; usualiter est norma perfectionis communiter acquirendae: canonice et proprie sumpta est norma Ordinum antiquiorum ab

Apostolica Sede approbata; dum normae recentiores, sive ad Regulares pertineant sive ad simpliciter Religiosos, *Constitutiones* audiunt. Ex usu loquendi alia obtinet distinctio inter Regulam et Constitutiones: ea continet fundamentales normas vitae religiosae, ac potest esse pluribus Ordinibus communis: hae continent speciales normas pro religioso convictu et pro assecutione proprii finis in quolibet Ordine (Suarez, Palm.). *Regula* secundum alios significat normam vivendi ab aliquo constitutam et a S. Pont. approbatam ut sit perpetua in religione, *Constitutiones* vero statuta a solis Praelatis vel Capitulis religionum ordinata (Ferrari, Lombard.). Quatuor *magnae Regulae* communiter in Ecclesia recensentur: *S. Basilii*, quam Monachi praesertim Orientales; *S. Benedicti*, quam Monachi Occidentales; *S. Augustini*, quam Canonici Regulares, Eremitae S. Augustini, Fratres Praedicatores, Servi B. M. V., Religiosi plures utriusque sexus, et tandem *S. Francisci*, quam praeter Fratres Minores, Conventuales et Capuccinos, sequuntur Clarissae et Tertiarii ac Tertiariae. De his Regulis fit mentio in Corpore Juris. Carthusiani primi fuerunt, qui Constitutiones pro Regulâ habuerunt, ut dicitur, et praeter eos suas quaeque Religio habet a S. Apost. approbatas, puta: Carmelitae, Minimi, Jesuitae, clerici Scholarum Piarum, Redemptoristae, Passionistae, Missionarii Filii Cordis Mariae, et quamplura monialium ac praesertim sororum Instituta. In praesenti Regulae et Constitutiones indistincte accipiuntur pro norma vivendi approbata a S. Sede pro aliqua Religione vel Instituto; nam ad obligationem quod attinet paria esse valent.

II. **Obligatio servandi Regulam vel Constitutiones.** —Cum Regulae vel Constitutiones approbatae sint a S. Sede, induunt vim legis pontificiae; unde, si ipsae dicant obligare ad culpam gravem vel levem, ita erit; si dicant obligare quantum possunt, obligabunt sub gravi vel levi, juxta qualitatem materiae; si vero nihil dicant, Regulae si excipiantur, quae jus fundamentale seu Instituti constitutivum continent, per se non obligabunt ad culpam, quamvis raro absque culpa perfringantur; obligabunt tamen ad poenam, saltem quando Regula ipsa poenam transgressoribus imponat (Ita Suarez, Bouix, Piat, etc.).

Idem dicendum esse de Constitutionibus Institutorum votorum simplicium hodie amplius dubitari non potest. En verba Card. Bizzarri in *Collectanea* Decretorum S. C. EE. et RR. p. 547: «Cum passim declaratum sit Regulas hujusmodi Institutorum, quae vota solemnia non profitentur, obligare sub culpa in iis dumtaxat, quae vota respiciunt, vel lege divina seu ecclesiastica praecepta sunt, non vero in eo, *quod ex simplici Constitutionum dispositione oritur*... (S. C. EE. et RR. 27 Sept. 1861). Hoc idem habetur in animadversionibus ad Constitutiones Sororum *de Notre Dame des Anges*, Paris, 21 Mart. 1897, et Sororum *des Écoles pauvres de Notre Dame*, Beudweis 19 Jul. 1896, et Sororum *agricoles de la Sainte Famille*, Bergame, 22 Sept. 1896 (Mgr. Albert Battandier, *Guide Canonique pour les Constitutions* etc. Romae, 1898). Et expresse statuitur in *Normis* (n. 320 et 321).—Videtur tamen quod obligent ad poenam; nam hoc est necessarium ad disciplinam regularem servandam; secus, recurrendum saepe foret ad praecepta particularia, quod esset multo gravius et praeter intentionem S. Sedis. Unde circa has Constitutiones haec rationabilius tenenda videntur: 1.° Quae determinant statum constitutivum ipsius Instituti, ut sunt electiones, officia seu munera, etc., obligant Superiores sub gravi vel levi, juxta qualitatem materiae; nam ex observantia harum Constitutionum pendet legitimitas Superiorum et validitas plurimorum actuum, ut receptio ad habitum, professio, etc., qui per se gravissimi sunt, et debent in conscientia legitime poni. 2.° Ceterae per se non obligant ad culpam, sed tantum ex causis extrinsecis, de quibus postea. 3.° Regulae, quae in Constitutionibus modo praeceptivo loquuntur, obligant ad poenam subeundam, quae juxta prudens arbitrium Superioris et intra limites ejusdem potestatis dominativae seu paternae imponatur, nisi ipsae Constitutiones poenam determinent. 4.° Regulae, quae per modum consilii loquuntur, vel quae nimis arduam continent perfectionem, sunt mere directivae, et non obligant per se nec ad culpam nec ad poenam.

III. **Causae extrinsecae, ex quibus Regulae seu Constitutiones obligare possunt.**—Hae novem numerantur: 1.ª Si Regula obliget ex vi voti. 2.ª Si Regula ipsa declaret se obligare sub culpa. 3.ª Si Religiosus sibi imposuerit obligationem servandi Regulam. 4.ª Si in transgressione Regulae adsit contemptus formalis. 5.ª Si ex Regulae transgressione ponatur religiosus in periculo proximo labendi in peccatum mortale. 6.ª Si talis transgressio damnum inferat religiosae disciplinae. 7.ª Si transgressio Regulae sit transgressio voti, vel virtutis

christianae aliunde obligatoriae. 8.ª Si per transgressionem quis exponatur expulsioni. Sed hodie, post Decr. *Auctis admodum*, haec causa non amplius subsistit, cum simplex transgressio Regulae ut sic, quantumvis repetita, non sit causa sufficiens ad expulsionem. 9.ª Si per talem transgressionem violetur praeceptum tendendi ad perfectionem, quod numquam eveniet, si aliunde vota serventur, et Regulae ex contemptu formali non transgrediantur (Ita Suarez, Bouix, etc.).

IV. **Obligatio Superioris ad corrigendas Regulae transgressiones.**—Superior tenetur ad hoc in conscientia; quod si negligat corrigere, casu quo plures sint defectus et tales qui disciplinam possint relaxare, peccabit graviter. Unde de iis debet inquirere, ut corrigat; sine nimia tamen sollicitudine, aliquando prudenter dissimulando, si non debeat scandalum oboriri, vel si praevideat subditum ex correctione pejorem fieri; vel si tempus opportunius sit expectandum (S. Ligor., Craisson, etc.).

ARTICULUS IV

DE REGULARIUM ET ALIORUM RELIGIOSORUM GUBERNATIONE

Religiosorum gubernatio sub triplici respectu considerari potest, nempe: I. quoad forum poenitentiale; II. quoad regimen intrinsecum, et III. quoad regimen extrinsecum.

§ I.—DE RELIGIOSORUM GUBERNATIONE QUOAD FORUM POENITENTIALE

I. Quis sit proprius et ordinarius Regularium confessarius. II. Constitutio aliorum confessariorum pro ipsis. III. Potestas horum confessariorum. IV. Confessarius monialium, et sororum. V. Confessarius aliorum Religiosorum. VI. Communio Religiosorum in genere.

I. **Proprius et ordinarius Regularium confessarius.**—Quoad non exemptos, tales sunt Episcopus et qui ab ipso approbati sint, nisi privilegium speciale a S. Sede obtinuerint. Quoad exemptos vero, ille qui vi officii sui curam eorum habet.

Tales sunt Generalis in toto Ordine, Provincialis in Provincia et Superior Localis in conventu; Commissarii, Visitatores in locis ad quae extenditur eorum commissio et Legati a *Latere* in sua Provincia. Hi tamen Superiores nequeunt subditos cogere ad sibi confitendum, nam id prohibuit Clemens VIII, die 26 Maj. 1593, in Const. *Sanctissimus*, jubens: ut «Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero majori vel minori, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, quo eam debere committi ipse in primis confessarius judicaverit». Juxta interpretionem rationabiliorem et usu receptam, hi confessarii dantur ut religiosi quibus velint confiteantur. Non expedit ut Superiores audiant confessiones subditorum.

II.(1) **Confessariorum aliorum constitutio pro Regularibus.**—Omnes fatentur illos constitui posse a Praelatis, qui jurisdictionem quasi-episcopalem habent in utroque foro, ut sunt Generalis et Provincialis; nisi aliud Constitutiones Ordinis aut Statuta generalia praescriberent. Quoad Superiores Locales et Priores, disputatur; sed immerito, cum nulla adsit probabilis ratio quare hoc jus ipsis denegandum sit.

Expedit, ut eligantur ex proprio Ordine; eligi tamen etiam possunt inter sacerdotes saeculares, si id propriis statutis non repugnet, ut resolvit S. C. EE. et RR., 3 Jun. 1864. Dantur etiam plures casus, in quibus Regulares extraneum confessarium eligere possunt, nempe: 1.° In casu necessitatis, ut diuturnae commorationis inter infideles vel extra claustra, et, juxta plures, si necessarium sit ad vitandum scandalum, vel impediendam ruinam spiritualem poenitentis, vel ad consulendum ejusdem saluti. 2.° Quando in itinere constituti sunt, dummodo non adsit socius idoneus et confessarius sit ab Ordinario approbatus, ac Superior Regularis cum extraneo vel saeculari confiteri non prohibuerit. Sunt tamen auctores, qui dicunt sufficere confessarium esse idoneum, quin sit ab Ordinario approbatus; iis tamen extra casum privilegii adversatur mens et usus S. C. EE. et RR. 3.° Tempore Jubilaei cum quolibet sacerdote ab Ordinario approbato, etiam sine licentia Praelati Regularis (S. C. EE. et RR., 25 Maj. 1696). Et quidem confessarius Jubilaei debet esse ab Ordinario loci approbatus, saltem ad lucranda alia privilegia, praeter indulgentias; unde si nullus talis in conventu inveniatur, apud saecularem confiteri debebit. 4.° Vi specialis privilegii.

III. **Potestas horum confessariorum.**— Confessa-

(1) Recientemente se ha concedido á los religiosos que puedan ser absueltos por cualquier sacerdote que sea aprobado por el Ordinario aunque carezca del Convento sin permiso. (S. C. N. R. Agosto 1915)

rius legitime constitutus potest absolvere religiosos sui Ordinis ab omni peccato, et censuris non reservatis. Reservata autem in Ordine absolvere non potest *habitualiter* absque speciali facultate; haec autem dari debet in parvis communitatibus (S. C. EE. et RR. 16 Aug. 1866) et a jure conceditur in casibus particularibus, quibus hanc facultatem ipse confessarius petat, eique a Superiore denegetur (Decr. Clem. VIII, 13 Mart. 1601).

Praelati vero Regulares, extra Capitulum Generale vel Provinciale, nequeunt sibi reservare alios casus praeter undecim dictos clementinos, in quibus comprehenduntur etiam censurae, ita scilicet, quod non liceat ipsis censuram sibi reservatam aliis peccatis annectere, praeter hic expressa (S. C. EE. et RR., 7 Jul. 1617). Hi casus sunt: 1.° Veneficia, incantationes, sortilegia. 2.° Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat egressus. 3.° Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4.° Proprietas contra votum paupertatis, pertingens ad peccatum mortale. 5.° Juramentum falsum in judicio Regulari seu legitimo. 6.° Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum, post animatum foetum, etiam effectu non sequuto. 7.° Falsificatio manus aut sigilli Officialium monasterii aut conventus in quantitate, quae sit peccatum mortale. 8.° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 9.° Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae. 10. Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores. 11. Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

A censuris *ipso jure* Episcopo reservatis confessarius regularis absolvere potest subditos suos (S. Off. 22 Mart. 1881); minime vero a censuris a Dioecesano latis in casibus, in quibus illis Regulares subjiciuntur; nec a censuris a jure reservatis Romano Pontifici, etsi agatur de casu occulto simpliciter reservato, in quem Ordinariis potestas competit (S. Poenit., 5 Dec. 1873); nisi in mortis articulo, vel semel in vita, et vi privilegiorum extra Urbem a censura lata ob percussionem clerici etsi enormem (Cf. Verm. I, 418).

Ex Leonis X concessione, Moniales S. Clarae absolvi pos-

sunt a quibuscumque reservatis in omnibus solemnitatibus Domini Sabaoth, et Virginis M., Omnium Sanctorum, Apostolorum Petri et Pauli, S. Francisci et S. Clarae, et per totam majorem hebdomadam.

IV. **Confessarius monialium, et sororum.**—1.° *Confessarius ordinarius.*—Considerare debemus: **a)** ejus deputationem; **b)** ejusdem requisita; **c)** ejus potestatem, et **d)** ejus amotionem.

a) *Deputatio.*—Si agatur de monialibus subditis immediate Episcopo vel Apostolicae Sedi, competit Episcopo; si vero moniales Regularibus subjiciantur, competit Praelato Regulari. Ex privilegio apostolico, vel ex consuetudine competere potest communitati ipsi monialium. Duobus tamen postremis casibus confessarius indiget approbatione Episcopi, et quidem speciali pro monialibus, ab eoque examirari potest, nisi, juxta plures, confessarius sit ipse Generalis vel Provincialis; tunc enim non est necessaria approbatio ex concessione Bened. XIII (Const. *Pastoralis Officii*); sed cum haec Constitutio data sit pro hispanis, plures auctores hanc exceptionem ad Hispaniam limitant.

Confessarius monialium deputari tantum potest ad triennium, quo elapso, non potest amplius, absque indulto apostolico, per aliud triennium in eodem monasterio confessiones audire, uti pluries declaravit S. C. EE. et RR.

S. Congregatio ad concedendam prorogationem pro secundo triennio, exigit quod moniales capitulariter per vota secreta in id consentiant cum majoritate duarum ex tribus partium suffragiorum. Ad prorogationem pro tertio triennio exigit unanimum monialium consensum, vel jubet dari confessarium extraordinarium pro dissentientibus. Prorogatio ab Ordinario facta ultra triennium absque indulto apostolico non secumfert nullitatem absolutionis, sed tantum illicitum exercitium illius ministerii, ut declaravit S. C. EE. et RR. (Vid. *Boletin Eccles. de Barcelona* 24 Maj. 1898; p. 121).

b) *Requisita confessarii eligendi.*—Ultra de jure naturali requisita, exigitur aetas legitima, quae de jure communi requiritur ad munus parochiale. Sed generatim auctores, innixi Conciliorum particularium et S. C. C. decretis, requirunt alii 30, alii 40, alii 45 annos. Suf-

ficere aetatem 40 a. declaravit S. C. EE. et RR. 12 Maj. 1617.

Non omnes insuper eligibiles sunt in confessarios monialium. Iis, quae immediate subjiciuntur Episcopo vel R. Pontifici dari nequit, absque dispensatione Apostolica, confessarius Regularis tamquam ordinarius, utique vero tamquam extraordinarius (Const. Bened. XIV *Pastoralis curae;* et S. C. EE. et RR. 16 Jan. 1865 et pluries); monialibus e contra, quae Regularibus subjiciuntur, convenit et solet assignari ex regulari eodem Ordine confessarius. Item constitui nequit monialium ordinarius confessarius Vicarius Generalis (S. C. EE. et RR. 29 Jan. 1841 et saepe); neque convenit ut Episcopus nonnullarum monialium particulari directione sese oneret. Ineligibiles etiam sunt tamquam ordinarii monialium confessarii canonici et parochi, si exinde chori servitium vel animarum cura aliquod paterentur detrimentum (S. C. EE. et RR. pluries).

c) *Potestas confessarii ordinarii monialium.*—Eadem est ac aliorum confessariorum, nisi a Superiore legitimo specialem potestatem acceperit.

Tamen cum moniales Regularibus subjectae gaudeant privilegio eis a Clem. VIII et Urb. VIII concesso, confessarius, si licentiam a Superiore petat ad absolvendum a reservatis intra Ordinem, quamvis hanc facultatem non obtineat, valide ac licite absolutionem impertietur. Pariter Regularibus subjectae absolvi possunt a papalibus uti et Regulares, et reservationibus episcopalibus non subjiciuntur, nisi clausuram attingant.

d) *Amotio confessarii ordinarii monialium.*—Si agatur de confessario monialium Episcopo vel S. Sedi immediate subjectarum, Episcopus potest confessarium amovere, si id bono communitatis conveniens judicaverit, et dummodo alium deputet. Si vero sermo sit de confessario monialium Regularibus subjectarum, justa de causa potest petere Episcopus, ut Superior Regularis confessarium amoveat, sed non potest ipsemet illum amovere, nisi Superior Regularis id facere detrectet vel negligat (Const. Greg. XV *Inscrutabili*). Non vero tenetur Episcopus hanc causam significare Superioribus Regularibus, et haec causa potest esse etiam delictum occultum.

II. **Extraordinarius monialium confessarius.**—Considerandа sunt: **a)** ejus deputatio et approbatio; **b)** requisita in deputando; **c)** quoties deputandus, et **d)** mune-

ra confessarii ordinarii et monialium quoad extraordinarium.

a) *Deputatio et approbatio confessarii extraordinarii.*—Illa competit ad quem confessarii ordinarii deputatio; approbatio vero semper attinet ad Episcopum loci, in quo est monasterium. Approbatus ad audiendas pro una vice confessiones, toties ab Episcopo approbandus est, quoties casus deputationis contigerit. Immo idem dicendum, licet Episcopus non expresse declaraverit se pro una vice approbationem concedere (S. C. C. 5 Jul. 1748).

b) *Requisita in deputando.*—Iisdem qualitatibus praeditus esse debet quibus confessarius ordinarius. Potest vero deputari quilibet tum de clero saeculari, tum de regulari, et quidem, si agatur de monialibus Regularibus subjectis, saltem semel in anno confessarius extra proprium Ordinem deputandus est. Ineligibles autem sunt ad confessarii extraordinarii munus, illi, qui ordinarii ob quamcumque causam munus suum implere impotentis vices supplevere (S. C. C. 27 Jan. 1748), et a fortiori illi, qui munere confessarii ordinarii functi sunt, nisi elapso triennio.

c) *Quoties deputandus.*—Ex Conc. Trid. (sess. 25, c. 10 de Reg.) et ex Benedicto XIV (Const. *Pastoralis curae*), saltem bis terve in anno; et semel saltem alius sacerdos saecularis vel regularis alterius ordinis, si ordinarius sit regularis. Item, *moniali eum exposcenti*, etsi ad meram devotionem, quae probabilis sit; Episcopi est supplere Praelati negligentiam. Etiam *in mortis articulo*, quicumque postulatus accedat de approbatione Praelati, et etiam sine ea, si periculum sit in mora.

Ex decreto S. C. EE. et RR. *Quemadmodum* 17 Dec. 1890, confirmata est praecedens disciplina, et ulterius Sanctitas Leonis XIII admonuit Superiores, «ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut *propriae conscientiae* consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent» (n. IV). Facile gravem reatum incurret Superior hac in re negligens.

Circa hoc Decretum expedit sequentia notare: 1.° Nomine Praesulis vel Superioris intelligitur ille, qui domui praeest, sive vir, sive mulier (S. C. EE. et RR. 17 Aug. 1891 ad 1).

2.° Superior semper tenetur subditi precibus indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petente apprehensam; sed monendi sunt subditi se non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur, ut propriae conscientiae consulant (Ibid. ad 2).

3.° Religiosus vel monialis, non Superior, eligere potest inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat (Ibid. ad 3).

4.° Ipsae tamen moniales hoc favore uti nequeunt constanter, ita ut numquam confessarium ordinarium adeant, nec ab Episcopo redargui et impediri valeant, si rationibus haud probandis vel futilibus ductae fuerint (S. C. EE. et RR., 1 Febr. 1892).

5.° Si confessarii adjuncti cognoscant non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, in conscientia tenentur ad declinandam confessionum sororum auditionem (Ibid. ad 2).

6.° Si quaedam sorores aut major earum pars, constanter ad aliquem e confessariis adjunctis recurrant, Episcopus intervenire debet aliquo modo, ut salva sit Regula, quod pro singulis monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur (Ibid. ad 3). In hoc casu moneat Ordinarius moniales et sorores dispositionem art. IV Decr. *Quemadmodum* exceptionem tantum legis communis constituere pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur (Ibid. ad 4).

Normae (n. 138 et seqq.) omnino confirmant traditam disciplinam, non secus ac Const. *Conditae* (II, n. 8). Hinc sorores et viri laici servare debent decretum *Quemadmodum*: sorores ulterius dispositiones Benedicti XIV *Pastoralis curae* circa confessarios *ordinarios, extraordinarios* et *supplementares* (S. C. EE. et RR., 29 Jan. 1847 et Const. *Conditae* (Ibid.).

d) *Munera confessarii ordinarii et monialium quoad extraordinarium.*—Mens expressa R. Pontificis est, ut non debeat confessarius ordinarius suum ministerium exercere, neque ad monasterium accedere, toto eo tempore, quo durat extraordinarii deputatio generalis (Const. Bened. XIV *Pastoralis curae*).

Quoad moniales, quamvis non teneantur confessario extraordinario confiteri, debent apud ipsum se sistere; sin minus, ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem accipienda (Const. Benedicti XIV *Pastoralis curae*).

V. **Confessarius aliorum religiosorum.**—In Institu-

tis non exemptis religiosi ad hoc uti saeculares habentur extra casum privilegii; imo facultas deputandi confessarios pro suis subditis a nonnullis Superioribus Institutorum votorum simplicium obtenta, nisi aliud in concessione exprimatur, est cumulativa cum facultate, quae Ordinariis competit; non privativa (S. Poenit. 25 Jul. 1888). Nulla pro viris horum Institutorum requiritur in confessario approbatio specialis; in Urbe tamen Superiores quicumque sint, non possunt audire confessiones subditorum extra necessitatem. Dicta circa approbationem *unius* confessarii ordinarii vel extraordinarii pro *mulieribus*, intelligenda sunt de confessione *intra conservatorium;* extra enim, valide confiteri possunt penes confessarios approbatos, nisi expressa lex contraria obstiterit, quae tamen verius jurisdictionem parochi non respicit; et valide et licite confiteri possunt apud quemvis approbatum sorores *paucae* numero, quae vacant instituendis puellis et paroeciam frequentare solent (S. C., 22 Apr. 1872 ad 3); quod porrigitur quoque ad eas, quae e claustro exire possunt (Bucceroni, Gennari, etc. et praesertim *Normae*, n. 149).

VI. **Communio Religiosorum.**—1.° De Regularium virorum privilegiis hac de re infra quaeritur; moniales vero Regularibus non subjectae, aliique Religiosi communi fidelium jure utuntur, cum agitur de communione *paschali* et *viatico*.

Hinc pendent ab Episcopo et Parocho, qui valent delegare Superiores ut speciali jure utantur; immo satis communiter eorum licentia praesumitur ad satis praecepto faciendum in oratorio privato, si paroeciam haud frequentent.

2.° Quoad communionem *frequentem*, en quae in supracitato Decreto *Quemadmodum* sub n.° V leguntur: «Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit».

His non obstantibus, permittitur in Constitutionibus determinare kalendarium communionum, quibus omnes simul ad Sacram Synaxim accedant, *moderatum* tamen, quale censetur quod duas communiones praeter dominicalem singulis hebdomadis praescribit, et cum vi mere *directiva*, ita ut, citra ullam culpam vel poenam, religiosus vel soror aut monialis, possit juxta prudens judicium confessarii, ad mensam eucharisticam aliquando non accedere diebus pro communitate constitutis, aut etiam saepius vel quotidie accedere, derogatis hac in re Regulis vel Constitutionibus in contrarium (*Normae*, n. 150-153). Qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem tenetur (Decr. *Quemadmodum*, n. VI), sed tantum pro communione communiter frequentiori, non pro speciali, et tunc semel tantum, non toties quoties (S. C. S. Off. 2 Jul. 1890, ad 2 et 3). Si Superior «justas gravesque caussas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communiones, eas confessario manifestare tenetur, cujus judicio acquiescendum omnino erit».

Hujus decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inseri debent Constitutionibus Institutorum, pro quibus latum est, monialium nempe, tum votorum solemnium, tum simplicium, et virorum omnino laicorum; et saltem semel in anno stato tempore in unaquaque domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legi debet (n. VIII).

§ II.—DE REGIMINE INTRINSECO REGULARIUM

Cum regimen intrinsecum Regularium exerceatur ordinario a Praelatis, quibus ratione officii nonnulli efficaciter coadjuvant, et extraordinario a Capitulis Regularibus, agemus separatim: I. De Praelatis Regularibus. II. De officiis praecipuis participantibus in regimine Regularium. III. De Capitulis Regularibus.

PUNCT. I.—DE PRAELATIS REGULARIUM

I. Quid sint Praelati Regulares. II. Praelatorum Regularium divisio. III. Eorum electio. IV. Potestas. V. Obligationes. VI. Electio et potestas monialium. VII. Scholion de regimine Congregationum Religiosarum.

I. **Quid sint Praelati Regulares.**—Tales appellantur, qui ordinariam habent jurisdictionem in utroque foro,

voluntario scilicet et contentioso. Jurisdictio tamen, Praelatorum inferiorum a Supremo Praelato justa de causa restringi potest in casibus particularibus. *Superiores* autem dicuntur omnes, qui saltem *dominativa* gaudent potestate, et magis proprie, ii quibus *in virtute obedientiae* parendum est. *Officiales*, vero, audiunt qui quovis titulo regunt res vel personas, sive Superiores sint, sive simplicem habeant administrationem. Exceptis Abbatibus *vere nullius*, alii Praelati Regulares non veniunt nomine *Ordinarii locorum*.

II. **Praelatorum Regularium divisio.**—Ratione *potestatis* triplex distinguitur Praelatus in quolibet Ordine; nempe: *supremus*, qui dicitur Generalis, vel Prior Generalis, vel Abbas Generalis, vel Magister, Minister, Praepositus, Director aut Superior Generalis; *medius*, seu Provincialis, et *infimus*, qui vocari solet Prior, Rector, Custos (*Guardián*), vel Superior Localis. Quoad infimos vero, nonnulli negant eos esse praelatos; sed communiter affirmatur. Nota in Ordinibus monachalibus deficere plerumque praelatos medios, nec raro adesse in aliis gradum *Commissariorum* inter Provinciales et Generalem.

Ratione *durationis*, Praelati et Superiores dividuntur: in *perpetuos*, uti Abbates monachorum (1) et Praepositus Generalis S. J., et *temporales*, puta ad sex vel duodecim annos, uti habentur in quamplurimis Religionibus.

III. **Praelatorum Regularium electio.**—Iisdem fit modis ac aliorum Officiorum provisiones; puta: per *liberam collationem* Rom. Pontificis, per *praesentationem* a S. Apost. toleratam, per *reservationes*, per *Vicarii* ab antecessore designati approbationem, per *abbates commendatarios*, quorum pauci supersunt inter Cardinales, sine jurisdictione tamen interna; et magis ordinarie, ubi de *Officialibus Superioribus* agitur, per proprie dictam *electionem capitularem*. De hac modo quaerimus quidnam speciale prae ceteris electionibus contineat, sive quoad *electores*, sive quoad *eligendos*, sive quoad *formam* electionis. De subsecuta *benedictione* jam satis dictum est; pauca de *confirmatione* et *duratione* annectenda. *Ceteri Officiales* aut in capitulo, aut ab uno Generali, vel Provinciali, consi-

(1) Abbates perpetui solemniter benedicti dicuntur *infulati*, ceteri *non infulati*.

lio Capituli vel sine eo eliguntur. Principii loco statuendum est, servandas esse peculiares cujusque Ordinis Constitutiones a S. Sede approbatas, iis exceptis, quae omnibus Ordinibus a jure communi servandae praescribuntur, nec auctoritate apostolica correctae fuerunt.

1.° Hoc praenotato, in primis *electores* debent esse professi in conventu, cujus Praelatus est eligendus (c. 47 h. t.), clerici et quidem *subdiaconi*, saltem juxta communem Tridentini interpretationem, et nulla censura aut inhabilitate irretiti. Ab eligendi jure excluduntur conversi; mendicantes, qui etiam cum beneplacito apostolico ad Ordinem non mendicantem transierint (Clem. 2. de Reg.); et per biennium eligere nequeunt, qui votum paupertatis violaverint (Trid. sess. 25, c. 2. de Reg.).

2.° Etiam *eligendi* debent esse professi professione quidem expressa et solemni, habere aetatem 25 annorum et alias qualitates communes (Trid. sess. 25, c. 21). Supra memorati, qui eligere nequeunt, etiam privantur jure passivae electionis.

3.° Quoad *formam*, electio fieri debet per vota secreta, ita ut numquam possint publicari eligentium nomina, neque absentium vota suppleri queunt per procuratorem; alioquin electio est irrita, et electus ei consentiens, fit inhabilis ad omnia officia in Religione obtinenda (Trid. sess. 25, c. 6 de Reg.). Non est sublatum per Tridentinum *compromissum*, si hoc fiat per vota secreta. Ceterum, non omnis publicatio votorum obest valori electionis; sed tantum, permittente aut non contradicente Capitulo; et hoc tantum probabilius, quia etiam in hoc casu non desunt auctores, qui unius voti manifestationem non obesse valori electionis affirmant, praesertim, si Capitulum id bona fide permittat (Pasq. Dec. 264, 3; Bord. XXV, 3, et Rag. 197, s.). Si manifestatio fiat, inscio Capitulo, in fraudem electionis, certo non obesset; si non fiat in fraudem, disputatur. Manifestatio post electionem, inclusa confirmatione, vel etiam ante electionem facta, non vitiat electionem, secus haberi non possent tractatus praevii, qui tamen liciti et obligatorii probabilius sunt, si fiant privatim.

Ad valorem scrutinii ordinarie sufficiunt vota absolute majora; quandoque vero ob gravitatem officii vel alias duae tertiae partes exiguntur, et in officiis minoribus

major pars relativa suffragiorum regulariter sufficiens censetur.

Dicuntur suffragia in ipsa electione publicari, si quilibet absque scrutatoribus suum suffragium det publice; si, assumptis scrutatoribus, hi vocalium votum publice audiunt; si cum scrutatoribus adsint extranei, qui vel suffragia audiant vel schedulas legant; si scrutinium publicando, scrutatores nomina publicent eligentium; si eligentium nomina, in electionis decreto ad superiorem confirmantem transmittendo, inscribantur, et si confirmator in confirmationis decreto eligentium nomina publicet (Piat, De jure Reg., t. I, p. 527).

4.° Electionem subsequitur acceptatio electi et *confirmatio* S. Congr. EE. et RR. vel Generalis Ordinis, nisi aliud speciali jure sit cautum; sine ea non possunt capere possessionem nec administrationem praelaturae. Plures tamen Ordines privilegio fruuntur, quo rite electi pro confirmatis habentur, puta: O. M., O. P., et S. J.

5.° Quoad *durationem* in plerisque Religionibus etiam Supremi Superiores eliguntur ad determinatum tempus, v. g.: trium, sex, duodecim annorum, et haud raro prohibetur *immediata reelectio;* aut nonnisi sub debitis cautelis permittitur.

IV. **Potestas Praelatorum Regularium.**—Duplex est haec potestas: *dominativa* vi professionis, et *jurisdictionis* ex delegatione pontificia.

1.° *Vi potestatis dominativae* curant observantiam regularem; urgent Constitutiones, possunt dare praecepta formalia, non tantum singulis, sed etiam toti communitati, modo Regulae consentanea sint et portabilia; vovere valent cum subditis ad bonum Instituti; subditorum vota, quae ipsorum licentia egeant, irritare; bona communitatis soli vel cum Capitulo administrare; denuntiationem paternam et canonicam recipere; subditorum bonum, correptionem atque informationem spiritualem juxta Constitutiones curare, exceptis quoad hanc Ordinibus laicorum vi decreti *Quemadmodum*, et rectae administrationi vel tutelae legitimae Instituti vel domus adlaborare.

2.° *Quoad potestatem jurisdictionis* distinguendae sunt: **a)** ipsorum potestas legifera; **b)** potestas dispensativa; **c)** potestas absolutiva, et **d)** potestas coërcitiva.

a) *Quoad potestatem legiferam*, possunt ferre leges,

sed tantum in Capitulo Generali pro toto Ordine, et in Provinciali pro Provincia, ubi Constitutiones id permittunt.

Hoc de jure communi, quia aliter statuere possunt Ordinis Constitutiones, uti apud PP. Carmelitas, etc. Unde Generalis legem proprie dictam ferre nequit sine consensu Capituli.

b) *Quoad potestatem dispensativam*, dispensare possunt cum suis subditis in generalibus Ecclesiae legibus, iis in casibus, quibus possunt Episcopi cum suis; item in votis, exceptis substantialibus Religionis eisque adnexis, vel juramento aut promissione firmatis in utilitatem tertii; in irregularitatibus, ut explicatum est (p. 72, n. 3.°), in Regulis Ordinisque Constitutionibus, justa tamen de causa, et in casibus particularibus tantum, dummodo ipsa Regula vel Constitutiones dispensationem non prohibeant; in poenis ob delicta occulta jure communi impositis nec specialiter reservatis, atque in poenis *latae sententiae*, v. g., inhabilitatis, et etiam *ferendae sententiae* ob adulterium et delicta minora, non vero in aliis per se loquendo.

c) *Quoad potestatem absolutivam*, possunt absolvere suos subditos a casibus et censuris non reservatis; a reservatis vero, iis tantum in adjunctis, in quibus et confessarii regulares, ut supra dictum est. Ipsi soli *proprio jure* absolvere possunt habitualiter a reservatis intra Ordinem tantum.

Sua potestate absolvendi a censuris, si proveniat ex speciali privilegio, et contrarium in indulto non imponatur, uti possunt extra sacramentalem confessionem; idemque dicendum, juxta communem sententiam, si proveniat ex Concilio Tridentino.

d) *Quoad potestatem judiciariam et coërcitivam.* Quamvis ea, quae provenit ex potestate dominativa, restringatur ad coërcendum modo paterno; quae provenit ex jurisdictione, perfectam importat potestatem judicialem et coërcitivam, ita ut Superior possit inquirere, cognoscere causas subditorum, et poenas tam spirituales quam temporales subditis infligere, suspendere ex informata conscientiâ et ab officiis eos removere, saltem si electiva non sint.

V. **Obligationes Praelatorum Regularium.**—Praecipuae sunt sequentes: 1.° *Professionem fidei* juxta formam a Pio IV

traditam et a Pio IX adauctam intra duos menses a die adeptae Praelaturae emittere. Usu tamen recepta non est, nisi proiis, qui a S. Apost. instituuntur. 2.° Curare et zelare *observantiam* Regulae et ordinationum capitularium in seipsis et in subditis; unde peccant graviter, si absque causa legitima dispensent in regula graviter obligante, et leviter, si a regula vel ordinatione leviter obligante, nisi exinde notabiliter labefactaretur regularis disciplina; tunc enim graviter peccarent. 3.° *Inquirere* et *corrigere* subditorum defectus, et hoc tamquam pater et tamquam judex, juxta opportunitatem. Inquirere nequit tamquam judex, nisi praecesserit alicujus infamatio, accusatio aut denuntiatio. 4.° *Punire* delinquentes ad normam juris. 5.° *Monasteria* et *prioratus* sibi subditos per se, et, si impeditus sit, per alium ex officio *invisere*, tempore ab statutis Ordinis praescripto. 6.° *Legere* facere in publica mensa vel in Capitulis diebus praescriptis *Decreta* et Constitutiones Apostolicas *De largitione munerum*, Decreta *ad S. Officium* pertinentia, *de celebratione Missarum*, *de Regularibus apostatis et ejectis*, *de Reformatione Regularium*, et *Romani Pontifices*, *de qualitatibus eligendorum*, et in Italia *Regulari Disciplinae*, *De Doctrina christiana*, *de promotione ad officia incompatibilia*. Consuetudo alicujus Provinciae potest praevalere contra hanc lectionem. 7.° *Administrare et conservare* bona communitatis tamquam probi patresfamilias. 8.° *Servare* libros in bibliotheca. 9.° *Onera missarum perpetua* suscipere nequeunt sine Generalis vel Provincialis consensu et licentiâ in scriptis et gratis concedenda, sub poena privationis officiorum, vocis activae et passivae et inhabilitatis ad officia. Nec absque venia S. Apost. possunt *onera* reducere, aut mutare, neque eleemosynas *manuales* accipere, quibus satisfacere nequeant intra congruum tempus. Pateat tabella onerum perpetuorum et temporalium, et distinctim conscribantur uti et missae manuales. Quae onera in fine anni reliqua fuerint, tradi debent propriis Ordinariis. Superiores Locales in Provincialibus Capitulis vocem activam et passivam habere nequeunt, nisi prius exhibeant attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventûs subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel quod residuis intra breve tempus satisfieri possit (Const. *Nuper* Innoc. XII, et S. C. C. *Vigilanti*, 25 Maj. 1893). 10. Curare debent ut lectio S. Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomada habeatur (Clem. VIII, Const. *Nullus omnino*). 11. Missam interdum pro ovibus suis offerre.

VI. **Electio et potestas monialium.**—1.° *Electio.*— Qualitates *eligendae* in abbatissam vel praefectam mo-

nialium sunt: **a)** ut sit virgo, saltem existimata (can. 12, cau. 20, q. 1); **b)** legitime nata; **c)** non minor annis 40, et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit (Trid. sess. 25, c. 7 de Reg.). Si una tantum his qualitatibus ornata adsit in monasterio, ea debet eligi (Decr. S. C. EE. et RR. 25 Mart. 1623). Si vero nulla adsit, ex alio conventu ejusdem Ordinis potest eligi, vel si Episcopo, aut ei, qui praeest electioni, melius videatur, eligatur quae annum 30 excesserit et quinque saltem post professionem laudabiliter vixerit (Trid. ibid.). *Eligentes* sint *choristae*.

Quoad *formam*, praesens erit Episcopus, vel alius Praelatus, qui tamen cum scrutatoribus claustra monialium non ingrediatur; sed per cancellorum fenestrellam vota excipient, nisi necessitas et tranquillitas electionis aliud suadeat, juxta Const. Greg. XIII *Ubi gratiae*. Vota secreta dantur a professis; et si electio celebrata sit in concordia, sufficit major pars absoluta suffragiorum (c. 42 h. t.); si vero in discordia, duae partes ex tribus requiruntur, quas nonnulli auctores sine distinctione exigunt. Datur etiam accessus, sed tantum ei, quae plura prae aliis obtinuit suffragia (C. 43 h. t. in 6.[6]).

Ex Const. Greg. XIII *Exposcit debitum* pro Italia et Insulis adjacentibus, electio Superiorissae fieri debet ad triennium tantum; quam dispositionem extendit S. Congr. EE. et RR. ad moniales improprie dictas. Superiorissae Generales generatim iterato eligi possunt; at *secunda confirmatio* valida non est, nisi pars duplo major votorum conspiret in eamdem personam et insuper a S. Sede electio approbetur (Cf. S. C. EE. et RR. 22 Maj. 1896 ad 12; et 4 Maj. 1901).

Abbatissae, ubi *soleant benedici*, benedictionem infra annum a confirmatione petere debent sub poena privationis officii (Clem. l. III, t. 10, c. 2.).

2.° *Potestas monialium*.—Abbatissae carent *jurisdictione*; gaudent tamen potestate *dominativa*, non secus ac Superiores Regulares, quatenus sexus conditio id ferat, et dempta facultate exigendi vel suadendi rationem conscientiae (Decr. *Quemadmodum*).

VII. **Scholion de regimine Congregationum.**—1.° *Superiores Congregationum exemptarum* exemptione proprie dicta propriarum Constitutionum normas sequi debent pro electione, et gaudent vera *jurisdictione* in personas

et domos; ecclesiae vero eorum ab Episcopi visitatione non sunt immunes (Ex Conc. Trid. sess. 7, c. 8 et ex decl. Gregorii XVI in *Pesiariolensi*). Quoad *obligationes* communi jure utuntur et *Regularium* nomine non veniunt, ideoque ipsorum specialibus obligationibus non subjacent, puta: circa decreta legenda, circa onera missarum recipienda vel testificanda, etc.; ac proinde easdem ac Congregationes non exemptae obligationes habent, iis exceptis, quae juri exemptionis repugnant.

2.° *Superiores Congregationum* non exemptarum in eadem conditione versantur ac Superiores exempti, citra jurisdictionem, ut patet; et, si laici fuerint vel sorores, subjacent decreto *Quemadmodum*. Nihil tamen prohibet, quominus religiosi clerici *delegatam* a Parocho vel Episcopo jurisdictionem accipiant, et pluribus in locis usus fert, ut Superiores communitatis habeantur *quasi-parochi* ad *sacramenta*, imo ad *funera* perficienda pro suis.

Normae (1) loquuntur de Superiore Generali ejusque Consilio, de Secretario Generali et Oeconomo generali, de Provinciis et earum Moderatoribus, de domibus et Superioribus Localibus, de Magistro novitiorum aliisque minoribus officiis.

a) *Superiori Generali* tribuitur onus gubernandi et administrandi et demandandi munera et procurationes, et singulis saltem triennis per se, vel per alium a se delegatum, totum Institutum visitandi cum socio, et denique quovis etiam triennio de statu sui Instituti disciplinari, materiali, personali et oeconomico ad S. Congr. referendi cum fide Episcopi domus principalis (2). Superior Generalis non potest esse simul Superior Localis, nec ei licet authentice interpretari vel qualitercumque mutare Constitutiones vel dispensare ab iisdem (intellige citra modum quo Superior Localis), neque pro libito constituere sibi Vicarium, aut vocem activam aut passivam concedere (n. 252 ad 263).

b) *Superior localis*, durante officio, nec deponi potest, nec

(1) Notetur has *Normas*, quatenus aliunde a Sede Apostolica praecepta non contineant, Constitutiones a S. Sede jam approbatas non immutare. Attamen illae inserviunt ad dubia, quae circa ipsarum dispositiones oriantur, interpretanda, et ad supplendum quae in ipsis desiderantur. Pro Constitutionibus, autem, non approbatis *normas* vere statuunt, quibus subjici debent, ut a Papa approbationem obtineant.

(2) Postrema haec dispositio de *fide Episcopi* non videtur afficere Congregationes religiosas clericorum, ut eruitur ex Const. *Conditae*.

alio transferri, nisi gravem ob causam, quae suffragio decisivo Consiliariorum generalium sit probata (n. 310); vera fruitur *potestate*, quae in ipso ut proprio subjecto a Constitutionibus inest, nec mere Vicarius est Superioris Generalis (n. 312). Hac potestate valet in casibus particularibus religiosos quosdam *ab observantia* alicujus art. Constitutionum *eximere* (n. 316).

c) *Quoad electiones* distinctis scrutiniis eliguntur a Capitulo Generali *Superior Generalis*, ejus *Consiliarii*, *Secretarius Generalis* et *Oeconomus Generalis* (*Normae*, n. 231 et 239).

d) *Superior Generalis* debet 40 saltem annos esse natus et a quinque saltem annis perpetua fecisse vota (n. 231). Non tamen repugnat, ut, si videatur expediens, genere quodam *postulationis*, electores designent suffragiis aliquem junioris aetatis vel recentioris professionis, cui tunc impetranda erit pontificia dispensatio in aetate. Plerumque in 6 vel 12 annos eligitur (n. 207) per partem absolutae majorem suffragiorum. Si tamen tria scrutinia sint in casum tentata, *in Europa* electio transit ad S. Congregationem, ad quam acta electionis statim mittantur; *extra Europae* fines, quartum fit scrutinium, in quo vocem passivam non habent, nisi duo qui in tertio scrutinio erant numero suffragiorum potiores. E quibus, si in quarto scrutinio parem obtinuerint numerum suffragiorum, praefertur is, qui prior vota nuncupaverit (n. 233 et 234). Si in sex annos fuerit electus, potest iterum eligi: ut autem in tertium, idque *continuum* eligatur sexennium; vel iterum eligatur, qui duodecim annorum susceperit administrationem, requiruntur duae tertiae partes omnium suffragiorum et confirmatio S. Sedis; ante quam proinde non poterit in muneris sui possessionem venire (n. 235, 236 et 239).

e) Ad cetera munera Capitulum Generale eligere debet ex professis perpetuorum votorum, qui triginta quinque saltem annos sint nati. Officium autem Secretarii Generalis committi potest uni ex Consiliariis, non tamen primo (n. 240 et 241). Qui autem ex Consiliariis primus eligitur, simul est Superioris Vicarius, ita ut absentis a domo principe, vel impediti, vel privati officio vices suppleat (n. 243 et 278). Eliguntur autem ad proximum Capitulum, nec deponi possunt, nisi ex gravi causa et a solo Consilio Generali. Assistentium generalium depositio est a S. Sede confirmanda (n. 245). Eodem denique modo quo Superior Generalis eliguntur reliqui, nisi quod in tertio scrutinio ipsis satis sit partem *relative* majorem suffragiorum retulisse (n. 242).

PUNCT. II.—DE OFFICIIS PRAECIPUIS QUAE PARTICIPANT REGIMEN REGULARIUM

Regimine intrinseco Regularium aliquatenus participant ratione officii Definitores, Procurator Generalis et Visitator. Ea igitur videnda: I. Definitores Regularium. II. Scholion de Consiliariis generalibus Congregationum. III. Procurator Generalis. IV. Visitator Regularis.

I. **Definitores** seu *consultores* vel *assistentes* dicuntur sacerdotes professi de familia ejus Religionis seu Provinciae, pro qua eliguntur, assistentes Praelato Superiori ad decidendum graviora Religionis seu Provinciae negotia. Duplicis sunt classis; *Generales*, qui Generali, et *Provinciales*, qui Provinciali assistunt. *Individualiter* carent jurisdictione.

Definitores, si considerentur collegialiter, in casibus jure non exceptis, sunt *conjudices* in causis, quae apud Generalem vel Provincialem pertractantur; unde habent votum decisivum. Excipiuntur tamen *Assistentes* S. Jesu, quorum votum est tantum consultivum, et in pluribus religionibus Consultores Provinciales. Habent etiam praecedentiam honoris.

Ipsorum officium est: 1.° Libere et clare suam prodere sententiam sub gravi vel sub levi pro negotii qualitate, a qua obligatione non excusantur consideratione, quod sua contradictio aegre sit a P. Generali vel Provinciali ferenda, neque metu a Superiore ipsis incusso, neque persuasione, quod alii sententiam minime sunt mutaturi. Tum ad tuendam hanc libertatem contra affectum sanguinis, tum ne veluti in familia negotia pertractari videantur, prohibitum est duos fratres carnales esse simul in eodem Definitorio (Const. Urb. VIII *Exponi nobis*), vel unum Provincialem et alterum Definitorem esse in eadem Provincia. 2.° Definitores contradictores tenentur suam signaturam deliberationi apponere, quamvis non teneantur sententiam mutare. Utrum jus habeant exigendi ut ipsorum sententiam cum suis motivis in deliberatione consignetur, communius et probabilius affirmatur. 3.° Tenentur servare secreta Capituli; quoad alia, tantum si sub obedientiae praecepto eis secretum imponatur. 4.° Residere penes Generalem vel Provincialem.

II. **Consiliarii Generales Congregationum.**—*Normae* haec habent: 1.° Religiosi Superioris Generalis a consiliis in *rebus majoris momenti* suffragium decisivum habent.

Ea negotia quandoque solius Consilii, quandoque etiam Episcopi vel S. Congr. approbatione indigent. *Episcopi* consensus requiritur pro erectione novarum domorum; *S. C. EE. et RR.* pro suppressione domorum, erectione et translatione novitiatuum, erectione novarum Provinciarum, mutatione vel translatione sedis generaliciae, rerum immobilium et mobilium pretiosarum alienatione et etiam oppigneratione, et tandem pro dimittenda sorore perpetuo professa; sufficit vero, auctoritas *Consilii Generalis* pro nominatione Superiorum Localium et Magistrorum novitiorum, prorogatione ad tempus officii Superioris elapso triennio justaque de causa, dimissione novitii vel sororis ad tempus professae, depositione alicujus Consiliarii vel Magistri novitiorum vel etiam Superioris, si ex gravi causa necessaria videretur, designatione Visitatoris Generalis totius Instituti, qui non sit de gremio Consilii Generalis, determinatione loci Capituli Generalis, substitutione alterius consiliarii usque ad capitulum instans in locum prioris demortui, vel depositi, vel perpetuo impediti, et pro pactis faciendis, rationibus reddendis, debitisque contrahendis (n. 271-272).

2.° «Si quando in *hujusmodi negotiis excutiendis* suffragia secreta hinc inde aequalia penderent, suffragium Superioris Generalis praevaleret atque rem dirimeret. Secus vero *in electionibus*. Electiones numquam fient nisi in *consilio pleno*; quod si aliquando unus ex Consiliariis partem habere non possit, in ejus locum vocetur Superior domus, et si adhuc alter desit, unus ex professis votorum perpetuorum domus a Consiliariis eligatur» (n. 273). Acta et processus scribantur a Secretario Generali (n. 275).

3.° Expedit in Constitutionibus statuere aliquas convocationes consilii in anni decursu regulariter habendas. Ceterum Superior consilium suum convocet quoties negotia Instituti id exigant (n. 274).

4.° Consiliarii penes Generalem resideant; in casu necessitatis duo ex illis extra degere poterunt, modo consilio intervenire facile possint; iis alia officia committi non debent, quae praecipui eorum muneris exercitium praepedirent; et tandem secretum diligenter servare circa ea, quae eorum fidei sive in consilio, sive extra, commissa sunt, alias serio moneantur et etiam puniantur (n. 276-286).

II. **Procurator Generalis.**—Dicitur talis, qui Ordinis negotia apud S. Sedem gerit.

Ejus munera sunt: 1.° Romae residere. 2.° Omnia negotia, sive totius Ordinis, sive totius Provinciae, sive singulorum conventuum, sive etiam singulorum religiosorum per ipsum

expediri debent, ita ut nemo absque sui licentia tractare possit cum S. Pontifice et Cardinalibus, nec quibuslibet Romanae Curiae Officialibus; alias indulta obtenta nulla sunt, illaque obtinentes vel iisdem uti praesumentes, ipso facto incurrunt excommunicationem latae sententiae et privationem vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum obtentorum et perpetuae inhabilitatis ad illa (Const. Clem. X *Ex injuncto*). 3.° Provincialibus transmittere Decreta a S. Pontifice vel a SS. CC. emanata, ut ipsa in toto Ordine serventur.

Ejusdem jura.—1.° Voce activa gaudent in Capitulo Generali; et etiam passiva, praeterquam ad Generalatum et ad Procuratoratum. 2.° Independens est a quovis Ordinis Praelato, praeterquam a P. Generali; item et ejus socii, qui tamen a Procuratore Generali dependent. 3.° Praecedentiam habet ante omnes alios, dempto Generali. 4.° Jus habet orandi in Capella Pontificia, et ibi incedit post Episcopos et Generales Ordinum. 5.° Expleto officio, voce gaudet activa et passiva in omnibus suae Provinciae Capitulis.

III. **Visitator Regularis.**—Duplex est: alius ordinarius, cui ex officio visitatio competit, alius delegatus, qui vices gerit Ordinarii. Primi potestas eadem est ac extra visitationem; secundi potestas pendet a voluntate delegantis, qui illi totam suam potestatem communicare potest, vel intra praefinitos limites. Visitatio utriusque potest esse vel *ordinaria*, in qua inquiritur de regimine monasteriorum et de vita personarum regularium, vel *extraordinaria*, in qua judicialiter inquiritur super delicto aliquo in specie, vel contra certam et determinatam personam.

Visitationis ordinariae finis est: "ut Praelatus, tamquam Pastor, vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra Regularem observantiam aliasque obligationes corrigere, castigare et emendare, bene ambulantes praemiare, ac quemvis juxta qualitates et merita promovere, media convenientia contra defectus vel excessus praescribere, sicque observantiam et disciplinam regularem restituere, conservare et augere valeat„ (Reiff.).

Ad hunc finem consequendum potest Visitator praecipere religiosis, ut sibi quaevis delicta manifestent, si qua patrata fuerint; subditique tenentur ea manifestare, si excipias: 1.° Peccata, quibus certo constat a Visitatore nullum remedium esse afferendum. 2.° Si frater jam sit emendatus, excepto casu, quo religiosus in proximo versaretur relabendi periculo; nisi anterior ejus lapsus Superiori manifestetur. 3.° Delictum non ex

consuetudine, sed ex fragilitate ob fortuitam peccandi occasionem commissum. 4.° Patratum jam a longo tempore. 5.° Peccata, quae audierunt tantum, sed non viderunt, nisi ob delicti gravitatem a Visitatore etiam de auditis respondere praeciperentur. 6.° Peccata, quae norunt jam esse Visitatori denuntiata, vel judicant ab aliis esse denuntianda, si praedictorum denuntiatio sit ad emendationem sufficiens. 7.° Illa, quae jam Superiori Locali vel Provinciali denuntiata sunt, nisi alias constet a Superiore nullum adhibitum fuisse remedium. 8.° Peccata religiosis revelata ad petendum consilium vel remedium (Piat, T. I, Part. IV, cap. II, q. 16).

Visitator, cui tamquam Patri denuntiatur delictum, potest de eo disserere cum suo consultore vel cum aliis, si id tendat in spiritualem delinquentis utilitatem, et dummodo eis secretum imponat. Ex tali vero paterna denuntiatione, juxta nonnullos, potest ad delinquentis punitionem procedere, dummodo poena sit moderata et talis, ut neque delinquenti infamiam irroget, neque delictum, si grave sit, manifestet; quia hujusmodi punitio limites paternae correctionis non excedit. Sed alii negant, praecipue per poenas ordinarias a jure statutas, nisi delictum sit notorium et probabile in judicio, vel directe in damnum communitatis vergens. In aliis casibus poterit delinquentem severe corripere, quo nolente sese emendare, Visitator non habet amplius quid faciat, nisi orare pro eo, eum invigilare, et occasiones auferre, quae absque delinquentis infamia auferri possunt.

An vero Visitator a denuntiatione paterna ad judicium procedere possit, affirmant nonnulli, si delictum denuntiatum cedat in damnum communitatis vel tertii, et per denuntiationem paternam ei sufficiens non afferatur remedium, ad quod, juxta hos, potest Visitator instituere fiscalem, qui causam denuntiet, et interrogare primum denuntiantem ceu testem: sed alii rationabilius negant, si paterne denuntians nolit judicialem facere denuntiationem; unde hoc casu Visitator debet talia crimina judicio Dei relinquere; non enim semper punitio delictorum requiritur ad bonum commune, sed aliquando plus confert ad illius bonum, ut fama proximi custodiatur, quam ut delictum unius puniatur.

Punct. III.—de capitulis religiosorum

I. Capitula Regularium. II. Capitula Congregationum.

I. **Capitula Regularium.**—Videamus: 1.° quid sit Capitulum Regulare; 2.° quotuplex; 3.° a quonam convocandum; 4.° ad quid, et 5.° quinam convocandi.

1.° *Quid sit.*—Capitulum Regulare est adunatio religiosorum pro negotiis ad Religionis propriae statum pertinentibus.

2.° *Quotuplex.*—Triplex est: *Generale*, seu totius Ordinis; *Provinciale*, seu unius Provinciae, et *Locale*, seu unius domus vel conventus.

3.° *A quonam convocandum.*—Ab eo qui Capitulo praesidere debet, nisi aliud Constitutiones Ordinis determinent.

4.° *Ad quid.*—Ad agendum de negotiis majoris momenti, v. g.: pro electionibus, pro condendis legibus, pro casuum reservatione, pro bonorum Ordinis alienatione, pro Magistri novitiorum ejusque socii nominatione; pro acceptatione vel desertione conventuum.

5.° *Quinam convocandi.*—Qui jus habent assistendi secundum Regulas vel Constitutiones cujusque Ordinis. Extranei, juxta communem sententiam, admitti etiam possunt, sive cum voto consultivo, sive decisivo, dummodo omnes Capitulares unanimiter in id consentiant, et non agatur de Capitulo pro electionibus.

II. **Capitula Congregationum.**—1.° *Quando convocandum.—Generale* convocandum est quoties electiones generales sive ob elapsum tempus officii Superioris Generalis (*Ordinarium*), sive ob ejus mortem, depositionem vel resignationem (*Extraordinarium*) faciendae sunt; Capitulum vero medium inter duo electiva pro solis negotiis pertractandis, non admittitur, nisi ex licentia S. C., vel in iis Institutis, in quibus electiones duodecimo quovis anno locum habent. Convocatio fiet per epistolam Generalis vel Vicarii, et quidem intra trimestre vel semestre ante incipiendum Capitulum; prout Institutum domus in Europa tantum vel extra etiam habuerit (*Normae*, n. 205-212).

2.° *Quinam assistere possint.*—Vocem in Capitulo habent Generalis, Consiliarii, Secretarius Generalis, Oeconomus Generalis, etsi, factis electionibus, alii ipsis fuerint suffecti; et etiam possent habere vocem ii, qui Superioris Generalis officio functi sint, si id tulerint Constitutiones. Ulterius in Institutis, quae Provincias non habent, admittuntur omnes Superiores Locales et unus delegatus a vocalibus hujusmodi domorum, in quibus duodecim religiosi degunt; parvae enim domus uniri debent proximioribus vel majoribus ad effectum electionis. Si vero Institutum Provincias habeat, soli Superiores Provinciales accedant cum duobus delegatis ex qualibet provincia, eligendis in *Capitulo Provinciali*, hoc est, a Superiore et consi-

liariis provincialibus cum superioribus domorum duodecim religiosorum et totidem delegatis et supplentibus ipsorum a religiosis istarum domorum et domorum minorum eligendis (*Normae*, n. 213-222).

3.° *Quomodo celebrandum.*—Ad validitatem actorum Capituli Generalis requiritur, ut saltem duae tertiae partes vocalium intersint (n. 239). Electiones fieri debent juxta normas a nobis traditas, et a *Normis* late explicatas (n. 224-245). Alia negotia graviora definiri debent per majorem suffragiorum electorum partem, eaque dirigi a novo Superiore Generali qui proinde vocari debet, si absens fuerit. (n. 246-248).

4.° *Capituli potestas.*—Capitulo stabiles durationes non sunt praefigendae (n. 249). Capitulo fas non est *Constitutiones* approbatas modificare, vel authentice interpretari, nisi accedente confirmatione S. Sedis; *Ordinationes* vero Capituli in vigore manent usque ad proximum Capitulum (n. 250-251).

§ III.—DE REGIMINE EXTRINSECO REGULARIUM

Nomine regiminis extrinseci intelligimus Regularium subjectionem Praelatis extraneis, seu aliis verbis, agendum est de Regularium exemptione. Et quoad hoc, sedulo distinguendi sunt: I. Regulares proprie dicti, et II. Instituta votorum simplicium.

I. **Regulares proprie dicti.**—Gaudent omnes privilegio exemptionis a jurisdictione Ordinariorum, quamvis disputetur circa naturam hujus exemptionis, nam alii dicunt eam esse activam, vel saltem mixtam, aeque principaliter attingentem loca et personas; alii, e contra, rationabilius docent illam regulariter esse passivam tantum; quia religiosorum loca non sunt exempta, nisi ratione personarum. Et dicunt *regulariter*, ob loca religiosa quae sunt nullius dioecesis. Ceterum, plures sunt casus, in quibus Regulares Episcopo subduntur.

Ecce praecipui: 1.° Si non adsint in conventu 12 religiosi quoad monasteria fundata post Constitutionem Urbani VIII *Cum saepe*, 1625; quam Constitutionem, quoad hoc Decretum, ubique vigere declaravit S. C. C. Quoad antea fundata, in Italia et Insulis adjacentibus, requiruntur ad exemptionem sex religiosi, quorum quatuor sint sacerdotes (Const. Innoc. X *Ut in parvis*).

2.° Regulares subduntur Episcopo in iis, quae ad animarum curam spectant; sed excipiuntur monasteria, in quibus

Abbates Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, et ecclesiae nullius dioeceseos.

3.° In iis, quae ad sacramentorum administrationem saecularibus personis factam spectant, subduntur Episcopo tamquam Sedis Apost. delegato; sed non Praelatis inferioribus.

4.° In iis, quae ad missarum celebrationem pertinent, modo quo infra dicetur.

5.° Quoad solemnem expositionem SSmi.; eam tamen facere possunt, absque licentia Episcopi, intra hebdomadam Corporis Christi inter Missarum solemnia et ad Vesperas. In aliis casibus requiritur licentia expressa et specialis Episcopi, nisi fieri soleant cum tacita.

6.° In iis, quae confessiones personarum saecularium spectant.

7.° Quoad praedicationem, Indulgentiarum publicationem et Reliquiarum expositionem.

8.° Quoad librorum impressionem.

9.° Quoad quaestuationem, si de non mendicantibus agatur (S. C. EE. et RR., 20 Jan. 1769). Mendicantes quaestuare possunt in locis, ubi monasteria existunt; si extra haec loca, sed intra dioecesim velint quaestuare, tenentur Superiorum suorum licentiam Episcopo ostendere; ad quaestuandum vero extra dioecesim, indigent Ordinarii licentia. Moniales nequeunt quaestuare per se.

10. Quoad processiones duplici modo; nam in primis tenentur assistere processionibus Sanctissimi in die Corporis Christi, in Litaniis Majoribus, in Rogationibus ac in aliis quibusvis publicis et consuetis, vel quae pro bono publico ab Episcopo indicuntur; et quidem sub censuris ad assistendum cogi possunt. Exempti, vero, sunt ab hac obligatione, qui strictiori clausura vivunt, uti Carthusiani et Eremitae Camaldulenses; Regulares, quorum monasterium ultra dimidium milliare distat a loco, in quo habenda est processio, nisi vigeat consuetudo, quod, non obstante distantia, ad processiones accedant; qui ex consuetudine legitime praescripta ejusmodi processionibus non solent interesse; qui speciale habent privilegium Concilio Tridentino posterius, ut PP. S. J., Carmelitae, Theatini, et Clerici Scholarum Piarum, in quo tamen non datur privilegiorum communicatio, et qui non sunt vocati saltem per edictum. Quaestiones de praecedentia ab Episcopo, remota appellatione, resolvuntur. Secundo loco, Regulares, quamvis sine licentia Episcopi possint facere processiones intra claustra vel Ecclesiam, sicut et confraternitates, minime vero extra Ecclesiam, nisi haec claustro careret; tunc enim liceret eas facere prope muros exteriores Ecclesiae. Excipitur processio Sanctissimi, Dominica infra octavam Corporis Christi,

quae ex concessione S. Pii V et Gregorii XIII absque licentia Episcopi fieri potest a quibusvis Regularibus; sed hi tenentur incedere per viam semel electam, et nequeunt ingredi Ecclesias monialium, etiam ipsorum regimini subjectarum. Fratres Praedicatores facere etiam possunt S. Rosarii processionem.

11. Quoad Confraternitatum erectionem et aggregationem, etsi de illis confraternitatibus agatur, quae ob speciale privilegium erigi possunt a nonnullis Regularibus, adhuc tamen eas erigere vel aliis aggregare nequeunt, nisi de consensu Ordinarii et cum litteris ejus testimonialibus, quamvis in Ecclesiis Regularium erigendae sint (S. R. C., 7 Oct. 1617). Tertii Ordines non subduntur huic legi, sed utique Congregationes Tertii Ordinis, si lucrari velint indulgentias, quae menstruae Conferentiae addictae sunt.

12. Quoad Pontificalium celebrationem, quam facere possunt Episcopi etiam in Ecclesiis Regularium, dummodo hoc praetextu ibi jurisdictionem non exerceant (Decr. Clem. VIII, 10 Jun. 1603). Excipiuntur ecclesiae vere nullius dioecesis.

13. In causis fidei, seu quae spectant ad S. Officium.

14. Quoad bonorum renuntiationem a novitiis peragendam, ut supra dictum est.

15. Quoad dies festos ab Episcopo praescriptos.

16. Quoad recitandas Collectas ab Episcopo praescriptas.

17. Quoad campanarum pulsationem, quando ab Episcopo generalis pulsatio praescribitur; sed prohibere nequit Episcopus, ne religiosi campanas pulsent, priusquam in Ecclesia digniori, excepto Sabbato Sancto. Regulares de jure nequeunt habere plures campanas, sed unam tantum; huic vero dispositioni Joannis XXII derogatum est per contrariam consuetudinem.

18. Quoad ordinum susceptionem.

19. Episcopo subduntur et Sedis Apost. delegato Regulares delinquentes notorie et extra claustra degentes. Quoad eos, qui degunt intra claustra, sed notorie extra delinquunt, Episcopus potest tempus praefigere Praelato Regulari, ut severe puniatur, et de punitione Episcopus certioretur; alias Superior negligens a suo Superiore officio privandus est, et Regularis delinquens ab Episcopo puniri poterit. Clemens VIII prohibuit, ut delinquens extra dioecesim a Superioribus transferretur, donec Episcopo satisfactum fuerit.

20. Episcopo subduntur apostatae, ejecti et qui, sine licentia suorum Superiorum in scriptis obtenta, extra claustra degunt.

21. Episcopo subduntur Regulares quoad interdicta generalia ab eo promulgata.

22. Relate ad clausuram monialium Regularibus subje-

ctarum jus habet Episcopus visitandi clausuram, rationem exigendi administrationis bonorum, intimatis tamen Superioribus Regularibus ad interessendum, et delinquentes puniendi.

23. Quoad puellarum admissionem ad habitum et professionem religiosam. Nequit tamen Episcopus hac occasione intra Monasterii septa ingredi, nec alias interrogationes puellae facere, quam a Tridentino praescriptas, nempe: «an coacta, an seducta, an sciat quid faciat».

24. Quoad domorum erectionem.

25. Quoad reddendam rationem piarum voluntatum Regularibus commissarum (Clem. *Religiosis* unica, tit. VI *de Test. et ult. volunt.*; Conc. Trid., sess. 22, c. 8 de ref.).

26. Quoad Ecclesiarum receptionem de manibus laicorum.

27. Quoad visitationem Ecclesiarum saecularium ad Regulares pertinentium, iis exceptis, quae immediate a Superiore Generali reguntur, ut supra dictum est. Possunt etiam Episcopi visitare Ecclesias et Oratoria publica grangiarum.

28. In cognitione causae nullitatis professionis, ut dictum est pag. 298 et seqq.

II. **Instituta votorum simplicium.**—Distinguere oportet inter Instituta pontificia, quorum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel Institutum commendavit aut approbavit, et ea, quae Episcoporum solummodo approbationem nacta, *dioecesana* vocantur. Utraque privilegio exemptionis proprie dicto carent; sed *prima* ab Episcoporum potestate subtrahuntur in iis, quae ad regimen interius spectant, et in iis, quae in Statutis et Constitutionibus a S. Sede approbatis continentur (S. C. EE. et RR., 16 Sept. 1864; Leo XIII Const. *Conditae*, VI idus Dec. 1900); dum *secunda*, tum pro eorum constitutione, tum in eorum conservatione et regimine, dummodo jus tertii non laedatur, Dioecesanis fere in omnibus subjiciuntur (Const. *Conditae*, cap. I, n. 1 ad XI), quorum singulorum requiritur consensus ad mutanda Instituta *polydioecesana* (ibid.).

Quoad *prima* Instituta iterum distinctio facienda est inter presbyterorum sodalitia et consociationes feminarum vel virorum, qui a sacerdotio abstinent; in Institutis enim *ecclesiasticis* «de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent»; sed in laicalibus, «Episcopi erit inquirere, num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram pec-

catum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur», et quoad rem oeconomicam Episcopus cognoscere potest, si agatur de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis juvandis (Const. *Conditae*, cap. II, n. XI); ipsa vero administratio ad Moderatorem domus pertinet. De bonis vero Instituti nullam rationem Episcopus exigere potest.

ARTICULUS V.

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS

Hunc articulum in quinque paragraphos dividemus, agentes: I. de Regularium privilegiis in genere; II. de privilegiis circa sacramenta; III. de privilegiis circa praedicationem; IV. de privilegiis circa funera, et V. de privilegiis circa potestatem in variis dispensandi.

§ I.—DE REGULARIUM PRIVILEGIIS IN GENERE

I. Communicatio privilegiorum inter Regulares. II. Revocatio privilegiorum Regularium. III. Confirmatio privilegiorum Regularium. IV. Usus privilegiorum Regularium.

I. **Communicatio privilegiorum inter Regulares.**— Romani Pontifices ante Concilium Tridentinum plura privilegia singulis Ordinibus concesserunt, quae postea omnibus communia evaserunt per privilegiorum communicationem. Hanc communicationem plenissimam statuit inter Mendicantes Leo X per suam Const. *Dudum*, eamque Clemens VIII postea confirmavit etiam cum non mendicantibus, in iis quae decretis Concilii Trid. non adversentur (Const. *Ratio pastoralis officii*). Non mendicantes, juridice tamen religiosi, omnia etiam Mendicantium privilegia participant, ac eodem modo. Quoad, vero, simplices Congregationes religiosas, inspicienda sunt indulta, quibus ipsis communicantur Regularium privilegia; sed, jure communi, hac communicatione non fruuntur. Moniales vero votorum solemnium, sive Regularibus subjiciantur, sive Episcopo loci, gaudent

privilegiis Regularium virorum; Tertiariae vero iisdem dumtaxat indulgentiis; Sorores tandem nullius Ordinis privilegiis gaudent absque speciali privilegio.

Sic Congregationi SSmi. Redemptoris communicata sunt pariformiter privilegia, exemptiones, etc. tribus Congregationibus Doctrinae Christianae, Piorum Operariorum, et Clericorum Discalceatorum Crucis et Passionis D. N. J. C. eousque concessa, et quae in posterum concedantur. Sic etiam Oblatis B. M. V. privilegia Redemptoristarum concessit Leo XII.

Haec vero communicatio intelligenda est de Praelatis ad Praelatos qui in alio Ordine ejusdem sunt dignitatis, licet nominis disparis; de Fratribus privatis ad Fratres privatos; de conventibus ad conventus (nisi ob aliquam specialem rationem localem concessa sint, quam limitationem plures rejiciunt); de festivitatibus ad festivitates; de modo ad modum concessionis sive directae, sive ad instar concessa fuerit. Tamen ex resolutione S. R. C., 20 Mart. 1706, sola communicatione privilegiorum nequeunt Regulares addere nomen S. Fundatoris in *Litaniis* et *Confiteor*, neque recitare Officia, nec Missas aliis religionibus concessas (Const. Julii II *Alias ad supplicationem*).

II. **Revocatio privilegiorum Regularium.**—Certum est plura Regularium privilegia non esse revocata a Concilio Tridentino, ut constat ex ipso Concilio (sess. 25, c. 20 de Reg.); certum etiam est revocata esse ea omnia, quae adversantur decretis hujus sessionis, id expresse statuente ipso Concilio, et ea quae adversantur decretis, in quibus adjecta est clausula privilegiorum revocatoria; sed dubitatur an etiam revocata sint privilegia, quae aliis decretis Tridentini adversantur. Negativam sententiam amplexatum est Concilium Lateranense a. 1725 celebratum, praesidente Benedicto XIII.

III. **Confirmatio privilegiorum Regularium.**—Post Concilium Tridentinum Regularium privilegia confirmata sunt, et quidem in forma speciali, ut constat ex innumeris SS. Pontificum Constitutionibus; additis tamen nonnullis clausulis, quae illa valde restringunt.

Hae clausulae, in Bullis privilegiorum confirmatoriis apponi solitae, sunt sequentes: 1.ª *Quatenus sint in usu*, per quam innuit Pontifex tantum se velle confirmare, quae sint in viridi observantia. 2.ª *Dummodo sacris Canonibus et Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, quae verba communiter copulative intelliguntur pro solis Decretis Tridentini; juxta

alios, pro Decretis tantum illius Concilii, revocatoriis privilegiorum Regularium. 3.ª *Dummodo Constitutionibus Apostolicis non sint contraria*: hanc clausulam intelligunt auctores de Constitutionibus *Apostolicis*, in quibus expresse revocantur privilegia eisdem contraria. 4.ª *Dummodo non sint revocata*, vel *sub aliqua revocatione comprehensa*. Attendendum est ad ultimam revocationem vel concessionem, et juxta illam intelligenda est praefata clausula.

IV. **Usus privilegiorum Regularium.**—Regulares uti possunt privilegiis, ipsis etiam ante Concilium Tridentinum concessis, dummodo revocata non fuerint ab ipso Concilio, vel post ipsum Concilium a SS. Pontificibus, et quidem eis uti possunt, quin teneantur ea exhibere locorum Ordinariis, nisi essent laesiva jurium episcopalium, et simul non notoria vel contenta in authenticis collectionibus, et exhibitio ab Ordinario exigatur; vel nisi exhibitio in indulto expresse praescribatur.

§ II.—DE PRIVILEGIIS CIRCA SACRAMENTA.

I. Circa sacramentum Poenitentiae. II. Circa SS. Eucharistiam. III. Circa alia sacramenta.

I. **Privilegia circa sacramentum Poenitentiae.**—Hic agendum est de Regularibus in Ordine ad confessiones personarum saecularium; circa quod examinanda sunt quae spectant: 1.° ad acquisitionem jurisdictionis; 2.° ad approbationem confessariorum; 3.° ad potestatem confessariorum Regularium.

1.° *Acquisitio jurisdictionis.*—Valde controvertitur inter auctores, a quo eam acquirant Regulares in ordine ad confessiones saecularium. Certum tamen est Episcoporum approbationem, etiamsi supponatur eam a Papa procedere, ex praescripto Tridentini (sess. 23, c. 25 de ref.) adeo esse necessariam, ut, ea deficiente, ipsa quoque jurisdictio a Papa concessa deficiat, et, ea limitata, limitetur. Usus fert, ut Episcopus approbans deleget quantum est ex se jurisdictionem, etsi de mendicantibus agatur. Unde approbatio duo saltem importat: *judicium* de capacitate et *consensum* in jurisdictionis usum.

Circa hanc controversiam quatuor sunt sententiae: 1.ª dicit procedere ab Episcopo; 2.ª a Papa, dummodo a suis Superio-

ribus sint praesentati; sed secundae parti hujus opinionis obstat aperte declaratio S. C. EE. et RR., 2 Maji 1866, juxta quam Religiosus ab Episcopo approbatus valide saecularem absolvit, etiam invito Superiore; 3.ª ait procedere a Papa, mediante tamen Episcoporum approbatione, sive illa approbatio habeatur tamquam conditio ad jurisdictionem obtinendam, sive habeatur solum ut conditio ad illam exequendam; 4.ª mediam tenens viam, docet eam procedere a Papa, sed mediantibus Episcopis et eisdem circumscriptam limitibus, quibus Regularium approbatio ab Ordinario circumscribitur.

2.° *Approbatio confessariorum Regularium.*—Haec approbatio ad audiendas confessiones saecularium competit, ut saepe a S. Congr. C. decisum est, Episcopo dioecesis, in qua confessiones audiuntur. Antequam eam concedat, potest Episcopus per se, per Vicarium Generalem vel alium ad id deputatum Regulares examinare (Conc. Trid. sess. 23, c. 15 de ref.), sed non tenetur, si de eorum idoneitate aliunde illi constet, ut infertur ex verbis Conc. Trid. «*aut alias idoneus judicetur*».

Quoad modum concessionis, potest Episcopus approbationem vel absolute concedere, vel eam limitare quoad tempus, locum et genus personarum, modis tamen usu receptis; unde non licet Episcopo excipere tempus paschale, vel vetare confessiones infirmorum, inconsulto Parocho, cui tamen schedula confessionis peractae relinqui debet. Si absolute illam concedat, nequit idem Episcopus iterum Regularem examinare (Const. Bened. XVI *Apostolicum ministerium*), utique vero ejus successor (S. Pius V, Const. *Romani Pontifices*). Si vero illam concedat ad tempus limitatum, elapso tempore, poterit iterum Episcopus Regularem examinare, cum approbationis renovationem petat. Si illam concedat *ad beneplacitum*, potest ad examen revocare cum voluerit.

Quoad revocationem approbationis, si approbatio data sit ad tempus determinatum, durante praefixo tempore eam revocare nequit, nisi justa de causa confessiones concernente; si data sit usque revocationem seu ad beneplacitum, certo etiam absque causa revocari potest, aut ad tempus limitatum reduci (S. C. C., 16 Jun. 1654); si data simpliciter et absque conditione; sed, sine praevio examine, potest Episcopus eam revocare; si vero data simpliciter, praevio examine ab ipso Episcopo peracto

(secus dicendum, si a Vicario Generali), nequit illam revocare nisi superveniat causa, quae ipsas confessiones concernat, quamque superioribus manifestare non tenetur (S. C. EE. et RR., 20 Nov. 1615; Innoc. X, Const. *Cum sicut*).

Item, Episcopus nequit revocare (1), neque justa de causa, approbationem omnium unius conventûs confessariorum, uti statuit S. C. EE. et RR., die 20 Nov. 1615, et deinceps decrevit Clemens X in Const. *Superna*; sed datur exceptio pro regionibus longinquis, ut sequitur ex Const. Innoc. X, *Cum sicut*.

Si vero Episcopus de facto suspendat omnes confessarios ejusdem conventûs, juxta plures auctores, illi possunt, non obstante hac suspensione injusta, confessiones audire, quod negant egregii auctores, tum quia in decretis hoc Episcopo prohibentibus non reperitur clausula facti irritans, tum quia in sacramentorum administratione Regulares omnimodae jurisdictioni, correctioni et visitationi Episcoporum subjacent. Unde praxis est, quod his in casibus Regulares interim obediant, et ad S. C. EE. et RR. recurrant.

3.° *Potestas confessariorum Regularium quoad saeculares.*—Ante Tridentinum poterant absolvere a casibus Episcopo reservatis, sed post Tridentinum non possunt, uti constat ex Decr. sess. 14, c. 7 de ref. et ex declarationibus S. C. C., 17 Nov. 1628 et 16 Nov. 1720, possunt tamen Mendicantes juxta sententiam communiorem absolvere pro foro interno *a censuris a jure Episcopo reservatis*. Pariter nequeunt absolvere a casibus R. Pontifici reservatis, nisi in casibus in quibus possunt alii sacerdotes saeculares, nempe in mortis articulo, vel cum legitime impeditis quominus R. Pontificem personaliter adeant, si absolutio differri nequeat absque gravis scandali vel infamiae periculo, vel si durum nimis foret pro poenitente in gravi peccato permanere, donec facultas absolvendi obtineatur (C. S. Off., 18 Jun. 1897).

Duobus posterioribus casibus, tenetur absolutus, sub poena reincidentiae, recurrere intra mensem per epistolam et per medium confessarii ad S. Sedem, nisi ex gravi causa per alium

(1) Haec revocatio directa solet dici *suspensio* confessarii. Indirecte autem revocatur, cum quis *jure* ad novum examen revocatur in casibus supradictis.

recurrat; in priori, vero, tenetur recurrere cum convaluerit, et tantum cum absolutus fuerit a censura *speciali modo* R. Pontifici reservata, et potest recurrere per se, per confessarium vel alium quemvis. Quando neque confessarius, neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et durum sit poenitenti alium confessarium adire, licet confessario poenitentem a reservatis R. Pontifici absolvere, absque onere mittendi epistolam (C. S. Off., 9 Nov. 1898); quod tamen applicari nequit sacerdoti, qui absolvit suum complicem (C. S. Off., 7 Jun. 1899). Haec doctrina quoad *impeditos*, applicari etiam potest juxta nonnullos reservatis Episcopo, excepto, quod non sit necessarius recursus per epistolam, sed tantum personaliter se sistere debet, cum quis commode potuerit (Vid. Ballerini-Palm., Tr. X, sect. V, n. 665, not. a).

II. **Privilegia circa SS. Eucharistiam.**—1.° *Circa asservationem Eucharistiae.*—Eam servare possunt in suis Ecclesiis; sed non in grangiis, seu domibus ruralibus, absque indulto apostolico, neque in suis oratoriis internis vel infirmariis, nisi gravissimis de causis, v. g.; si Ecclesia publica vel publicum oratorium corruisset, aut simili quocumque eventu impeditum esset. Idem dicendum de monialibus proprie dictis; sed non, absque indulto apostolico, de ecclesiis conservatoriorum aut Institutorum votorum simplicium, nisi ad tempus cum licentia Episcopi.

2.° *Circa Missae sacrificium.*—Ante Tridentinum poterant Regulares: a) Missam celebrare in quocumque loco honesto; sed hoc privilegium abrogatum fuit (Sess. 22, Decr. *de observ. et evit. in cel. Miss.*).

Hoc tamen privilegio gaudent Patres S. Jesu inter missiones, et plures affirmant, alios Regulares illud invocare posse vi communicationis privilegiorum, saltem *ubi non sit ecclesia*, vel aliter celebrari non possit. Possunt etiam communicare cum PP. SS. Redemptoris, qui inter missiones possunt celebrare in domo ubi habitant.

b) Missam celebrare diu ante auroram vel post meridiem. Quamvis hoc privilegium eis sublatum fuerit, tamen vi communicationis frui possunt privilegio Patrum S. Jesu celebrandi una hora ante auroram, vel post meridiem.

c) Fideles poterant in eorum Ecclesiis praecepto ecclesiastico audiendi Missam satisfacere; quod privilegium adhuc viget, et extenditur ad oratoria privata

Regularium a Superioribus regularibus approbata in domibus, ubi forma regularis observatur, sed non ad oratoria privata grangiarum aut hospitiorum.

d) Tempore interdicti generalis Missas celebrare poterant in suis Ecclesiis et capellis a populo separatis, exclusis tamen interdictis et nominatim excommunicatis; sed hodie hoc privilegium reductum est ad terminos juris communis.

e) Missas fundatas reducere poterant, eisque unica Missa satisfacere, additis Missae tot Collectis, quot Missae erant derelictae. Hoc privilegium penitus sublatum est.

Notetur demum Episcopos posse coërcere Regulares delinquentes circa Missae sacrificium omnibus poenis, quibus et presbyteros saeculares, etiamsi delicta in Ecclesiis Regularium commissa sint.

3.° *Quoad communionem administrandam.*—Communionem etiam Paschalem et Viaticum ministrare possunt religiosis et novitiis, famulis, qui vere sint de familia, et probabiliter alumnis internis collegiorum, quae ab ipsis reguntur. Regulares *itinerantes*, ubique praecepto paschali satisfaciunt; *aegrotantes* extra domum, debent accipere viaticum ab eo, qui in loco jurisdictionem habet. Saecularibus antiquo jure nequibant communionem ministrare, sed moderno possunt, excepto die Resurrectionis Domini, et Romae, feria V in Coena Domini, et excepto per modum Viatici. Hoc intellige in suis Ecclessiis vel oratoriis publicis aut semipublicis: nam, si celebrent in oratorio domestico, subduntur juri communi.

Regulares votorum solemnium praesumentes extra casum necessitatis ministrare *Viaticum* aut *Extremam-unctionem* clericis vel laicis, sine Parochi aut Ordinarii licentia expressa, tacita vel rationabiliter praesumpta, incurrunt excommunicationem R. Pont. simpliciter reservatam (Const. *Apost. Sedis*).

III. **Privilegia Regularium circa alia sacramenta.**—Nullo speciali gaudent privilegio circa alia sacramenta, quorum nonnulla, ut dictum fuit, parocho reservantur, si ordinem excipias. Praestat tantum notare: Regulares confirmationem accipere debere ab Episcopo domicilii vel ordinante, et dubitari, an iteratio conditionata baptismi conferendi novitio regulari spectet ad Episcopum vel Praelatum Regularem; S. enim Congr.

EE. et RR., die 25 Nov. 1898 injudicatam quaestionem dereliquit.

Quae ad Ordinis sacramentum referuntur, exposita jam sunt p. 61, n. V; hic tantum haec addi debent post decretum *Auctis*.

Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V, diei 14 Oct. anni 1568, incipiente *Romanus Pontifex*, et declaratione SSmi. Pii P. IX, edita die duodecima Jun. a. 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo *Paupertatis* ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad Sacros Ordines alumnos promovere titulo *Mensae Communis*, vel *Missionis*, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis, ad hunc effectum, omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae» (n. I).

«Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Majores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus.—Quod, si interdum causa legitima occurrat, cur quisquam Sacros Ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium; quoad Instituta, vero, votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum» (n. II).

«Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo» (n. VI).

§ III.—De privilegiis circa praedicationem

I. Jura Regularium circa praedicationem in suis Ecclesiis. II. Observanda a Regularibus ut licite valeant praedicare in suis Ecclesiis. III. Observanda ab ipsis, ut licite praedicent in alienis Ecclesiis. IV. Jura Episcopi in Regulares circa praedicationem. V. Jura Episcopi in alios Religiosos.

I. **Jura Regularium circa praedicationem in suis Ecclesiis.**—Possunt in suis Ecclesiis quandocumque voluerint praedicare, excepta hora, qua ipsemet Episcopus publice praedicat; vel *solemniter*, idest, ex causa publica et extraordinaria, convocatis clero, magistratibus et populo, coram se praedicare facit; quae exceptio apponi non debet, si eorum Ecclesiae adnexa sit animarum cura (S. C. C., 21 Jun. 1631). In illis, sine ipsorum licentia, uno excepto Episcopo, nullus quamvis parochus, praedicare potest (S. C. C., 26 Febr. 1853). Prohibere vero nequeunt,ut Episcopus Missionarios mittat, si ipsorum Ecclesia sit parochialis.

II. **Observanda a Regularibus ut licite praedicare valeant in suis Ecclesiis.**—Duo haec sunt: 1.° Ut licentiam obtinuerint suorum Superiorum. 2.° Ut antequam praedicare incipiant, benedictionem personaliter petant ab Episcopo (Conc. Trid. sess. 5, c. 2 de ref.), idque toties quoties longam incipiant praedicationem (S. C. C., 23 Mart. 1643), et etiam, si eorum ecclesia sit parochialis (S. C. C., 13 Sept. 1749). Sufficit autem, ut benedictionem petierint, licet eam non obtinuerint (S. C. C., 28 Febr. 1654). Si vero Episcopus non solum benedictionem non dederit, sed etiam contradixerit, Regularis nequit praedicare, ita statuentibus Conc. Tridentino (sess. 24, c. 4 de ref.) ac Clem. X (Const. *Superna*). Conciones haberi possunt a simpliciter *tonsuratis* quos Regulares judicaverint idoneos (Const. Greg. XIII *Vigore*).

III. **Observanda ab ipsis, ut licite praedicent in Ecclesiis alienis.**—Requiritur: 1.° Praeter licentiam suorum Superiorum, licentia Episcopi; quod verum est etiam ad praedicandum semel tantum, saltem si adsit Constitutio Episcopi id requirens; plures tamen docent praedicare posse in oppidis et locis, ubi non existit Episcopus, absque ipsius licentia, de solo parochi consensu. Raro

solent formalem petere approbationem, quae solet ab episcopis cum jurisdictione concedi. Moribus et ordinationibus Episcopi standum est. 2.° Tenentur recipere ab Episcopo litteras patentes pro concionibus habendis (S. C. C., 3 Aug. 1843).

Ad praedicandum vero in plateis publicis plures tenent non indigere Regulares licentiâ Episcopi, si id Episcopus expresse non prohibuerit. Fundantur in privilegio a pluribus Pontificibus ipsis concesso, quod dubium est an revocatum fuerit.

IV. **Jura Episcopi in Regulares circa praedicationem.**—Potest: 1.° Illos examinare, antequam licentiam impertiatur, ut praedicent in Ecclesiis alienis, minime vero, si tantum praedicent in propriis Ecclesiis (S. C. C., 13 Sept. 1749). 2.° Licet ei, si ita expedire judicaverit, exigere ab illis professionem fidei antequam benedictionem, vel licentiam concedat (S. C. C., 13 Jul. 1646). 3.° Potest, justa et rationabili causa, quam Regularibus patefacere non tenetur, benedictionem, vel licentiam denegare et contradicere ut Regularis praedicet; sed nequit hujusmodi benedictionem vel licentiam omnibus unius conventûs religiosis denegare (Const. *Superna*, et S. C. C. pluries), neque alicui Religioni prohibere, ne in Ecclesiis suae dioeceseos praedicent, sed tantum singularibus religiosis, ubi justa adfuerit causa. 4.° Potest, justa de causa praedicationem concernente, licentiam impertitam revocare (Const. *Superna*), et Regulares in praedicatione delinquentes punire censuris aliisque poenis ecclesiasticis (Const. *Inscrutabili* Greg. XV et *Superna* Clementis X, c.) Per se non potest Regulares cogere, ut explicent doctrinam christianam, vel ad nuntianda festa et jejunia vel ad conciones habendas. Si vero ecclesia sit parochialis potest Episcopus, et, si sit *nullius*, Metropolita ad praedicta eos cogere.

Jura quoad benedictionem, licentiam et punitionem ob tres causas enumeratas a Conc. Lateranensi V (si nempe praedicent miranda, falsa aut incerta, vel prophetias quae in S. Scriptura fundamentum non habent, aut a Sede Apost. non sunt approbatae, vel si praedicando, Episcopis vel suis Praelatis detrahant) competunt etiam Vicario Capitulari, quia jure ordinario competunt Episcopis; sed nequeunt illos punire in aliis casibus, quia illud jus Episcopis tribuitur ut Sedis Apostolicae delegatis.

V. **Jura Episcopi in alios religiosos.**—Religiosi Congregationum per se conciones habere non possunt nisi approbante Episcopo. Episcopus autem nequit directe conciones ipsis imponere, bene autem per edicta generalia circa sacra in ecclesiis et oratoriis publicis.

§ IV.—DE PRIVILEGIIS CIRCA FUNERA

I. Sepultura Regularium in suis Ecclesiis. II. Sepultura saecularium in Regularium Ecclesiis.

I. **Sepultura Regularium in suis Ecclesiis.**—*Regulares* in Ecclesiis, vel coemeteriis suorum monasteriorum sepeliri debent, nisi in locis, adeo a monasterio remotis, moriantur, ut commode, id est, una die, portari non possint (C. 5 *De Sepulturis* in 6.°). Si commode transferri nequeant et alibi sepulturam non eligant (hoc enim casu possunt sibi sepulturam eligere); in ecclesia parochiali tumulandi sunt. Idem dicendum de *novitiis*, si in monasterio decedant; si vero extra moriantur, disputatur. *Famuli* etiam, si commensales religiosorum sint et intra septa monasterii degant et moriantur (S. C. C., 19 Apr. 1692 et pluries); sed religiosi, qui non vivunt vitam communem, quamvis violenter dispersi, quoad funera subsunt parocho loci, sicut et ceteri parochiani (S. C. EE. et RR., 26 Febr. 1864). *Moniales*, si vota solemnia emittant, vel quamvis simplicia, si ad veteres Ordines pertineant, in quibus vota solemnia emittebantur, in ecclesia monasterii sepeliendae sunt; si vero ad Instituta votorum simplicium pertineant, secluso privilegio, in ecclesia parochiali sunt tumulandae, nisi alibi sepulturam elegerint, vel habuerint sepulcrum majorum (S. C. C., 15 Febr. 1878). Episcopus tamen, annuente parocho, potest decretum ferre eximens hujusmodi moniales a jurisdictione parochi, quo casu in propria ecclesia sepeliri poterunt (S. C. EE. et RR., 2 Apr. 1886). *Educandae et famulae* monialium etiam votorum solemnium in ecclesia parochiali sepeliendae sunt, uti pluries declararunt tum Congr. Concilii, tum Congr. EE. et RR. Quoad educandas tamen, si exstet contraria consuetudo et decretum Episcopi illas a parochi jurisdictione eximens, solet S. Congregatio exemptionem recognoscere.

Plures Ordines ante Concilium Tridentinum gaudebant privilegio, ut, etiam tempore interdicti, Regulares solemniter sepelirentur in suis Ecclesiis, sed disputatur, an hoc privilegium revocatum fuerit ab illo Concilio. Eodem modo disputatur, an saeculares, eligentes sepulturam in ecclesiis Regularium, possint tempore interdicti ibidem sepeliri, si fiat secreto et januis clausis.

Quoad modum exercendi hoc jus, Regulares possunt in primis exequias celebrare in suis Ecclesiis, sicuti velint; secundo ipsimet possunt cadavera ad coemeterium publicum deferre et associare, dummodo id fiat absque solemni pompa, cui non obstant aliquot deferre lumina et nonnullus campanae sonitus (S. Congr. EE. et RR., 21 Mart. 1884), recto tramite, et a familia regulari proprii conventus. Parochus nec vocari nec interesse debet huic processioni (S. C. C., 24 Jan. 1846 ad 1.um), in qua deferri tantum debent stola et crux conventualis, quae deponi non debent in transitu per parochias (ibid. ad 4.um).

II. **Sepultura saecularium in Regularium Ecclesiis.**—Regularium Ecclesiae jure gaudent tumulandi, unde in ipsis fideles eligere possunt sepulturam. Quando sepultura in eorum Ecclesiis electa est, etiam funera ab ipsis perficienda sunt, ipsisque competit jus associandi cadavera coemeterium usque, eodem modo ac diximus de ipsis religiosis. Quae autem in hoc casu parocho competant, explicabimus in Libro II, ubi *de sepulturis* sermo nobis occurret.

§ V.—DE PRIVILEGIIS CIRCA POTESTATEM IN VARIIS DISPENSANDI

Regularium confessariorum potestas ad dispensandum cum saecularibus. I. In irregularitatibus. II. In votis. III. In juramentis. IV. Ad petendum debitum. V. In impedimento affinitatis ad convalidandum matrimonium jam contractum.

I. **Quoad irregularitates.**—Quamvis nonnulli teneant eos posse dispensare in irregularitatibus occultis ex delicto provenientibus, probabilius videtur negandum, cum id ipsis a Clemente VIII in Const. *Quaecumque* et a Bened. XIII in Const. *Pretiosus* prohibeatur. Cum vero a. 1825 Leo XII concesserit Patribus S. J. facultatem «eos, qui irregularitatem occultam, tum ad suscipiendos, tum ad exercendos ordines incurrerint, in

foro conscientiae tantum ab hoc impedimento absolvendi» (Const. *Plura inter*), dubitari potest, an idem obtineant alii Regulares vi communicationis privilegiorum.

II. **Quoad vota saecularium.**—Indubium est ea non posse *irritare*, cum non habeant in saeculares potestatem dominativam. Indubium pariter est ea posse *commutare*, nisi sint de reservatis R. Pontifici, ut eruitur ex Const. Julii II et Pauli III. Disputatur, an ea *dispensare* possint; sed communis sententia inter Regulares affirmat, exceptis quinque votis R. Pontifici reservatis, et iis, quorum dispensatio vel commutatio jus tertii praejudicaret.

Fundantur in privilegio Innoc. VIII Minoribus concesso dispensandi in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi et alii, idque, juxta auctores, etiam extra confessionem, et etiamsi dispensandi habitent in alia dioecesi, hacque potestate secumipsis uti possunt. In dispensatione tamen observare debent: *aequitatem*, quae postulat, ut quanto excellentius est votum, tanto difficilius dispensetur; *honestatem*, quae vult, ut non fiat passim cum scandalo fidelium, vel dissolutione morum aut disciplinae ecclesiasticae, et *utilitatem* animae dispensati, quae exposcit, ut tunc dispensetur in voto, quando illud advertitur vergere in ruinam, vel saltem in laqueum illius animae, vel ob scrupulositatem illius, qui se voto adstrinxit, vel quando ex dispensatione rationabiliter speratur major utilitas voventis, vel major promotio cultus divini.

III. **Quoad juramenta.**—Juxta communem sententiam Regulares *dispensare* vel *commutare* possunt omnia juramenta, exceptis factis in favorem tertii, quando jam acceptata sunt, et exceptis, juxta plures, iis, quae habent pro materia vota reservata.

Notetur tamen S. C. de Propaganda Fide declarasse, die 19 Maj. 1845, facultatem dispensandi in votis non includere per se facultatem in juramento dispensandi, unde valde dubium est an Regulares possint juramenta dispensare, quamvis ea commutare possunt ex privilegio a Greg. XIII Patribus S. J. concesso.

IV. **Quoad petendum debitum.**—Certo possunt dispensare cum eo, qui votum emisit castitatis post contractum matrimonium, licet de consensu conjugis, si conjux vicissim illud non emisit, et probabiliter cum

conjugibus, qui ante matrimonium illud emisere, atque cum illis, qui ob incestum jus illud amiserunt.

V. **Quoad impedimentum affinitatis.**—Nonnulli affirmant posse in illo dispensare post contractum matrimonium ad illud convalidandum, dummodo ad id specialem a Superioribus acceperint facultatem; idque vi privilegii vivae vocis oraculo a Leone X in favorem PP. Augustinorum concessi; sed verius plerique negant, cum valde dubium sit an steterit hoc vivae vocis oraculum, et agatur de facultate adeo extraordinaria, ut neque Episcopi, neque ipse Major Poenitentiarius ea polleant cum hac illimitata amplitudine.

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

LIBER II.

DE REBUS

Nomine *rerum*, ad nostrum scopum quod attinet, intelligimus media, quibus personae utuntur ad finem Ecclesiae attingendum. Quidquid igitur spectat ad Jus Canonicum, extra personas, judicia, delicta et poenas, id comprehenditur nomine *rerum*.

Jam vero res ecclesiasticae *spirituales* sunt vel *temporales*, prout ad hominum salutem directe referuntur, vel ad clericorum sustentationem ordinantur. *Spirituales* vero, aliae sunt *proprie tales*, ut praedicatio verbi divini, sacramenta et sacramentalia; aliae dicuntur *sacrae*, quales sunt, quae Deo consecrantur; aliae demum *religiosae*, quae instituuntur cum interventu actuum religiosorum. Inde quadruplex *Titulus* exurgit pertractandus; sed, cum de sacramentis et sacramentalibus satis disseratur in S. Theologia, ac de verbi divini praedicatione jam dictum sit in primo Libro, omisso primo Titulo, triplex tantum dilucidandus superest; quorum *primus* de rebus *sacris*, *secundus* de rebus *religiosis*, et *tertius* de rebus *temporalibus* titulabitur.

TITULUS I.

DE REBUS SACRIS.

Rerum sacrarum nomine proprie veniunt quaecumque ad divinum cultum spectant: unde si totam hanc materiam evolvere vellemus, agendum esset de auctore, ministro et objecto cultus divini; de temporibus et locis cultus divini; de forma et utensilibus cultus divini ac de particularibus actibus cultus divini: sed pleraque ex his propriorem habent sedem in disciplina liturgica, quae separatim traditur in nostris scholis, vel in Theologia Morali; quare pro nostro scopo sufficiet nonnulla seligere, quae ad dispositiones canonicas circa objectum, loca, formam et utensilia cultus divini praesertim referuntur. En igitur ordo articulorum, quibus praecipuas quaestiones persolvemus: I. De objeto cultus divini. II. De ecclesiis. III. De oratoriis. IV. De altaribus. V. De forma cultus divini. VI. De sacra supellectili.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO CULTUS DIVINI

I. Disputanda hac de re in Jure canonico. II. Quid sit Beatificatio et Canonizatio Sanctorum. III. Reliquiae Sanctorum. IV. Imagines Sanctorum.

I. **Disputanda de objecto cultus divini in Jure Canonico.**—Hic supponimus, quae circa objectum cultus divini in Sacra Theologia pertractantur: Deum, nempe, Unum et Trinum et Jesum Christum Dominum nostrum esse adorandum cultu latriae; venerandam pariter B. Mariam Virginem cultu hyperduliae; Angelos vero et Sanctos, qui in coelis cum Christo regnant, cultu duliae.

Prout haec materia ad Jus Canonicum refertur, sufficit aliqua innuere circa Beatificationem et Canonizationem, Reliquias et Imagines Sanctorum.

II. **Quid sit Beatificatio et Canonizatio Sanctorum.**— 1.° *Beatificatio* est concessio alicui regno, provinciae, loco vel familiae religiosae, ut quis possit invocari cultu publico, scilicet, vel in celebratione missae, vel in recitatione officii, tamquam vivens et regnans in gloria coelesti. In Beatificatione, ergo, hic cultus non praecipitur, sed conceditur. 2.° *Canonizatio* est solemnis inscriptio alicujus in catalogo Sanctorum et declaratio, quod regnet cum Christo in coelis. Unde in Canonizatione praecipitur et statuitur, ut Canonizatus ab omnibus fidelibus pro Sancto habeatur, et coli possit ubique cultu publico. Judicium Canonizationis dirigit ex cathedra Pontifex ad totam Ecclesiam, ideoque in illo ferendo Papa loquitur qua Doctor infallibilis.

Quoad formalitates servandas in Beatificatione et Canonizatione Sanctorum, de iis loquemur in tertio Libro.

III. **De Reliquiis Sanctorum** (1).—Ita nominantur Sanctorum corpora, vel corporis partes etiam minimae; item vestes, vel res diversae, quibus viventes usi sunt, vel quibus eorum corpora fuerunt post mortem involuta, et etiam instrumenta passionum, seu mortificationum. *Dividuntur* in *insignes* et *non insignes*. Insignes sunt integrum corpus, vel magna pars ejusdem, vel etiam pars in qua passus est Martyr.

Quoad reliquias haec principia tenenda sunt: 1.° Si moraliter alicui constet eas esse authenticas, quamvis id probare nequeat, cultu privato honorari poterunt: sed non cultu publico, nisi prius fuerint legitime recognitae et approbatae ab Episcopo (Conc. Trid., sess. 25., Decr. de invoc., vener. et reliq. Sanct.). Ad hanc approbationem non requiritur evidentia metaphysica aut physica, sed tantum certitudo moralis. 2.° Ad Episcopos spectat curare ne populus decipiatur quoad Sanctorum Reliquias variis figmentis, aut falsis documentis, id est, falsis relatis miraculis. 3.° Cum reliquiae sint res sacrae, ab omni commercio immunes esse debent; unde simo-

(1) De reliquiis agit tit. 5. lib. III Decr. Vid. et alia quamplura in doctissimo opere Bened XIV *De Servorum Dei Beatificatione*.

niacum foret illas pretio aestimare aut vendere (S. C. Indulg., 21 Dec. 1878). 4.° Reliquiae demum insignes nequeunt transferri de una ecclesia in aliam, inconsulta Sede Apostolica.

IV. **De Imaginibus Sanctorum.**—Laudabile quidem est exponere Imagines Christi vel Sanctorum, et exprimere per picturas aut sculpturas mysteria Redemptionis et facta utriusque Testamenti; sed in Sanctorum invocatione et usu Imaginum tolli debet omnis superstitio, eliminari turpis quaestus, et omnis lascivia vitari. Episcoporum est de his judicare; sed ipsi hac in re nihil novum et inusitatum decernere debent. Absque ipsorum approbatione non licet ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem (Conc. Trid., sess. 25, Decr.). Imagines D. N. J. C., B. Mariae et aliorum Sanctorum non debent confici cum habitu indebito Regularium, nec cum veste profana, indecentiam vel inhonestatem prae se ferente (Const. Urb. VIII *Sanctissimus*, *Coelestis Jerusalem* et *Sacrosancta Tridentina*). Demum, quamvis non liceat imagines hominum, qui non sint canonizati, vel beatificati, pingere cum radiis vel signo cultûs, fas tamen est pingere Imagines Servorum Dei in crystallis fenestrarum Ecclesiae et in parietibus ipsius (S. R. C., 15 Aug. 1894) (1).

ARTICULUS II.

DE ECCLESIIS (2)

I. Ecclesiarum natura et divisio. II. Aedificatio. III. Benedictio. IV. Reparatio. V. Reconciliatio. VI. Immunitas.

I. **Ecclesiarum natura et divisio.**—Ecclesiae sunt aedes sacrae, eo potissimum fine aedificatae, ut publico fidelium usui deserviant (S. C. R., 12 Jul. 1855), et ad quas christiani conveniunt, ut opera religiosa adimpleant.

(1) Alia plura circa hanc materiam videsis in Const. Bened. XIV *Accepimus, et Sollicitudini.*

(2) Ad hanc materiam pertinent Tituli 40, 48, et 4 Libr. III Decret. et Titulus 32 Libr. V *De novi operis nuntiatione.*

Juxta diversam earum dignitatem, Ecclesiae sunt: 1.° *matrices*, aut *filiales*; *matrices*, si aliam ecclesiam subjectam habeant quoad quaedam jura, et *filiales*, quae quoad haec jura alteri subjiciuntur; 2.° *patriarchales*, *primatiales*, *metropolitanae*, *cathedrales*, *collegiatae* et *parochiales*, prout habent cathedram Patriarchae, Primatis, Metropolitae aut simplicis Episcopi, vel Collegium canonicorum, aut parochi tantum sedem; 3.° *saeculares* vel *regulares*, prout clericis saecularibus vel regularibus inserviunt.

Tribus primis Ecclesiae saeculis, loca cultui divino dicata, dicebantur *Ecclesiae*, quia in illis fiebat conventus fidelium; *domus Dei* vel loca *Dominica*. A *templi* nomine universe abstinuisse videntur, cum eo potissimum nomine, sacra Paganorum loca venirent. A saeculo IV dicta sunt *Martyrum Memoriae* apud latinos, *Martyria* apud Graecos primum, et deinde etiam apud latinos, vel *Confessiones*, quia has sacras aedes, iis praesertim locis, in quibus martyres obtruncati fuerant, excitaverunt. Hinc clerici, his Ecclesiis addicti, *clerici Martyriorum* in Oriente, et *Martyriarii* in Occidente appellabantur. At animadvertendum est *Martyria* aliquando appellata etiam fuisse parva quaedam oratoria, quae ruri excitabantur supra Martyrum sepulcra, vel in eorum *memoriam;* quamobrem *Cellulae* nomen apud latinos obtinuerunt. In his clericus vel diaconus serviebat. Post saeculum V hae *Cellulae* multiplicari coeperunt, ac tandem, cum nimium ab urbe distarent, Parochiae evaserunt. Praeterea sacram aedem *Dominium* appellarunt, *Templum* seu *Navim*, *Basilicam*, etc.; sed hodie *Basilicae* nomine appellari non debent Ecclesiae, absque indulto apostolico.

II. **Ecclesiae aedificatio.**—Ad Ecclesiae aedificationem requiruntur: 1.° *Licentia Episcopi*, ad quem etiam spectat locum designare et primum lapidem benedicere. Qui sine hujus licentia Ecclesiam aedificat, etiam suis sumptibus, jure patronatûs privatur. 2.° *Congrua dos* ad ipsius Ecclesiae conservationem et expensas cultus divini, quod rite inspicere debet Episcopus an adsit; secus enim, si eam aedificari et consecrari permittat absque congrua dote, tenetur ex suis sumptibus quod deest supplere (cap. 8, t. 40, lib. III Decr.). Ab hac vero formalitate exemptae sunt Ecclesiae Regularium, vel Institutorum votorum simplicium (S. C. EE. et RR., 16 Dec. 1892). 3.° Ut Ecclesia aedificanda *non* vergat

regulariter *in praejudicium* alterius, praesertim parochialis; sed hoc praejudicium debet esse *grave* et *majus* eo bono, quod ex aedificatione novae Ecclesiae haberi debet, ad hoc ut aedificationem impediat. Hinc etiam cum damno alterius licet Ecclesiam construere, si ob distantiam, vel itineris difficultatem, vel magnum populi incrementum necessaria sit novae paroeciae erectio (C. 3, t. 48, lib. III Decr.).

III. **Ecclesiae benedictio.**—Est actus, quo legitimus minister aedem aliquam divino cultui dedicat illamque sanctificat. Duplex est: *simplex* seu *sacerdotalis*, quae a simplici presbytero a R. Pontifice, vel Episcopo loci deputato, peragi potest simplici aquae benedictae aspersione, modo in Rituali Romano praescripto; et *solemnis*, quae proprie *consecratio* dicitur, in qua chrismatis unctio adhibetur, et quae solum ab Episcopo loci, in quo Ecclesia sit, vel ab alio Episcopo de ejus licentia (C. *Nullos* 25 *de Consecr.*, Dist. 1.), vel a simplici presbytero a R. Pontifice deputato fieri valide et licite potest. Si fiat ab Episcopo absque licentia Dioecesani, quamvis illicita, valida tamen erit consecratio (C. *Non nocet* 89, Cau. 1, q. 1.); si vero a simplici presbytero absque deputatione R. Pontificis, erit illicita et invalida.

Consecratio ecclesiae Regularium fieri debet ab Episcopo dioecesano; si autem iste ter rogatus, sine causa recuset vel differat ultra quadrimestre, regulares quemcumque alium Episcopum vocare possunt ad consecrationem faciendam (Const. Leonis X *Dum intra*, 19 Dec. 1516). Sunt tamen, qui probabiliter docent hoc privilegium revocatum fuisse a Concilio Trid. in sess. VI, c. 5 de ref.

Ut ecclesia consecrari possit, requiritur: 1.° Ut non sit jam consecrata; iterari enim nequit consecratio, nisi prius ecclesia execretur. Non vero obstat consecrationi simplex benedictio. Si dubitetur, utrum Ecclesia consecrata sit, sed adsint conjecturae consecrationis, quales sunt scriptura columnae aut tabulae alicui marmoreae inserta, cruces in parietibus depictae, eo modo quo fieri solet dum consecratur Ecclesia, aut, si ab antiquo, vel saltem ab immemorabili tempore, quotannis celebratum fuerit dedicationis anniversarium, consecranda non est, quia tunc praesumptio stat pro consecratione; conse-

cranda vero est, si desint conjecturae. 2.° Ut simul fiat alicujus altaris consecratio, ideoque, ut in illa Ecclesia adsit saltem unum altare fixum et quidem altare majus, nisi hoc jam sit consecratum; sed in hoc casu aliud addendum est consecrandum, non quidem ad validitatem actus, sed ad liceitatem tantum (S. R. C., 19 Maj. 1896). 3.° Ut servetur in consecratione ritus praescriptus in Pontificali Romano.

Substantialis ritus hujus consecrationis consistit in una unctione facta super duodecim cruces pictas vel insculptas in pariete, cum prolatione verborum: *Sanctificetur et consecretur templum hoc*, etc. Sed de praecepto debent et alia plura servari, qualia sunt: 1.° Jejunium pridie consecrationis; quod obligat stricte Episcopum consecrantem et eos, qui petunt Ecclesiam sibi consecrari (S. R. C., 10 Sept. 1840). 2.° Pridie consecrationis Ecclesiae, Reliquiae Sanctorum altari consecrando deponendae, vasculo inclusae in aliqua proximiori ecclesia vel oratorio, vel sub tentorio parato et ornato, inter luminaria exponuntur, et coram eisdem celebrandae sunt Vigiliae et canenda Nocturni et Matutinae Laudes in honorem SS. quorum Reliquiae recondendae sunt. 3.° Consecratio fieri debet intra missarum solemnia (S. R. C., 24 Maj. 1844); non tamen necesse est ut celebrans sit Episcopus consecrans. 4.° Completa consecratione, recitandum est ab omni clero Ecclesiae consecratae servitio addicto et a Consecrante, si sit Ordinarius loci, alias tantum congruentius, Officium Dedicationis sub ritu duplici primae classis. 5.° Duodecim cruces, quae in Dedicatione Ecclesiae in parietibus pinguntur vel inciduntur, omnino perpetuis temporibus futuris remanere debent in testimonium consecrationis Ecclesiae (S. R. C., 18 Febr. 1698). *Ex decentia* die festo vel dominico consecratio fiat oportet, sed non est necessarium (C. 2, tit. *De consecr. Eccl.*, lib. III).

IV. **Ecclesiae reparatio.**—Jure communi ad hanc tenentur: 1.° Fructus et reditus ipsarum ecclesiarum, si adsint. 2.° Qui lege speciali aut consuetudine ad id adstringuntur. 3.° Horum defectu, si agatur de *Ecclesia cathedrali*, Episcopus, qui ad reparationem concurrere debet quarta parte fructuum sive praesentium sive futurorum suae mensae episcopalis; dein canonici pro rata ex suis beneficiis; postea ceteri beneficiarii ipsius Cathedralis; et si necessarium sit, Episcopus, de consensu majoris partis Capituli, adigere poterit ad concurrendum clerum universum, imo et ipsum populum dioece-

seos. *Collegiatae* reparatio attingit ipsius Collegiatae beneficiarios, et omnes, qui in illa decimas aut alia bona ecclesiastica possident (C. 1 et 4, tit. 48, l. III Decr.), et, si adsit consuetudo, ipsum Episcopum proprium; sed beneficiarii non tenentur concurrere, nisi ex reditibus superfluis. Si agatur de *Ecclesia parochiali* vel de *domo* parochi, post *fabricam* et eos, qui lege vel consuetudine ad id obligantur, tenentur parochus ipse, iis deductis, quae ad congruam sustentationem requiruntur, et qui pensiones vel beneficia in ea obtinent; item patroni, nisi juri patronatus velint renuntiare, ad quod terminus aliquis ipsis praefigitur et post patronos populus ipse paroeciae. *Simplex ecclesia* vel a Patrono, aut a Rectore reficienda est, aut piorum oblationibus (1).

Si nullus supersit Ecclesiae instaurandae modus, in profanos usus non sordidos ecclesia convertitur, ibique erigenda est crux, et ejus jura ad matricem aut viciniorem ecclesiam transferuntur (Conc. Trid., sess. 21, c. 7 de ref.).

V. **Ecclesiae reconciliatio.**—Reconciliatio ecclesiae supponit ipsam pollutam fuisse. Jamvero, sedulo distinguenda est pollutio ab execratione; ecclesia enim dicitur execrata, quando suam amittit consecrationem, polluta vero, cum in ea perpetrantur actiones quaedam turpes, quae, juxta aestimationem hominum, ipsi ita injuriosae reputantur, ut indecens videatur res divinas in ea peragi antequam purificetur seu reconcilietur.

Execratur ecclesia: 1.° Si incendio, vel alio modo ex toto vel secundum majorem partem simul destruatur, licet ex eadem materia reaedificetur. 2.° Si amplietur, ita ut pars nova simul noviter erecta major sit vetere, quia major pars trahit ad se minorem. Si vero ampliationes successive fiant, ita ut qualibet vice major pars consecrati parietis remanserit, opinio certe communior negat iterandam esse consecrationem. Item, hodie certum est, post resolutiones S. R. C., 8 Jun. 1896 et 9 Aug. 1897, ecclesiam non execrari per remotionem simultaneam totius vel majoris partis incrustationis parietum;

(1) *Jure hispano,* in patriis dominiis recurrendum est ad associationes dioecesanas pro reparatione templorum.

quod notandum est, quia antea auctores contrarium communiter tenebant.

(*Polluitur Ecclesia*: 1.° Per homicidium voluntarium et injuriosum.) Necesse tamen non est, juxta plures, ut mors intra ecclesiam sequatur, si intra eam mortis causa ponatur, sed alii contrarium tenent (C. 19, dist. 1.ª *de Consecratione*).(2.° Per humani sanguinis effusionem copiosam, voluntariam et injuriosam.) Juxta communiorem sententiam sufficit, ut intra ecclesiam inflictum sit vulnus, ex quo sanguis fluit, ad eam polluendam, quod aliqui negant (C. 4 et fin. *de Consecr. Eccles.*; c. unic. h. tit., in 6.°).(3.° Per voluntariam et illicitam humani seminis, etiam muliebris, effusionem, quae a causa mere interna non oriatur.) Controvertitur, an polluatur actu conjugali, saltem si extra necessitatem ponatur (C. unic. *de Const. Eccl.* in 6.°).(4.° Per sepulturam hominis infidelis aut excommunicati vitandi.) Nomine vero infidelis non comprehenditur catechumenus, nec proles in utero matris clausa (C. 27, dist. 1.ª *de Const.*).

(Praedicta tamen crimina, ut polluant Ecclesiam, debent esse notoria notorietate facti, vel juris; vel, etsi occulto patrata, ipsa publica evasisse.

Effectus pollutionis ecclesiae est, ut in ea officia divina celebrari nequeant extra casum necessitatis, nisi prius reconcilietur; quod dicendum etiam de coemeterio contiguo; polluta enim Ecclesiâ, et ipsum polluitur, sicut et polluuntur altaria fixa ejusdem Ecclesiae.

Reconciliatio vero, si Ecclesia sit tantum benedicta, fieri potest a quolibet sacerdote, probabilius tamen de licentia Episcopi, per simplicem aquae benedictae adspersionem (C. 10 *de Consecr. Eccles.*). At si fuerit consecrata, ab ipsomet Episcopo reconciliatio facienda est, per aspersionem aquae, quae vino, cinere et sale permixta sit, et ab ipso benedicta, quin valeat ad id delegare simplicem sacerdotem, nisi speciali decoretur privilegio, quale habent Episcopi Belgii; quo casu sacerdos delegatus uti debet aquâ ab Episcopo benedictâ.) Generales quoque, Provinciales et Superiores Locales Ordinum Regularium privilegio gaudent reconciliandi Ecclesias, quantumvis consecratas, aquâ per Episcopum benedictâ, nisi ultra duas diaetas ab Episcopo di-

stent, tunc enim ipsi aquam benedicere possunt. Controvertitur, an hanc potestatem delegare possint.

VI. **Immunitas Ecclesiarum.**—*Immunitas* in genere est exemptio ab aliqua legis obligatione vel onere. Alia est *personalis*, de qua jam egimus (p. 160 et seqq.), alia *realis*, quae consistit in exemptione bonorum Ecclesiae a publicis vectigalibus, et alia *localis*, quae consistit in eo quod loca sacra, sancta vel religiosa subtracta sint a jurisdictione civili et usibus profanis, de qua nunc agendum.

Ex primo capite oritur *jus asyli* consistens in eo, ut sontes non excepti a lege, si ad ecclesiam confugiant, vel loca sacra, inde extrahi non possint vi aut dolo, sed dumtaxat in casibus exceptis, annuente Ecclesia. Qui ausu temerario immunitatem asyli ecclesiastici violari jubent vel violant, subjiciuntur excommunicationi Summo Pontifici simpliciter reservatae (Const. *Apost. Sedis*, § 2, n. 5); non tamen eam incurrunt judices, milites et alii qui, lege coacti, illud violant (C. S. Off., 1 Febr. 1871).

Hoc jure asyli gaudent Ecclesiae sacraria, porticus, atrium, turres, campanaria, coemeterium; aedes Episcopi, Cardinalium, hospitalia, publica oratoria cum iis locis, quae intra eorum septa continentur.

Jure vero asyli privantur: 1.° Qui publice viatores armis aggrediuntur ac bonis suis spoliant, vel privatas domos vi invadunt, vulneribus in eos qui resistunt saevientes. 2.° Agrorum depopulatores. 3.° Violantes immunitatem loci sacri ob patratum in eo homicidium vel mutilationem. 4.° Qui alieno mandato mortem alicui inferunt ob conventam mercedem, uti et mercedem paciscens, si mandatum fuerit expletum. 5.° Homicidae voluntarii et criminosi, qui aetatem 20 annorum excesserint. 6.° Rei laesae Majestatis, vel qui crimen falsi admiserint in Litteris Apostolicis, vel in Montibus Pietatis tale furtum fecerint aut falsi crimen, ut poena capitis plecti debeant (Const. Greg. XIV *Cum alias;* Bened. XIII *Ex quo;* Clem. XII *In supremo*).

In Hispania insuper modificatum et limitatum est jus asyli per articulos 2, 3 et 4 Concordati a. 1737 inter Philipp. V et Clem. XII, necnon per Breve Clementis XIV, de quo vid. *Novis. Recop.*

Circa extractionem rei, tam si agatur de crimine ordinario, quam de excepto, quo reus non gaudet asylo,

attendenda sunt sancita a Bened. XIII in Const. *Ex quo divina*, et a Clem. XII in Const. *In Supremo*.

(*Quoad usus profanos*, interdicuntur in ecclesiis: 1.° Universitatum et societatum laicarum concilia, conciones, parlamenta) v. g.: electiones populares, nisi ex necessitate, e. g.: ob pluviam, solis aestum, modo fiant sine strepitu, et desit alius locus opportunus; quod etiam dicendum de judiciis saecularibus (S. Lig. lib. 3, n. 37); sed, si hujusmodi necessitas occurrat, ad Episcopum est recurrendum (2.° Ludi theatrales profani;) piae vero repraesentationes fieri possunt cum licentia Episcopi, sicuti publicae disputationes litterariae, et conferre gradus academicos, et praemia solemniter distribuere, uti Romae fit (Vid Reiffenst. lib. III, tit. 49, n. 19) (3.° Quaecumque negotiatio aut venditio: non tamen irritantur contractus, si fiant.) Consuetudine vero introductum est, et licitum videtur, vendere ad portas ecclesiarum res pias (4.° Judicia saecularia, maxime in causis criminalibus et sanguinis; sed non prohibentur judicia ecclesiastica) (Vide pro his omnibus c. 2., tit. 23 in 6.°). 5.° Excepto fundatore vel insigni benefactore, qui id sibi reservaverit in tabulis fundationis vel donationis, nemo potest habere e propria domo prospectum, vel ingressum in ecclesiam (Vide plures decl. S. C. EE. et RR. apud Ferraris, verbum *ecclesia*, art. 5).

ARTICULUS III.

DE ORATORIIS

I. Quid sint. II. Quotuplicia distinguantur. III. Quinam jure gaudeant oratorii. IV. Statuta in jure circa oratoria publica et semipublica. V. Statuta in jure circa oratoria privata. VI. Jus quo gaudent circa oratoria habentes Bullam Cruciatae.

I. (**Quid sint oratoria.**—Antiquitus *oratorium* dicebatur locus quicumque divino cultui dedicatus, sive ad Sacrificium offerendum, sive ad psalmos canendos, sive ad alia religionis officia adimplenda, et in genere *domus orationis*.) A saeculo vero V coeptum est *oratorium* haberi pro loco sacro minoris formae et humilioris cultus,

Saeculo VI et VII oratoria vocabantur Capellae, quae in coemeteriis aut alibi extabant absque baptisterio et publico officio, ad quas Episcopus interdum certis de causis Sacerdotem ad celebrandum mittebat. Hodie vero, in nostro loquendi modo, privatas Capellas indicat; si autem publicas, vel ad aliquam majorem Ecclesiam pertinentes considerantur, vel sunt valde angustae, vel raro patent aut de sero tantum, vel in locis reperiuntur magis remotis et minus habitatis, quamvis, ita saepe vocentur aedes sacrae publicae, quae parochiales non sunt, seu ecclesiae non parochiales.

II. **Quotuplicia oratoria distinguantur.**—Triplex distinguitur oratoriorum species: publica, privata et semipublica. 1.° *Publica* sunt quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universis pandunt ingressum.

2.° *Privata*, stricto sensu, e contra, dicuntur oratoria quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae, ex indulto S. Sedis, erecta sunt.

3.° *Semipublica*, quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sint, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicujus communitatis vel personarum coetui inserviunt.

Hujus generis sunt, quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica, ad pia Instituta et Societates votorum simplicium aliasque communitates sub regula, sive statu saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad arces et carceres, quibus adjungi potest Capella in coemeterio rite erecta, dummodo in Missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat (Decret. S. R. C., 23 Jan. 1899).

III. **Quinam jure gaudeant Oratorii.**—Jure communi: 1.° Episcopi et Cardinales in propriis aedibus, et haec oratoria publicis aequiparantur. 2.° Regulares, quorum privata oratoria, in domibus regularibus erecta, publicis etiam oratoriis aequiparantur. 3.° Communitates et coetus, de quibus supra, sola licentiâ Episcopi

seu Ordinarii (S. R. C., 8 Mart. 1897 ad I^{um}). 4.° Protonotarii Apostolici *participantes* et protonotarii *ad instar*.

Ceteri indigent indulto apostolico, sicut et qui aliud oratorium, praeter principale, in communitatibus erigere volunt (S. R. C., 8 Mart. 1879).

IV. **Statuta in jure circa oratoria publica et semipublica.**—Ut principium generale statui potest, in oratoriis tum publicis tum semipublicis licere omnes functiones sacras celebrare, quae *parochiales* non sint. Decreta, quae in contrarium afferebantur, expuncta fuere a nova Collectione, et ex Decreto generali 23 Jan. 1899, et 25 Junii ejusdem anni, quod eis suffectum est; et ex principiis inde deductis, eruitur, uti probant *Ephemerides liturgicae* (Vol. XIII., p. 690 et seqq.), statuta doctrina generalis, cui hoc etiam addendum est, nempe: Oratoria publica esse ab Episcopo consecranda, vel saltem solemniter benedicenda, ideoque Titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava (Decr. 5 Jun. 1899, n. I et II); oratoria vero semipublica consecrari, vel solemniter benedici quidem possunt, si valde ampla sint, dotata et diu permansura, et, si de facto consecrentur, vel solemniter benedicantur, Titularis festum eodem modo recolendum est; sed non adest obligatio illa consecrandi, vel solemniter benedicendi; unde, si consecrata, vel solemniter benedicta non sint, festum Titularis nequit celebrari. In ceteris omnino aequiparantur oratorium publicum et semipublicum.

V. **Statuta in jure circa oratoria privata.**—1.° *Circa erectionem.*—Uti diximus, haec oratoria erigi tantum possunt auctoritate apostolica, quamvis Episcopi, in casu necessitatis et ad actum transeuntem, veniam pro ipsis erigendis concedere valeant, et pro seipsis illud erigere possint, etiam extra propriam dioecesim, in domo tantum propriae habitationis (Conc. Trid. sess. 22 Decr. *De observandis et evit. in celebr. Miss.* Const. Clem. XI *Quoniam sancta*; Innoc. XIII *Apostolici ministerii*; Bened. XIII *In supremo*, et Bened. XIV *Magno*).

2.° *Circa formam.*—Oratorium domesticum debet esse decenter ex muro extructum et ornatum, ab omnibus ceteris usibus domesticis liberum; unde, super illud retineri non debent lectus ad dormiendum, vel aliae res nimis profanae. Ad examinandum, utrum haec juris re-

quisita adsint, necnon ipsum indultum concessionis, hujusmodi oratoria visitari et approbari debent ab Episcopo, qui, si omnia de jure requisita adsint, approbationem negare nequit.

3.° *Circa missam.*—Charater oratorii domestici est, ut sit concessum tamquam facultas facta quibusdam celebrandi missam in loco designato, ita ut concessio spectet principaliter personas, accessorie vero locum. Ex quo sequitur: **a)** missam in illis celebrari non posse, nisi a sacerdotibus indultariis, vel nisi praesente saltem una ex personis contemplatis in indulto, et **b)** personas extraneas et famulos, quorum praesentia non est heris necessaria in ipso momento auditionis missae, non satisfacere praecepto, sacro assistendo in hisce oratoriis, utique vero hospites et alias personas ejusden familiae.

Nisi contrarium in indulto exprimatur, una tantum missa in eis dici potest, a qua celebranda, sine speciali indulto, excipiendi sunt dies Paschatis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniae et Ascensionis Domini; Assumptionis et Annuntiationis B. M. V.; Omnium Sanctorum et Apostolorum Petri et Pauli.

4.° *Circa administrationem sacramentorum.*—De licentia Episcopi licet in oratoriis domesticis ministrare sacramentum poenitentiae, quamvis non deceat ut frequenter fiat; sed probabilius non licet sola ejusdem licentiâ communionem ministrare.

VI. **Jus quo gaudent circa oratoria habentes Bullam Cruciatae.**—Tempore interdicti, possunt: 1.° missas et alia divina officia per seipsos vel per alium celebrare facere et illis interesse in oratorio privato ab Ordinario visitando et designando, clausis januis et excommunicatis et specialiter interdictis exclusis; 2.° ibidem recipere Eucharistiam et alia Sacramenta, Communione Paschali de praecepto excepta; 3.° satisfacere in illis praecepto audiendi Sacrum, et 4.° missam celebrare, vel celebrare facere una hora ante auroram et una post meridiem (Decl. C. S. Off., 14 Jan. 1857). Ante declarationem S. Officii 7 Maj. 1902 nonnulli auctores probabiliter tenebant his privilegiis etiam frui posse, extra tempus interdicti; at, post dictam declarationem, amplius haec opinio *sustineri nequit.*

ARTICULUS IV.

DE ALTARIBUS

Insignior Templi pars est *Altare*, cum super hoc Christi Domini sacrificium Sacerdos conficiat. Circa ipsum, praemissis: I. nonnullis notionibus historicis, videbimus; II. quae spectant ad eorum species; III. ad consecrationem, et IV. ad execrationem.

I. **Notiones historico-juridicae.**—1.° Pristinae Ecclesiae Patres Altare *Sanctam Mensam* vel simpliciter *Mensam* appellarunt, quam Martyris nomine etiam donarunt, ut *Mensa Cypriani*, apud Augustinum.

2.° *Quoad materiam*, altare ordinario ligneum fuit ad saeculum VI usque, in quo ex lapidibus ea construenda esse statutum fuit in Occidente (C. 31 de *Consecratione*, Dist. 1). Verum, sicut ante VI saeculum in splendidioribus Ecclesiis altaria quandoque vel argentea, vel auro gemmisque ornata erant, ita post VI saeculum diutius lignea invaluerunt in aliquibus saltem locis ad saeculum usque XIII. At a IV saeculo in Oriente lapidea altaria fuerant.

3.° *Quoad formam*, ad arcae instar erat altare; quare illud *Arca* aliquando appellatum est, ex tribus enim constabat tabulis, supernâ nimirum et lateralibus, cetera concavum. Hinc sub altaris cavo, quod ex utraque parte olim patebat usque ad saeculum XVII, saltem in aliquibus locis, Martyrum ossa vel Confessorum erant. Altaria olim nullum habebant gradum; a saeculo IV uno saltem gradu e plano elevata sunt; verum postquam pluribus gradibus elevata fuere, ut universe post saeculum XV evenit, cavum grandius fuit, ac veluti parva evasit aedicula, olim *confessio* appellata, eo quod sacerdos, cum in Liturgia Confessionem recitaret, illi imminebat aediculae. Ut altare firmius staret, columnis illud fulcire veteres consueverunt; plerumque duae erant, aliquando una, *Columella* a latinis nuncupata. Post saeculum XII passim altaria *cavo* carere coeperunt. Gradus olim totum circuibat altare, cum illud in Presbyterii centro medium staret, sacerdos enim in Liturgia versus populum erat; ideoque non vertebatur ad *Dominus vobiscum*, qui quidem mos ad saeculum usque XIII obtinuit, ex quo altaria muro ipsius absidis adhaerere coeperunt. Altari supereminebat *ciborium*, quod erat velut altaris umbraculum, constans ex parva quadam absida a quatuor vel duabus columnis sustentata, e quibus suspensa erant aliquibus in Ecclesiis

altaris *velamina*, quibus altare obducebatur ad communionem usque.

II. **Altarium species.**—Duplex distinguitur altare: *fixum et portatile* seu *viaticum*.—1.° *Fixum* in sensu liturgico illud est quod habet, et importat conjunctionem tabulae cum sua structura inferiori, seu basi, cui tabula proinde necessario debet esse unita. 2.° *Portatile* autem, est simplex lapis consecratus, qui, absque nexu mensae altaris, ex ligno aliave materiâ confectae inseritur. Solet etiam *ara* vel *viaticum* vocari.

III. **Consecratio altaris.**—Quamvis antiquitus, ad saeculum VI usque, altare *sanctum* et consecratum censeretur postquam Christi Corpus exceperat, nulla Chrismatis unctione adhibita, ex tunc vero, non licet in eo missam celebrare sine dispensatione apostolica, quin prius rite consecretur (C. 19, 25, 30, 31 *de Consecr.* Dist. 1, et c. 5, t. 40, lib. III, Decr.) Hanc consecrationem peragere tantum potest Episcopus, quin valeat talem potestatem simplici presbytero delegare, est enim actus ordinis episcopalis (C. 3, t. 40, lib. III). Ex privilegio tamen apostolico, Missionarii Regularium apud infideles consecrare possunt altaria portatilia, sed adhibitis oleis a catholico Episcopo consecratis. Etiam plures Abbates privilegio gaudent consecrandi altaria pro suis ecclesiis, sed non pro alienis, etiam accedente licentiâ Ordinarii, saltem licite, quoad enim validitatem disputatur; quamvis etiam hic applicari possint, quae diximus Lib. I. (pag. 56 num. 2.°) loquendo de ordinibus minoribus (Vid. Decr. S. R. C., 27 Sept. 1659).

IV. **Execratio altaris.**—Altare execratur, seu amittit consecrationem: 1.° Quando est enormiter laesum vel fractum, quod evenit, si tabula fuerit in duas vel in plures partes notabiles divisa, ac proinde, continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat (S. R. C., 23 Jun. 1879); vel si pars fracta contineat unam ex lateralibus crucibus, ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis (S. R. C., 6 Oct. 1837).

2.° Si ab eo auferantur sacrae reliquiae, aut amoveatur, vel enormiter frangatur reliquiarum repositorium aut ejus operculum, id est, parvus ille lapis, qui easdem claudit reliquias in ipsarum sepulcro vel reposi-

torio. Non vero sufficit sigilli fractio, si aliunde constet altare fuisse consecratum (S. R. C., 5 Dec. 1851). Nec etiam sufficit amissio calcis, qua conglutinatur sepulcrum, si apertum non sit, tunc enim sufficit illud novo coemento firmari (S. R. C., 25 Sept. 1875 et 18 Maj. 1883).

3.° Altare fixum consecrationem amittit, si a basi mensa superior consecrata amoveatur, id est, disjuncta aut sejuncta fuerit, quamvis tabula ex uno in alium locum translata non sit (S. R. C., 23 Febr. 1884).

ARTICULUS V.

DE FORMA CULTUS DIVINI

I. Sacrae linguae. II. Cantus ecclesiasticus et musica sacra. III. Sacrae caeremoniae, seu ritus.

I. **Sacrae linguae.**—1.° *Principia.*—«Quaemadmodum Ecclesia sacram liturgiam non in loco profano, sed in *ecclesiis* specialiter consecratis, vel benedictis celebrare solet, ita etiam summopere convenit, ut *lingua* quoque liturgica, saltem sua forma, a vulgari sermone sit distincta, et divinis mysteriis conformis» (Wernz, t. III, p. 473). Quod si utraque Ecclesia, Occidentalis et Orientalis, jam pridem in cultu divino retinent antiquas linguas a linguis vulgaribus diversas atque adeo *mortuas*, hujusmodi disciplina optimo jure introducta, etiam nunc sapienter conservatur et retinetur, nec est *contra Christi institutionem* (Conc. Trid., sess. 22, Decr. cap. 8, can. 9; Clem. XI Const. *Unigenitus* et Pii VI Const. *Auctorem Fidei*). Illae enim linguae liturgicae, ipsa sua antiquitate atque usu tot saeculorum consecratae, cultum divinum reddunt magis *venerandum* et a vita vulgari alienum. Ita etiam magis splendet uniformitas disciplinae ecclesiasticae, quae optimum medium est ad corroborandam *unitatem* Ecclesiae. Et revera, omnes fere nationes una lingua liturgica eodemque ritu utentes, sunt veluti unius labii in perfecto illo actu cultus divini atque cum Sede Romana et inter se intime conjunctae. Nec obstat, quod linguae illae antiquae a multis non intelligantur; nam

liturgia Ecclesiae catholicae non est *praedicatio verbi Dei, sed cultus* a ministro publico Deo exhibitus, et aliunde populo fideli rite instructo non deest cognitio necessaria ut devote et fructuose cultui catholico assistat.

Huic principio et aliud addendum est, hanc nempe disciplinam non esse juris divini sed *ecclesiastici*, ideoque penes Rom. Pontificem, et quidem penes ipsum solum, etiam nunc esse potestatem *permittendi* usum linguae vulgaris majori vel minori ambitu in sacra liturgia celebranda.

2.° *Disciplina vigens.*—In Ecclesia *occidentali* tum in ritu Romano, tum in ritu Ambrosiano et Mozarabigo, lingua *latina* unice uti liturgica retinetur. In Ecclesia *Orientali* multo major reperitur numerus linguarum liturgicarum, scilicet: graeca, armeniaca, syriaca, coptica, quibus accedunt in graeco ritu lingua romanica et slavica, in ritu syriaco etiam lingua arabiga, in ritu coptico lingua aethiopica. Usus tamen linguae vulgaris non excluditur ab Ecclesia in functionibus *non stricte liturgicis*, v. g.: in devotionibus popularibus, imo in functionibus stricte liturgicis, sed secundariis, nonnumquam aliquid Ecclesia indulgere solet.

II. **Cantus ecclesiasticus et musica sacra.**—Quidquid circa hanc materiam ab Ecclesia statutum fuit, peroptime continetur in recenti *Motu Proprio* Pii X, die 22 Nov. 1903, sub forma *Instructionis de musica sacra* edito, quod verus musicae sacrae codex est, et habetur. En fere ad litteram pars dispositiva ipsius.

1.° *Principia generalia.*—**a**) Musica sacra, prout pars integrans solemnis liturgiae, hujus particeps est finis, qui gloriam Dei et sanctificationem Christifidelium spectat. Ipsa decus caeremoniarum ecclesiasticarum adauget, et quod ejus praecipuum munus est, concentu opportuno verba liturgiae exornare, ita musicis sacris haec verba intelligentiora fieri debent, quo facilius Christicolae ad fidem et religionem excitentur, et abundantius percipiant gratiam, quae sacrorum mysteriorum propria est (Art. I).

b) Ex quo evenit, ut musica sacra omnibus muneribus liturgiae praedita sit, praesertim *sanctitate, bonitate formarum,* ex quibus et *universitas* oritur.—Sit *sancta,* ejiciat igitur e sacris profana, non tantum in se, sed etiam quoad formam qua a cantoribus proponitur.—Sit *ars vera,* ut in animis audientium illam habeat virtutem, quam Ecclesia postulat quum

musicis liturgiam societ.—Sit *universalis*, hac ratione, scilicet: quamvis singulis nationibus liceat in musicis sacris admittere illos praecipuos modos, qui formam earum musicae constituant, hi tamen modi legibus generalibus sacrorum musicorum subjiciantur, ne ullius alienigenae animus, eos cum audiat, ingrate ferat (Art. II).

2.° *Sacrorum musicorum genera.*—**a**) Hae dotes praecipue inveniuntur in *cantu* gregoriano, qui igitur Ecclesiae Romanae est, quem ea a majoribus accepit, et in codicibus liturgicis, volventibus aevis, fidelissime servavit, quem vero, prout est proprius, Christicolis proponit et aliquoties in liturgia praecipit, quem denique novissima studia pristinae dignitati et integritati restituerunt. His de causis, cantus gregorianus ut exemplar optimum sacrorum musicorum semper est habitus, cum vera sit haec lex: *musica compositio eo magis est sacra et liturgica, quo in modis cantum gregorianum sequitur, et eo minus templi digna est, quo magis illo optimo exemplo peccat.* Cantus gregorianus, quem transmisit traditio, in sacris solemnibus omnino est instaurandus, et omnes pro certo habeant sacram liturgiam nihil solemnitatis amittere, quamvis hac unica musica agatur. Praesertim apud populum Cantus gregorianus est instaurandus, quo vehementius Christicolae, more majorum, sacrae liturgiae sint rursus participes (Art. III).

b) Quas supra exposuimus dotes, eae optime reperiuntur in *classica polyphonia*, praesertim Scholae Urbanae, cujus XVI vertente aevo Petrus Aloysius Praenestinus exstitit perfector, quaeque Cantui gregoriano optime cohaeret. Instauranda est igitur, et haec in maximis Basilicis, in Ecclesiis Cathedralibus, in sacrariis seminariorum aliorumque conventuum, qui opibus florent (art. IV).

c) Progredientibus artibus semper Catholica Ecclesia favit, cum cultui servire voluisset quidquid boni et pulchri, vertentibus annis, ingenium invenerit, servatis tamen legibus liturgicis. Ex quo efficitur, ut et *musica hodierna* in ecclesiis admittatur cum sit modis suavis, nec sacris liturgiis minime indigna. Tamen, quod musica hodierna finem habet profanum, curandum est ne musicorum modi hodierno stylo, qui in Ecclesiis admittuntur, quid habeant theatrale vel profanum, neve quoad formas alienos modos attingant (art. V).

d) Inter hodiernae musicae genera, stylus ille theatralis ad sacra sequenda minime aptus videtur, qui nuper elapso aevo praesertim in Italia viguit (art. VI).

3.° *Textus liturgicus.*—**a**) In sacris liturgiis prohibetur quidlibet vulgari sermone canere, praesertim partes variantes vel communes Missae et Officii (art. VII).

b) Cum singulis liturgiis sint texta statuta, quae musicis

cani possint, et ordo propositionis apprime fuerit constitutus, hunc perturbare non licet, neve statutis textis ad libitum alia substituere, neve penitus ea omittere vel imminuere; nisi liturgicae rubricae concedant, ut organum aliqua verba texti, quae in choro recitentur, substituat. Liceat tamen more Romanae Ecclesiae canere *cantiunculam* (*Motete*) in honorem SS. Sacramenti post *Benedictus* in Missa solemni. Concedimus denique ut, Missae Offertorio absoluto, brevis cantiuncula canatur super verba ab Ecclesia approbata (art. VIII).

c) Textum liturgicum, ut est in libris, sine verborum permutatione vel repetitione et intelligibili forma Christicolis audientibus est canendum, nec dividantur verba (art. IX).

4.° *Forma exterior Sacrarum compositionum.*—Singulae partes Missae et divini Officii et in musicis servent, quam ecclesiastica traditio eis dedit formam, quae in Cantu gregoriano optime invenitur. Non eodem enim modo componitur *Introitus, graduale, antiphona, psalmus, hymnus, Gloria in excelsis, etc.*, (art. X). En servanda:

a) *Kyrie, Gloria, Credo* Missae habeant unitatem compositionis texto pertinentem. Non liceat igitur *Kyrie, Gloria*, etc. ita separatim componere, ut singulae eorum partes perfecta musica compositio videantur, et quae evelli possint vel aliis substitui partibus.

b) In solemni recitatione Vesperarum sequendum est *Caeremoniale Episcoporum*, quod praecipit Cantum gregorianum psalmodiae, et concedit *musicum concentum* (*canto figurado*) hymno et versibus *Gloria Patri.*—Liceat tamen in quibusdam solemnitatibus Cantum gregorianum et eos qui dicuntur *falsibordoni* alternis psallere, aut versus simili modo apte compositos. Liceat denique, aliquoties singulos psalmos musice canere, dummodo forma propria psalmodiae servetur, id est, dummodo cantores alternis psallere videantur modis vel novis, vel e cantu gregoriano sumptis, vel huic similibus. Prohibemus igitur psalmos qui dicuntur *concentus* (*de concierto*).

c) *In hymnis* Ecclesiae forma traditionis hymni servetur. Non licet ideo componere, exempli gratia, *Tantum ergo*, ita ut prior stropha videatur *romanza* vel *adagium* et *Genitori allegro*.

d) *Antiphonae* Vesperarum cantu gregoriano proponendae sunt; quod si musice canantur, videri non debent concentus melodiae, neque cantiunculae amplitudinem habeant (Art.11).

5.° *Cantores.*—**a**) Praeter melodias celebrantis ad altare et ministrorum, quae cantu gregoriano semper cani debent sine organi sequentia, quae cantus liturgici extant, sunt *Chori Levitarum* ideoque cantores ecclesiastici, quamvis non clerici, chori ecclesiastici munere funguntur. Musica igitur, quae proponi-

tur, servare debet formam musicae choralis. Sed non excluditur vox (*solos*), at in sacris solemnibus haec ita non supersit ut major pars texti liturgici hoc modo proponi videatur; videatur potius simplex indictio melodica, et compositioni, ut forma choralis, strictius adhaereat (Art. 12).

b) Ex eodem principio sequitur, ut cantores in ecclesia liturgico munere fungantur, ideoque mulieres, cum hujus muneris non sint capaces, admitti non possint ad chorum vel ad musicos. Quod si igitur *voce acutiore* (*sopranos*) vel *acuta proxima* (*contraltos*) uti velimus, perantiquo ecclesiastico more a pueris hae voces edantur (Art. 13).

c) Denique *ecclesiasticorum musicorum* (capilla de la Iglesia) participes tantum sint viri religione et pietate conspicui, qui pie et devote sacris cum adsint, munere, quo funguntur, digni videantur. *Convenit* ut cantores, dum in ecclesia canunt, induant talarem vestem et superpelliceum, quod si in orchestris in suggestu locum habeant, fidelium oculis ultra modum patente, clathris abscondantur (Art. 14).

6.° *De Organis et musicis instrumentis.*—**a**) Quamquam Ecclesiae musica propria est illa vocalis, tamen permittitur musica cum sequentia organi. Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut *Coeremoniale Episcoporum* praecipit (Art. 15).

b) Quod cantus vocalis superesse debet, organus et musica instrumenta eum tantum substineant, non opprimant (Art. 16).

c) Non licet longa praeludia praemittere cantui vel partibus intermediis interrumpere (Art. 17).

d) Sonus organi in sequentiis cantûs, in praeludiis, interludiis, similibus, hujus instrumenti naturam non solum sequatur, sed musicae sacrae omnium qualitatum, quas supra exposuimus, particeps sit (Art. 18).

e) In ecclesia uti non licet *cymbalis* (piano), *tympano* (tambor), *magno tympano* (timbal), *catillis* (platillos), *tintinnabulis* (campanillas), similibus (Art. 19).

f) Prohibetur omnino illis quae dicuntur *musica urbana* (bandas de música) in ecclesiis psallere; tamen, annuente Episcopo, liceat admittere aliqua musica instrumenta vocalia, ratione perpensa, dummodo compositio et sequentia sit in stylo gravi et omnino simili stylo organi (Art. 20).

g) In publicis supplicationibus liceat Episcopo admittere musicam urbanam, dummodo ne haec modos profanos canat. Est in votis symphoniacorum catervam in his casibus tantum sequi aliquem hymnum spiritualem latino vel vulgari sermone a cantoribus, vel a piis congregationibus, quae supplicationis sunt participes, propositum (Art. 21).

7.° *Amplitudo musicae liturgicae.*—**a**) Non licet ratione

cantus vel soni, sacerdotem ad altare longius, quam caeremoniâ liturgica quaerit, expectare. Juxta ecclesiastica decreta, *Sanctus* Missae ante elevationem perficiatur, ideoque etiam sacerdos celebrans cantorum rationem habeat. *Gloria* et *Credo*, juxta gregorianam traditionem, brevia satis sint (Art. 22).

b) Generatim est omnino damnandum, ut malus usus, in sacris solemnibus liturgiam inferiorem locum habere, quasi musicorum sit ancilla, at contra tantum pars liturgiae (Art. 23).

8.° *Media praecipua.*—**a**) Quae statuimus, ut rite serventur, Episcopi in propria dioecesi instituant, nisi jam fecerint, *coetum* (comisión) virorum apprime sacram musicam callentium, qui, uti aptius Episcopis videatur, pervigilandi musicam, quae in ecclesiis canitur, munus habeant. Curent insuper ut musica optima sit, cantorum aequa viribus et semper optime canatur (Art. 24).

b) In seminariis clericorum et in conventibus ecclesiasticis, juxta Tridentina decreta, magna cum diligentia et studio cantus gregorianus, quem transmisit traditio, colatur, et juvenibus praepositi omnimodo faveant. Ubi fieri potest, inter clericos *Schola Cantorum* erigatur, quae sacram polyphoniam et optimam musicam liturgicam exequatur (Art. 25).

c) In quotidianis lectionibus liturgiae, theologiae moralis et juris canonici, quibus imbuuntur discipuli scholae theologicae, doctores curent, ut, quae sacram musicam attingant, pertractent, et discipulos pulchrum artis sacrae doceant, ne clerici, studiorum cursu absoluto, his notionibus cultui rerum ecclesiasticarum necessariis, careant (Art. 26).

d) Detur opera ut restituantur, saltem apud priores ecclesias, antiquae *Scholae Cantorum*, ut jam plurimis in locis actum est. Clero volenti, haud difficile est has Scholas instituere, etiam in ecclesiis minoribus et ruralibus, quin etiam his Scholis pueri et grandes natu facilius ad sacerdotem conveniunt suo ipsorum fructu et populi religione (Art. 27).

e) Curetur denique et quoquo modo Scholae Superiores et sacrae musicae ubi jam sint provehantur et augeantur, ubi vero adhuc non sint, fiant. Oportet enim Ecclesia faveat et provideat, juxta sacrae artis principia, cultui et humanitati suorum coriphaeorum et cantorum (Art. 28).

III. **Sacrae caeremoniae seu ritus.**—1.° *Notio.*—Vocabula *caeremoniae* vel *ritus* uti synonyma frequenter usurpantur ad significandas externas formas legitimas cultus divini; at non raro *caeremoniae* strictiori sensu adhibentur ad significandum solummodo *gestus corporis* (actiones symbolicas, formas accidentales) ab Ecclesia in cultu divino institutas et additas, et hoc sensu oppo-

nuntur *ritibus*, quibus notantur sacrae formulae verborum et substantiales formae externae sacrificii et sacramentorum a Christo institutae.

2.° *Principia.*—a) Quicumque admittit cultum Dei externum, etiam admittat oportet actus gestusque corporis in functionibus liturgicis; nam certi corporis gestus, velut genuflexio vel elevatio oculorum in coelum, sunt adeo naturales, ut sponte sua fiant nec legibus sint praescribendi.

b) Ecclesia catholica, cum in publico cultu divino non potuerit privato arbitrio relinquere usum caeremoniarum, pro suo manifesto jure, praeter ritus substantiales sacrificii et sacramentorum jure divino jam institutos, etiam caeremonias accidentales instituit atque adeo praescripsit.

3.° *Disciplina vigens.*—Inter caeremonias sive gestus corporis, qui etiam nunc in cultu divino Ecclesiae catholicae occurrunt, hi potissimum recensentur:

a) *Signum crucis*, quod tum veneranda antiquitate, tum sublimi sua significatione, principem occupat locum, in cultu privato christianorum, atque in sacra liturgia frequentissimum habet usum.

b) *Elevatio oculorum* (ad Deum vel ad coelum) fiat necesse est quotiescumque a rubricis praescribetur, atque a sacerdote celebrante in elevatione oculorum crux est adspicienda.

c) *Inclinatio capitis*, quae distinguitur in *magnam*, *mediam*, *parvam*, et opponitur *profundae* et *mediocri* inclinationi *corporis*. Quandonam, vero, secundum praxim Ecclesiae latinae a clericis vel laicis, caput *detegendum* vel *cooperiendum* sit, ex ipsis rubricis et specialibus decretis S. R. C. est eruendum.

d) *Osculum* ut signum *pacis* et *reverentiae*, etiam nunc frequenter in sacra liturgia praescribitur, ideo arbitrarie non est pratermittendum vel extendendum. Quare cum nunc obstet expressa prohibitio Ecclesiae, osculum pacis, ne per instrumentum quidem, *feminae* dari potest; nec domino loci vel praepositis fabricae, pro *more* cum viris ecclesiasticis usitato, est impertiendum.

e) *Manuum* gestus, ut extensio, junctio et disjunctio, elevatio, plicatio, impositio super altare, lotio, tunsio pectoris per *manus*, ad cultum divinum Ecclesiae ca-

tholicae non solum necessario requiruntur, sed etiam cultus interni sunt connaturales significationes atque eximiae significationes symbolicae.

f) (*Genuflexio,*) quam fideles frequenter usurpant, in functionibus liturgicis vel ipsis ministris publicis diversimode per rubricas praescripta est; imo aliquando *prosternatio* quoque totius corporis. Pariter mos antiquissimus *standi*, cum certi actus cultus divini peraguntur, saepissime adhibetur, et ministris publicis imponitur; praxis vero ex parte *sedendi* tempore officiorum divinorum, quae olim male audiebat, hodie permissa est, salvis rubricis, in quibus ministri liturgici etiam *jubentur* sedere pro singulari natura actionis.

ARTICULUS VI.

DE SACRA SUPELLECTILI

I. Calices et patenae. II. Pixides. III. Paramenta sacra. IV. Campanae.

(I. **Calices et patenae.**—Utraque consecranda sunt; et quidem ipsorum consecratio fieri potest ab iisdem, qui altaria consecrare valent, et eodem modo iisdemque titulis.

Calices vero exsecrantur: 1.° Si destruantur, aut suam formam artificialem amittant, ita ut amplius apti non sint pro ministerio oblationis sacrificii, ut si pes a cuppa per fractionem separetur; secus, si pes sit tornatilis et naturâ sua a cuppa separabilis.

2.° Si denuo deaurentur (S. R. C., 14 Jun. 1845). Negant tamen aliqui eos exsecrari, si diuturnitate temporis penitus abrupta sit inauratio, quod plerique affirmant.

3.° Si ab haereticis fuerint profanis usibus adhibiti.)

(II. **Pixides.**—Pixides non debent consecrari; possunt vero benedici; an debeant, nonnulli probabiliter negant, alii communius et probabilius affirmant. Illa vero benedictio, juxta probabiliorem sententiam, ab Episcopo facienda est, excluso casu specialis facultatis a S. Pontifice obtentae, qualem habent Abbates Pontificalia exercentes et Superiores Regulares; sed tantum uti possunt hoc privilegio favore propriarum ecclesiarum.

III. **Paramenta sacra.**—Benedici debent ab Episcopo, qui absque speciali indulto delegare nequit ad hoc simplicem sacerdotem (S. R. C., 2 Apr. 1875). Ex privilegio apostolico hanc facultatem habent omnes Praelati Regulares; scilicet: Generales, Provinciales et Superiores Locales; sed pro suis Ecclesiis tantum (S. R. C., 13 Mart. 1632). Et notetur non sufficere ut tamquam benedicta habeantur, quod quis bona fide cum paramentis non benedictis celebraverit.

Benedictionem vero sacrae vestes amittunt, quando amittitur figura prior quam habuerunt, et in qua fuerunt benedictae, vel quando ita lacerantur, aut destruuntur, aut immutantur, ut inhabiles ad usum, ad quem destinatae fuerunt, reddantur.

IV. **Campanae.**—Ipsarum consecratio et benedictio ad solum Episcopum de jure communi spectat; ex privilegio vero ad Abbates pontificalia exercentes. Nequeunt campanae suspendi in oratoriis privatis, sed tantum in ecclesiis vel oratoriis publicis (c. 10 *de priv.*), et nonnisi una in Ecclesiis Mendicantium (Extravag. un. *De off. cust.*, inter comm.), cui juri praevalet fere ubique consuetudo contraria.

TITULUS II.

DE REBUS RELIGIOSIS

Res *religiosae* illae sunt, quae sese referunt ad actus charitatis erga Deum et proximos exercendos, et quae instituuntur cum interventu actuum religiosorum. Opera autem charitatis, quae ordinavit Ecclesia (de ordinatis enim a Deo pertractat Theologia), diriguntur sive ad *vivos* sive ad *mortuos*; vivorum vero alia spectant *corpora*, alia *mentes*. Agemus igitur: I. de Institutis beneficentiae, quibus charitas in corpora exercetur; II. de Institutis educationis, quibus charitas in mentes impletur, et III. de coemeteriis et sepulturis, quibus charitas erga mortuos exercitatur.

ARTICULUS I.

DE INSTITUTIS BENEFICENTIAE

I. Quid sint. II. Quomodo dividantur. III. Ipsorum administratio. IV. Ipsorum jura et privilegia.

I. **Quid sint.**—Instituta beneficentiae *hospitalia* vel *loca pia* in Jure canonico vocantur; vox enim *hospitalia*, quamvis etymologice curam indicet adhibitam in peregrinis recipiendis, quoad rem tamen, in genere illa loca designat, in quibus publico modo christianae charitatis exercitium erga miseros quoscumque adhibetur.

II. **Quomodo dividantur.**—Si spectentur fundatores beneficentiae, instituta sunt *ecclesiastica* vel *laicalia*, prout interventu auctoritatis ecclesiasticae et ex opibus ejusdem, vel zelo potius privatorum aut potestatis civilis fuerunt instructa.

Ratione personarum, quibus auxilium praestatur, haec instituta sunt vel pro *pauperibus*: et tunc nominantur *Brephotrophia* pro infantibus, *Orphanotrophia* pro orphanis, *Conservatoria* pro puellis, *Gerontocomia* pro senibus; vel pro *infirmis*: scilicet, *Manicomia* pro furiosis et amentibus, *Leprosoria* pro leprosis, *Xenodochia* tandem et *Hospitalia* pro peregrinis et aegrotis respective. His omnibus *Montes pietatis* debent accenseri (Cf. Const. Leonis X *Inter multiplices*, 4 Maj. 1515 in Conc. Later. V).

III. **Ipsorum administratio.**—In iis, quae *spiritualia* sunt, seu quae animarum curam spectant, beneficentiae instituta pendent ab Episcopo.

Quoad administrationem *in temporalibus*, distinguendum est inter instituta *ecclesiastica* et *laicalia*. Quoad *ecclesiastica*, Episcopi est ordinare administrationem, et nominare oeconomos; *laicalia* vero regi debent juxta tabulas fundationis. Sed tum ecclesiastica, tum laicalia visitare potest Episcopus, et exigere rationem ab administratoribus, ut illi constet utrum leges statutae serventur, nisi sub immediata Regum protectione reperiantur, vel quoad visitationem, non quoad alia, nisi in tabulis fundationis statuatur ut Dioecesano non subjiciantur. Id Episcopi faciunt auctoritate ordinaria quoad bona non exempta; est enim Episcopus tutor natus omnium miserabilium, et exequutor omnium piarum voluntatum in sua dioecesi; quoad, vero, exempta, ceu Sedis Apostolicae delegati. Demum facta est Episcopis facultas convertendi in usum utiliorem et institutioni proximiorem reditus, qui facti sunt inutiles (Cf. pro his omnibus Conc. Trid. sess. 25, c. 8 de ref).

IV. **Institutorum beneficentiae jura et privilegia.**—Si *ecclesiastica* sint, gaudent privilegiis, juribus et immunitatibus, quibus gaudent Ecclesiae bona quaecumque. Si *laicalia*, nonnullis etiam fruuntur privilegiis, ut puta, quod nequeant, nisi annuente Ecclesia, alienari, et quod eorum causa favorabilis sit. In Hispania, sunt praeterea exempta a tributis, dummodo suis dominis nullos reditus afferant (Reg. Decr., 30 Dec. 1885).

ARTICULUS II

DE INSTITUTIS EDUCATIONIS

Praesupposita hic doctrinâ catholica de jure Ecclesiae nativo et exclusivo ad dirigendam theologicarum rerum doctrinam, de ejus auctoritate et vi moderatrice in omnibus publicis institutis, quae litteris, philosophiae et ceteris disciplinis tradendis et educationi juventutis sunt destinata, ac de jure quo potitur sese immiscendi in regimen publicarum scholarum et vel ipsas docendi scientias humanas necnon et instituendi diversi generis instituta educationis, prout de facto scholas monasteriorum, universitates atque quamplurima collegia instituit, hic nobis tantum sermo erit de *Seminariis*, quae sunt collegia ad educationem clerici destinata; et quorum alia *dioecesana* vel *conciliaria*, alia vero *centralia*, seu *universitates pontificiae ecclesiasticae* dicuntur. De utrisque separatis paragraphis sermonem instituemus.

§ I.—DE SEMINARIIS DIOECESANIS

I. Ipsorum natura et origo. II. Locus erectionis. III. Modus dotationis. IV. Administratio. V. Regimen internum.

I. **Natura et origo.**—Seminaria *dioecesana* vel *conciliaria*, sic dicta quia praescripta fuit ipsorum institutio et forma a Concilio Tridentino, sunt vera collegia educationis et instructionis, in quibus efformari debet clerus dioecesis; ut iis virtutibus et disciplinis, quae magis decent statum clericalem, facilius et perfectius instruatur. Alia dicuntur *majora*, in quibus omnia ecclesiastica studia peraguntur quamvis tantum baccalaureatum (nisi simul *centralia* sint) conferre valeant, et alia *minora*, ubi clerus grammaticam et philosophiam tantum edocetur.

Prima vestigia certa Seminariorum, reperiuntur in Concilio Toletano II a. 531 celebrato. Erant autem antiquitus apud Cathedrales et Collegiatas Gymnasia ubi clerici, vitam communem observantes ad sacrum ministerium instituebantur. His successere saeculis VIII et sequentibus publicae Acade-

miae variis privilegiis a SS. Pontificibus, Honorio praesertim III et Innocentio IV auctae, quibus tandem Concilium Tridentinum Seminaria suffecit, utpote clericorum institutioni aptiora.

II. **Locus erectionis.**—Seminaria erigi debent prope ipsas Ecclesias Cathedrales vel Metropolitanas, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo. Unum saltem Seminarium debet esse in qualibet dioecesi; sed ob paupertatem toleratur, ut unum pro duabus dioecesibus inserviat.

III. **Modus dotationis.**—Ad ipsorum dotationem *jure communi* procedi debet: 1.° Bonis addictis antiquis scholis, quae apud nonnullas Cathedrales erant, si qua exstent. 2.° Censu extraordinario ab omnibus Dignitatibus et Beneficiariis persolvendo. 3.° Uniendo Seminario nonnulla beneficia simplicia (1).

IV. **Administratio Seminarii.**—Distinguenda est administratio: 1.° quoad spiritualia, et 2.° quoad temporalia.

1.° *Pro spirituali administratione* eligendi sunt ab Episcopo de gremio capituli Cathedralis duo Canonici, quorum consilium exquirere debet Episcopus in constituendis regulis Seminarii, in electione alumnorum introducendorum, in librorum delectu, in punitione dyscolorum, in visitationibus, in electione et remotione magistrorum, confessarii et in aliis hujus generis.

2.° *Pro temporali* administratione, Episcopo assistere debent quatuor deputati; duo ex Capitulo, quorum unus eligendus est ab Episcopo, et alter a Capitulo; et duo de clero civitatis, quorum etiam unus ab Episcopo, el alter a clero civitatis, vel, juxta alios, a clero totius dioecesis designari debet. Isti deputati perpetui sunt, et amoveri nequeunt nisi ex justa causa, ut esset senectus, infirmitas aut quid simile; quod viget etiam pro deputatis in spiritualibus. Episcopus tenetur hanc secundam com-

(1) In Hispania, juxta Concordatum a. 1851 (Art. 35 et 36) Seminaria ab aerario publico quotannis accipere debent a 22 500 ad 30.000 libellas (*ptas.*) Item, spolia Sedium Episcopalium vacantium, deductis expensis pro oeconomo et reparationibus necessariis, quoad medietatem applicari debent Seminario, et potestativum jus habent insuper Episcopi eidem applicandi partem quantitatis efformatae cum spoliis aliorum beneficiorum.

missionem consulere, etiam ad validitatem actuum, quamvis non teneatur illius sequi consilia circa taxam contributionis a beneficiariis exigendae, circa unienda Seminario beneficia, in deputatione vel expulsione ministrorum (*fámulos*) Seminarii, in deputatione Rectoris, non vero ceterorum Magistrorum, in expensis quotidianis, in administratione bonorum quorumcumque ac redituum Seminarii, in omni denique temporali administratione, sed non in exigenda taxa quoad ipsum jus.

V. **Regimen internum Seminarii.**—Quoad hoc distinguere oportet: 1.° personas, quae regimen constituunt; 2.° personas in Seminario admittendas et 3.° disciplinam Seminarii.

1.° *Personae pro regimine Seminarii* sunt Rector ab Episcopo electus, Director spiritualis ad pietatem fovendam et conscientias dirigendas, Administrator pro ferendis rationibus et victu providendo, studiorum Praefecti, et Magistri.

2.° *Pueri admittendi* in Seminario ad minimum 12 annos habere debent, ex legitimo matrimonio nati, quique legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult S. Synodus, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi.

3.° *Disciplina Seminarii.* Quoad *corpus*, tonsura et habitu clericali uti semper debent. Quoad *animam*, ut moraliter et religiose perficiantur, Episcopus curare debet, ut singulis diebus missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et, juxta confessarii sententiam, sumant Corpus Domini, et Cathedrali et aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. Ad perfectionem vero intellectualem, quae decet sacerdotes, consequendam, vult S. Synodus ut Grammatices, cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam, sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum et caeremoniarum formas ediscant.

§ II.—DE SEMINARIIS CENTRALIBUS

I. Facultates in ipsis erectae. II. Facultatum regimen. III. Ratio studiorum. IV. Examina.

I. **Facultates erectae in Seminariis Centralibus** (1). —Ex praecepto S. C. Studiorum, in Seminariis Centralibus, erigendae sunt tres Facultates; idest: S. Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae, cum amplissimo ac insigni Sedis privilegio gradus omnes conferendi clericis, qui earumdem Facultatum Scholas rite frequentaverint.

II. **Facultatum regimen.**—Facultates reguntur: 1.° A *Magno Cancellario*, qui S. Pontificem repraesentat et est Metropolita ipse.

Ad eum pertinet eligere et nominare Praefectum Studiorum et Collegiatos Doctores, necnon singulos Facultatum Professores et Substitutos, de omnibus diligenter providere, quae ad Facultatum decus, ordinem, administrationem et rectam studiorum rationem spectant, Collegia congregare hisque praeesse sicut et examinibus pro gradibus, laurea praesertim, cum privilegio duplex votum ferendi, et quolibet triennio ad S. C. Studiorum relationem mittere de numero et progressu discipulorum, de gradibus collatis, de Professorum ac Doctorum Collegialium numero et titulis, de textuum auctoribus ac de Facultatum statu.

2.° A *Praefecto* Studiorum, qui et Vice-Cancellarii munere fungetur, et alius a Rectore disciplinae in Seminario esse, atque a Magno Cancellario semper nominari debet, et in Collegio Doctorum est cooptandus; ille insuper Magni Cancellarii vices aget, ejusque est alumnos recipere et in matriculae libris scribere relationemque conficere supradictam.

3.° A *Collegiis Doctorum*, quae tria esse debent; unum pro qualibet facultate. In Conventibus generalibus, primae et potiores partes erunt semper Collegio Doctorum Theologorum, quod subsequetur Collegium Juris Canonici et postremo Collegium Philosophorum.

Nec infra octo nec ultra duodecim doctores unumquodque Collegium habebit, ex his antiquior Decanus, ultimus a Secre-

(1) In Hispania centralia sunt Seminarium Salmaticense et omnia Metropolitana.

tis munere fungetur. Eligi possunt sacerdotes laureati, saeculares vel regulares, et etiam Facultatum professores, si laureati sint, dummodo plerique Doctorum ex non professoribus eligantur. Ipsorum electio, excepta prima vice, ab ipso Collegio perficietur, *ternam* Magno Cancellario praesentando, cui jus erit, quem maluerit ex *terna* eligere, sed electus a S. Sede confirmandus est.

Eorum munus est examina candidatorum habere, et vota proferre de eorum scientia pro gradibus obtinendis; programmata studiorum et examinum a Professoribus exarata revisere ut approbentur.

Tum ipsi, tum professores ante susceptum munus, fidei professionem emittere tenentur, et semel confirmati, a munere removeri nequeunt, nisi gravissima de causa in Collegio Doctorum discussa, et ab Archiepiscopo approbata, et haud inconsulta Sede Apostolica.

4.° A *Professoribus* qui, in Facultate, quam docent, laureâ insigniti esse debent. Ipsorum est quotannis lectionum et examinum programmata sapienter conficere; textus item eligere, cum approbatione tamen Collegii Facultatis respectivae, et certiore facta S. C. Studiorum. De una in aliam disciplinam, nisi cogente necessitate, transferri non debent.

Substituti seu professores supernumerarii in qualibet Facultate a Magno Cancellario, audito Collegio, eligendi, professorum vices gerent cum infirmi vel impediti hi fuerint, et ceteris paribus, jus habebunt succedendi Cathedrae, quae prima vacaverit in disciplina quam supplent; nequeunt tamen in Collegia adscisci, vel suffragium in examinibus ferre.

III. **Ratio studiorum.**—Studia Facultatis Theologiae quinque annis, Juris Canonici tribus, et Philosophiae tribus item persolvenda sunt.

Disciplinae dividuntur in *fundamentales* et *integrales*. 1.° *Fundamentales* sunt: *in Theologia*, theologia Dogmatica, de qua bis lectio (*clase*) quotidiana; Moralis et S. Scriptura, de quibus lectio quotidiana erit: *in Jure Canonico*, Institutiones et Jus publicum Ecclesiasticum pro 1.° anno, de quibus lectio quotidiana, et pro 2.° et 3.° anno Libri Decretalium exponendi, binis quotidie praelectionibus a distinctis professoribus: *in Philosophia*, Philosophia rationalis, duobus primis annis, lectione matutina et vespertina quotidie explicanda; atque Ethica et Jus Naturae tertio anno binis pariter lectionibus per diem.

2.° *Disciplinae integrales* sunt: *in Facultate theologica*, Institutiones Canonicae, Historia Ecclesiastica et orientales linguae, praesertim Hebraea, necnon Patrologia, Liturgia et Archaeologia Sacra; duae primae biennio, ceterae triennio alternis lectionibus tradendae sunt: *in Jure Canonico*, Notiones de Jure Civili et Gentium pro 1.° anno, et pro 2.° et 3.° Jus Romanum et Patrium necnon Praxis forensis bis saltem in hebdomada: *in philosophica Facultate*, Mathesis, Physica, Chymia, Astronomia, necnon Historia naturalis cum Biologia et Physiologia diurnis vel alternis in hebdomada lectionibus. Semel insuper in hebdomada Summa philosophica et Quaestiones disputatae D. Thomae, et lectio sit de Historia Philosophiae.

Habenda insuper erunt exercitia litteraria semel in hebdomada pro unaquaque Facultate, et saepius in anno, solemniora, methodo scholastica.

IV. **Examina.**—Si sint pro approbatione cursus apud tres saltem professores, per Collegium respectivum designatos, fient cum his censuris: *Meritus*, *Benemeritus* et *Meritissimus*, et unanimi suffragio Tribunalis *Eminenter meritissimus*.

Ad gradus obtinendos, Tribunal constituetur tribus Doctoribus pro Baccalaureatu, quatuor pro Licentia, quinque saltem, praeside Praefecto Studiorum vel Magno Cancellario, pro Doctoratu.

Baccalaureatus confertur expleto 2.° S. Theologiae curriculo, et in Facultatibus Juris Canonici et Philosophiae confecto 1.°; Licentia in Sacr. Theol. post 3.^{m} vel 4.^{m}, et in aliis post 2.^{m}, Laurea, expletis studiis.

Si quis ex aliena dioecesi Licentia vel Doctoratus gradu insigniri velit, solido biennio scholas frequentare tenetur Facultatis ad cujus gradus contendit, et testimonio certo constare debet philosophiae et theologiae cursus, in proprio Seminario rite explevisse. A biennii lege nonnisi S. C. Studiorum in casibus extraordinariis dispensare potest. Hi insuper alumni durante biennio in Seminario degere debent, nisi sacerdotes sint, vel dispensationem, proprio consentiente Ordinario, a Magno Cancellario receperint.

ARTICULUS III.

DE COEMETERIIS ET SEPULTURIS (1).

Diversis paragraphis tractabimus: I. de loco sepulturae; II. de iis qui debent sepeliri, et III. de iis qui debent sepelire, seu funera peragere.

§ I.—DE LOCO SEPULTURAE

I. Natura sepulturae sacrae. II. Ipsius species. III. Quomodo exe-cretur, polluatur et reconcilietur coemeterium.

I. **Natura sepulturae sacrae.**—Sacra sepultura seu coemeterium dicitur locus potestate Episcopi consecratus vel benedictus, in quo sepeliuntur cadavera fidelium pie decedentium.

Varia fuit Ecclesiae disciplina circa coemeteria. Primum, extra urbes coemeteria constituebantur juxta eam consuetudinem, quae in civilibus etiam Romanorum legibus fulciebatur. Post saeculum vero IV, cum plures exstructae essent ecclesiae, coemeteria prope ipsas, potissimum si parochiales essent, exstrui coeperunt. Deinceps in ipsis ecclesiis fideles sepulturam habuerunt, non tamen continuo absque ullo discrimine; sed initio, Imperatoribus, Episcopis, presbyteris, viris religiosis, sacris virginibus, aliisque dignitate perspicuis personis id concessum fuit, dein serius omnibus indiscriminatim fidelibus. Praeter parochiales ecclesias hoc jure tumulandi etiam Regularium ecclesiae ex privilegio apostolico fuerunt potitae. Hodie vero, fere ubique, gubernii civilibus ita disponentibus, coemeteria communia extra civitates exstructa sunt; quaeque tamen ex dispositione ecclesiastica vices gerunt ecclesiarum quoad jus tumulandi.

De natura sacrae sepulturae est, ut sit consecrata vel benedicta. Jamvero, coemeterii consecratio ab Episcopo tantum fieri potest, vel a presbytero a Romano Pontifice delegato; sed benedictionem Episcopus vel presbyter ab ipso delegatus peragere potest.

Vi consecrationis vel benedictionis coemeteria fiunt

(1) Pro sepulturis cf. t. XXVIII lib. III. Decr., t. XII hujus lib. in 6.° et Clement. 3.am t. VIII, lib. V.

loca vere sacra; unde debent claudi, esse sub potestate ecclesiastica (1), et non deputari ad usus sordidos et profanos. Locus insuper sepulturae, cum sacer sit, non potest pretio aestimari; quamvis possint esse materia contractus: 1.° locus adhuc profanus, vel etiam capella, quae ad hoc exstruatur ut inserviat ad sepulturam et 2.° locus honorabilior. Praeterea, ubi sit consuetudo, admitti potest taxatio, quae inserviat ad solvendas expensas sive constructionis, sive custodiae coemeterii; pro pauperibus tamen sepultura debet esse gratuita, et non potest illa recusari, pretio antea non soluto.

II. **Species sepulturae sacrae.**—Triplex est sepultura sacra: 1.° *electiva*, quam quis a jure non prohibitus arbitrio suo sibi eligit; 2.° *gentilitia* seu *familiaris*, quae ad personas alicujus familiae pertinet; et 3.° *communis* seu *parochialis*, quae in coemeterio communi vel parochiali ecclesia defuncti sita est.

1.° *Sepultura electiva.*—Omnis fidelis sibi sepulturam *eligere* valet, exceptis tantum impuberibus, religiosis et illis, qui in coemeterio admitti nequeunt, propter indignitatem. Pater vero potest electionem facere pro filiis impuberibus, si haec est loci consuetudo. Religiosis et ceteris clericis stricte prohibetur, ne ipsi inducant fideles, ut in suis ecclesiis sepulturam eligant, vel jam electam ulterius immutent (C. 1, 4, 5 et 7 *De sepulturis* in 6.°).

2.° *Sepultura gentilitia.*—In illa condi debent corpora eorum, qui hoc privilegio fruuntur, utpote membra ejusdem familiae, quamvis decedant extra locum domicilii, dummodo eorum corpora absque periculo valeant deportari. Mulier, quae plures viros successive habuit, si sepulturam non elegerit, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda (C. 3 *De sepulturis* in 6.°).

3.° *Sepultura parochialis.*—Qui non habent sepulturam electam, nec sepulcrum majorum seu gentilitium, sepeliri debent in coemeterio propriae paroeciae, illius nempe, in qua consueverunt audire divina et recipere sacramenta. Et notetur quod si, uti contingit in civita-

(1) Quoad jus vigens in Hispania, recole dicta in opere *Elementa Juris Naturalis et Publici*, p. 209, n. III.

tibus plurimis, unicum est coemeterium pro pluribus paroeciis ejusdem loci, istud habetur ut parochiale pro singulis; scilicet, respondet illi, quod in unaquaque paroecia habendum esset.

Ab hac regula *sepulturae communis* excipiendi sunt, praeter eos, de quibus dictum est in Lib. I (p. 381, § IV), 1.° Cardinales, qui in ecclesiis suorum Titulorum sepeliendi sunt; 2.° Episcopi, qui tumulandi sunt in propria Ecclesia Cathedrali, officium et missam celebrante et exequias absolvente Capitulo, ad quod etiam spectant in hoc casu funerum emolumenta. 3.° Canonici, qui, quoad sepulturam, parochiani Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae considerantur sicut et beneficiarii, cum titulo residentiali et perpetuo, ecclesiarum in quibus beneficia possident; 4.° Infirmi demortui in magnis hospitalibus, proprium capellanum quasi parochum habentibus.

Vagi quidem in sepultura communi paroeciae, in qua decedunt, sepeliendi sunt, sed quoad peregrinos, qui in civitate episcopali intra limites alicujus paroeciae moriuntur, disputatur cuinam jus sepulturae competat; alii Cathedrali illud tribuunt, alii paroeciae et alii distinguunt inter eos, qui per aliquod tempus intra paroeciam sunt commorati et ceteros; primo casu paroeciae, secundo Cathedrali illud tribuunt. S. C. Conc., die 22 Jun. 1895, respondit: «Quatenus non constet de sepultura legitime electa, nec cadaver ad paroeciam domicilii deferri debeat, jus funerandi spectare ad Ecclesiam Cathedralem, salvis conventionibus particularibus in singulis casibus».

III. **Quomodo execretur, polluatur et reconcilietur coemeterium.**—*Execratur* coemeterium quando destruitur. *Polluitur* iisdem actibus, quibus ipsa ecclesia, et insuper quoties haec polluitur, si sit ipsi contiguum, sed non vice versa. Effectus pollutionis est, ut, priusquam reconcilietur, cadavera in ipso sepeliri nequeant. *Reconciliatio* vero fieri debet ab Episcopo aut a presbytero ab eo delegato, si benedictum tantum sit juxta regulas traditas in Pontificali aut Rituali Romano; sed prius exhumari debet et expelli cadaver, cujus sepultura indebita causa fuit pollutionis. At si, ut accidit in Hispania, leges civiles exhumationem vetent, circumdari debet sepultura, in qua cadaver illud continetur, parietibus,

quorum altitudo coemeterii sepem attingat (Vid. Reg. Decr., 31 Mart. 1880).

§ II.—DE IIS, QUI DEBENT SEPELIRI IN LOCO SACRO

I. Principium generale. II. Quibus speciatim interdicatur sepultura sacra. III. Sub quibus poenis.

I. **Principium generale.**—Diximus sepulturam sacram esse jus proprium fidelium pie decedentium. Igitur ceteri omnes jure sepulturae sacrae carent.

II. **Quibus speciatim interdicatur.**—1.° *Ob defectum ecclesiasticae communionis*, iis, qui numquam Ecclesiam ingressi sunt per baptismum, vel iis, qui ab ea egressi, seu separati sunt, sive *voluntarie*, ut sunt apostatae, haeretici, schismatici manifesti (c. 12, t. 28, lib. III Decr.); sive *in poenam*, ut excommunicati vitandi, aut nominatim interdicti (Clem. 1.ª *de Sepulturis*).

2.° *Ob praesumptam eorum perditionem*, suicidis voluntariis, furibus et latronibus in actu criminis interfectis, aut decedentibus cum reatu crimimis publici et notorii, cui, tamquam poena, privatio ecclesiasticae sepulturae irrogatur, ut est, v. g., omissio praecepti paschalis.

3.° *In odium criminis*, sive ad *tempus*, ut usurariis et raptoribus bonorum Ecclesiae, licet mandaverint damna compensari, dum reapse non compensentur, sive *perpetuo*, ut iis qui in duello, vel ex vulnere in eo excepto, occubuerunt, etiamsi ante obitum signa dederint poenitentiae (Const. *Detestabilem* Bened. XIV).

In praxi quoties neganda sit sepultura ecclesiastica, expedit ut consulatur Episcopus; et ubi leges Ecclesiae hac in re servari nequeunt, coemeteria ut profana habenda sunt et singulae sepulturae benedicendae.

Praestat hic in mentem revocare illicitum esse mandare, ut sua aliorumque cadavera comburantur, et nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera (Congr. S. Off., 19 Maj. 1886).

III. **Sub quibus poenis.**—Ex Clementina 1.ª *De Sepulturis* et ex C. 2 *De haereticis* in 6.°, illi, qui propriae temeritatis ausu defunctorum corpora in coemeteriis vel ecclesiis interdicti tempore in casibus a jure non permissis sepeliebant, nec-

non qui sepeliebant in loco sacro excommunicatos publicos, vel nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, aut haereticos, vel receptores vel fautores eorumdem haereticorum, excommunicationi latae sententiae subjiciebantur; quae tamen excommunicatio non erat reservata R. Pontifici.

Hodie ex Constitutione *Apostolicae Sedis* solummodo poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae plectuntur «mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos». Subjiciuntur tamen interdicto reservato R. Pontifici, vi ejusdem Constitutionis, scienter nominatim excommunicatos ad sepulturam ecclesiasticam admittentes (1).

§ III.—DE IIS QUI DEBENT SEPELIRE SEU FUNERA PERAGERE.

I. Jus funerandi. II. Emolumenta parocho occasione funeris debita.

I. **Jus funerandi.**—Competit parocho funera peragere parochianis suis, qui, ad normam superius traditam

(1) En nonnullae dispositiones legales in Hispania circa sepulturam, quas prae oculis parochi habere debent: 1.° Non licet cadaver sepelire, priusquam licentia in scriptis obtineatur a judice municipali, sub poena mulctae 20 ad 100 lib. (*Ley del Registro civil*, art. 75), nec ante 24 horarum post defunctionem, nisi ita a medico in testimonio defunctionis exigatur (Ibid. art. 75, 76 et 77). 2.° Prohibitum est cadavera in ecclessis deponere (Reg. Decr. 19 Sept. 1865), vel in capellis, nisi hae a templis omnino sint separatae, cultui et fidelibus clausae (R. O. 11 Apr. 1856). 3.° Ex magno potestatis abusu pariter prohibentur exequiae, corpore praesente, exceptis pro Archiepiscopis et Episcopis (1 Apr. 1875 et 28 Maji 1884). 4.° Prohibetur in coemeteriis proferre vel legere conciones aut compositiones poëticas, vel alias manifestationes disciplinae ecclesiasticae contrarias, vel quidquam profani in ipsis agere (R. O. 22 Apr. 1857). 5.° Praelati sepeliri possunt in suis Cathedralibus, et Moniales clausurae, quamvis non perfectae, intra eam (R. O. 12 Maj 1849, 26 Jul. 1883 et 18 Jul. 1887; R. Decr. 16 Apr. 1888). Ceteri omnes, si Regiam Familiam excipias, et nonnullas Regularium communitates et Capitulum Toletanum, quibus speciale privilegium concessum est, in publicis coemeteriis sunt sepeliendi. 6.° Pueri baptizati in loco profano sepeliendi non sunt, quamvis eorum parentes ita velint; quod si, hoc non obstante, id factum fuerit, effodendi sunt, et tempore legali transacto, transferendi in coemeterium catholicum (R. O. 24 Oct. 1887; 31 Aug. et 29 Sept. 1888; 8 Nov. 1890, 31 Jan. 1892 et 6 Maj. 1898).

Quibus non communicavimus in vita
neque communicabimus defunctis.

in § I, sepeliendi sunt in coemeterio parochiali; quod contingit, etiamsi mortui sint in aliena paroecia, dummodo in propriam valeant reportari (C. 3 *de Sepulturis* in 6.°). Illius est etiam declarare quanam via deferendum sit cadaver, et ad hoc libere et processionaliter potest procedere per quascumque dioeceses vel paroecias intermedias, cum stola, et cruce elevata, etiam irrequisitis parochis ceteris (S. C. Conc. saepe).

Quoad parochianos, qui in alia ecclesia sepeliendi sunt, parochus tantum potest corpus e domo levare, aqua benedicta respergere et cum psalmis et antiphonis Ritualis cadaver associare usque ad januam ecclesiae tumulantis. Nequit tamen crucem levare, sed incedere debet sub cruce ecclesiae tumulantis. Associato funere ad Ecclesiae portam, debet parochus ad populum converti, atque, absolutione huic impertita, recedere, relicto cadavere in ecclesia tumulante, cujus ad clerum jus peragendi funus spectat et cadaver associandi usque ad coemeteria, quae jura ecclesiarum tumulantium repraesentant, sine pompa tamen et recto tramite, quod non impedit paucos aeris nolani dare ictus, pauca circa funereum currum portare lumina et deferre stolam et crucem conventualem, quin parochi transitus impedire aut aliquid exigere possint. Sed in his omnibus etiam consuetudines legitimae et Constitutiones synodales attendi debent. Si vero parochus vocatus, per tempus unam horam non excedens, renuerit intervenire ad levandum cadaver e domo, clerus ecclesiae tumulantis potest illud ad suam ecclesiam deferre (1).

III. **Emolumenta Parocho funeris occasione debita.** —Si ad ipsum parochum sepelium et funus spectet, distingendum est inter sepelium stricte sumptum et pompam qua induitur. Sepelium stricte sumptum, quod in levando corpore e domo ad ecclesiam, absolutione in ea illi impertienda et ad coemeterium deinde deferendo consistit, gratis omnino debetur pauperibus, imo et divitibus si nihil dare velint, quamvis ab istis, perfecto sepelio, exigere possit quod aut testamento defuncti, aut

(1) Omnia supradicta inferuntur ex decis. S. R. C. 17 Sept. 1750 et 14 Maj. 1644; S. C. EE. et RR. 17 Sept. 1880, 21 Mart 1884, et 10 Mart 1893.

consuetudine immemorabili ipsi competat. Pompam tamen in funeribus adhibere non tenetur, nisi soluta taxâ, quae pro qualitate ipsius consuetudine aut lege synodali determinata sit.

Quando vero sepelium et funus in ecclesia a parochiali distincta perficiuntur, jus habet parochus ad *portionem canonicam* seu *quartam funerariam*, quae est portio quaedam ex consuetudine aestimanda debita Parocho vel Episcopo ab ecclesia in qua sepelitur defunctus ex relictis eidem a defuncto, vel ex obvenientibus ratione funeris (Conc. Trid. sess. 25, c. 13 de ref., c. 1. *de Sepulturis*; c. 2 ejusd. tit. in 6.° et Clement. 2.ª ejusd. tit.). Portio canonica, nisi adsit contraria consuetudo, debet esse quarta pars ex emolumentis, quae proveniunt ex funeribus celebratis, sive ipsa die funeris, sive die 3.ª, 7.ª aut 30.ª Inter haec computantur candelae, intortitia, etc., non autem eleemosynae Missarum (C. 8 *De Sepult.;* S. C. C., 18 Jul. 1744). Ab ea tamen solvenda eximuntur Regulares pro suis defunctis, sed non pro iis, qui in eorum ecclesiis sepulturam eligunt, nisi consuetudine 40 annorum contra parochum praescripserint. Ceteri omnes, nisi privilegium speciale obtinuerint, vel legitima consuetudine contra parochum praescripserint, quartam solvere tenentur (1).

(1) Conc. Trid. sess. 25, c. 36 de Ref.; S. C. EE. et RR., 26 Nov. 1874 et 23 Jan. 1886; S. C. C., 19 April. 1692, 14 Mart. 1733, 13 Mart. 1756 et 22 Dec. 1865.

TITULUS III.

DE REBUS TEMPORALIBUS

Tribus articulis agemus: I. De proprietate et privilegiis bonorum Ecclesiae. II. De usu juris proprietatis in Ecclesia. III. De Beneficiis.

ARTICULUS I.

DE PROPRIETATE ET PRIVILEGIIS BONORUM ECCLESIAE

I. Subjectum juris proprietatis quoad bona Ecclesiae. II. Immunitas bonorum ecclesiasticorum. III. Poenae statutae contra violantes hanc immunitatem. IV. Quid supersit in Hispania ex antiquis immunitatibus.

I. **Subjectum juris proprietatis quoad bona Ecclesiae.**—Tres hac in re adsunt sententiae apud doctores catholicos. *Prima* dicit dominium directum et proximum apud nullum hominem, sive privatum, sive publicum existere, sed tantum apud Deum seu Christum, sola administratione apud Dei ministros consistente: ita Innoc. III, Navarro, Azor, etc. *Secunda* affirmat dominium praefatum penes Summum Pontificem residere: ita Fagnanus et alii. *Tertia*, demum, penes Ecclesiam vel Instituta, in quorum usum veniunt respective tradita et applicata, existere contendit: ita communiter, et quidem probabilius, Canonistae. Omnes tamen consentiunt S. Pontificem posse donare bona ecclesiastica propter urgentem Ecclesiae necessitatem.

II **Immunitas bonorum ecclesiasticorum.**—Omnia bona ecclesiastica immunitate *reali* gaudent, id est, immunia esse debent ab oneribus civilibus (C. *Quia nonnulli, De immunitate ecclesiarum*, etc., in 6.°): sed diver-

simode; nam, quae proxime ad cultum divinum sunt ordinata, ut ecclesiae, coemeteria, vasa sacra, etc., *jure divino* immunia esse debent, et hoc sive onera imposita fuerint antequam sive postquam in possessionem Ecclesiae venerint.) Ratio est, quia hujusmodi bona immediate inserviunt fini Ecclesiae consequendo, unde Ecclesia habet circa ipsa plenissimum jus, et subtracta omnino sunt potestati civili.

(Relate vero ad bona, quae ad sustentationem ministrorum Ecclesiae, aut ad sublevamen pauperum adhibenda sunt,) nec fundationi, aut dotationi ecclesiarum destinantur,(certum pariter est ea esse immunia ab oneribus civilibus, postquam in possessionem Ecclesiae venerint, impositis;)quia amplius non sunt sub jurisdictione Principis saecularis:(controvertitur, autem, an sint etiam immunia ab oneribus, quae ipsis imposita fuerant, priusquam ad Ecclesiae possessionem pervenerint, et quo jure praescribatur immunitas quoad haec bona.

Quoad *primum*, multi contra multos contendunt res illas cum onere imposito transire ad dominium Ecclesiae: probabilior tamen videtur sententia negans, quia jam non sunt sub jurisdictione potestatis civilis tributum imponentis.

Quoad *secundum*,quamvis plures auctores indistincte teneant immunitatem realem omnium bonorum Ecclesiae esse juris divini, rationabilius tamen dicendum quod, seclusis bonis primae classis, seu, quae ad cultum divinum proxime ordinantur, quoad alia est *juris ecclesiastici*, fundati tamen *in intentione juris divini*;)nam, jure divino, Ecclesia potestate gaudet illam sibi vindicandi; sed proxime pendet a lege Ecclesiae sibi vindicantis privilegia, vel rata habentis, quae lege civili, aut consuetudine sponte sunt inducta. Hinc Ecclesia saepe reipublicae concessit subsidia super bonis ecclesiasticis, decimas quoque ob necessitates extraordinarias, in quibus possit Status versari; cujus subsidii quantitas a Conc. Lat. III judicio cleri et episcopatus decernenda relinquebatur, cui consensus S. Pontificis ex praescripto Conc. Lat. V accedere debuit. Hinc etiam, quod per Concordata plurimum hae immunitates reductae, et de facto quoad bona non sacra fere ubique extinctae sint.

III. **Poenae statutae contra violantes immunitatem bonorum Ecclesiae.**—Relictis, quae ad historiam juris tantum spectant (Cf. cap. 3 *de immunitate eccles.* etc. in 6.°), hodie, praeter peccatum furti et sacrilegii ac obligationem restituendi, quicumque usurpant bona ad personas ecclesiasticas pertinentia *ratione ecclesiarum aut beneficiorum*, incurrunt excommunicationem latae sententiae, R. Pontifici speciali modo reservatam (Const. *Apostolicae Sedis*, n. 11).

IV. **Quid supersit in Hispania ex antiquis immunitatibus.**—Juxta Regium Decretum 30 Dec. a. 1885 super tributis territorialibus (Cap. I, art. 5.°), exempta sunt a tributis persolvendis: 1.° Templa, coemeteria, (dummodo reditus suis dominis non producant), domus quas religiosae Communitates incolunt, necnon aedificia, horti ac vireta, Templorum cultui aut parochorum aliorumve Ecclesiae ministrorum commorationi et solatio (*recreo*) destinata. 2.° Aedificia a Seminariis Conciliaribus occupata. 3.° Item aedificia addicta hospitiis, hospitalibus, carceribus, atque correctionis aut beneficentiae tum generalis cum localis, et Expositiorum (*de Expósitos*) domibus, quotiescumque dominis suis privatis ullos reditus minime producunt.

ARTICULUS II.

DE USU JURIS PROPRIETATIS IN ECCLESIA

Usus juris proprietatis fit in Ecclesia: I. per acquisitionem bonorum ecclesiasticorum, et II. per ipsorum administrationem.

§ I.—DE ACQUISITIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

Ecclesiae jus inest acquirendi bona, praesertim I. per primitias; II. per decimas; III. per oblationes; IV. per donationes; V. per testamenta fidelium, et VI. per diversas obventiones. De singulis breviter.

I. **Primitiae.**—Sunt primi fructus ex agris et animalibus. In lege nova solo jure ecclesiastico debentur pro quadragesima vel sexagesima parte, nisi desuetudine

abrogatae sint, ut fere ubique revera contigit (C. 1., t. XXX, lib. III Decr.).

II. **Decimae.**—Ita in genere appellatur decima pars fructuum ex certo titulo alicui praestanda.

Antiquitus dividebantur in *profanas* seu *dominicales*, quae a dominis instar tributi imponebantur agris et praediis; in *temporales* seu *laicales*, quae primitus debebantur ministris, sed postea a legitima auctoritate separatae sunt a titulo spirituali, et atribuitae laicis per donationem, venditionem in feudum aut alio modo, cujusmodi erant, quae in Insula Cubana a Gubernio Hispano percipiebantur ex concessione pontificia quibusdam cum oneribus, et in *sacras*, et *spirituales* seu *mere ecclesiasticas*, quae propter titulum spiritualem dantur Ecclesiae ejusque ministris. *Ecclesiasticae* subdividuntur in *praediales* seu *reales*, quae dantur ex fructibus praedii seu rei, in *personales*, quae dantur ex opera seu industria personae, et in *mixtas*, quae partim ex praedis, partim ex industria hominis debentur.

Decimae ecclesiasticae, de quibus nobis sermo est, formaliter consideratae, important modum quemdam attendendi ad necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiae, et jure communi debentur parocho proprio, qui hac in re suam intentionem habet fundatam in jure (c. 24 et 25 *De decimis, primit. et oblat.*), nam decimae, ex prima sua origine, solvendae sunt clerico sacramenta populo ministranti. Excipe quartam partem decimarum, quae debetur Episcopo, nisi quadragenaria praescriptione sublata sit.

Ad praestandas vero decimas obligantur omnes et soli fideles, qui a parocho jus percipiendi sacramenta habent, etiam haeretici, et clerici simplices quoad bona titulo temporali acquisita.

Plura alia circa ea, ex quibus decimae debentur, circa modos, quibus in illis solvendis liberari quis potest, et circa judicem causarum decimalium aliaque similia pertractantur ab auctoribus Juris Canonici, in quibus tamen non immoramur, cum fere ubique, signanter in Hispania, legibus concordatis, aut desuetudine sint extinctae.

III. **Oblationes.**—Proprie tales sunt illa dona, quae fideles sive per se, sive per diaconum ad altare offerunt. De his faciendis nullum exstat praeceptum.

IV. **Donationes.**—Hoc speciale habet jus canonicum

quoad donationes, ut nempe donatio facta Ecclesiae vel pro causa pia, si fuerit rationalis, servanda sit quamvis non fuerit cognita et acceptata a rectore, vel administratore Ecclesiae; nam praesumitur acceptata a Deo, saltem ceu piae voluntatis seria deliberatio (Cau. 3, can. 12, q. 2). Imo, si fuerit illegitime repudiata a praelato vel rectore, Ecclesia habet beneficium restitutionis in integrum, et etiam actionem contra rectorem repudiantem ad assequendum quanti interest.

V.—**Testamenta.**—Omissis quae ad jus civile spectant, de quibus in *Compendio*, hic tantum loquemur 1.° de *testamento ad pias causas* et 2.° de *spoliis*.

1.° *Testamentum ad pias causas*, est testamentum ab Alexandro III inductum, ut habetur in cap. XI, t. XXVI Lib. III. Decr. Vi hujus dispositionis, quae, utpote in corpore Juris clausa et circa materiam ob finem spiritualem Ecclesiae competentem versans, jus commune facit, testamenta in quibus haeres constituitur Ecclesia vel causa pia valida sunt, dummodo: 1.° testator habeat plenam potestatem disponendi de rebus suis; 2.° habeat expeditum usum rationis, et 3.° demum, de ultima sua voluntate absque dubio constiterit, sive per testes, sive per scriptum, sive alio modo. Hoc privilegium respicit etiam quaecumque legata ad causas pias in aliis testamentis relicta, nam cap. XI loquitur in genere de relictis Ecclesiae. Testamentum *ad causas pias* non est confundendum cum forma testandi, de qua idem Pontifex loquitur in cap. 9 ejusdem tituli, quaeque, communis cum sit, etiam testamentis profanis, in ditione tantum pontificia obligat.

2.° *Spolia*. Ita *proprie* nuncupantur bona clericorum peculium beneficiale superfluum constituentia, de quibus hi per testamentum disponere nequeunt, (quaeque ex pluribus Constitutionibus pontificiis (1) applicari debebant Camerae Apostolicae, hodie vero Sacrae C. de Propaganda Fide), necnon bona regularium morientium extra claustra vel apostatarum ab ordine, et fructus beneficiorum affectorum seu reservatorum S. Sedi a die vacationis usque ad diem provisionis. A lege spoliorum

(1) Const. Pauli III *Romani Pontifices;* Pii IV *Decens esse;* Greg. XIII *Officii nostri*, et Bened. XIV *Apostolicae Servitutis*.

eximuntur Conclavistae clerici, quorum beneficia vel pensiones non excedant 30 ducata aurea (seu 300 circiter lib.), S. R. E. Cardinales, et, qui sese componunt cum Camera spoliorum, annuam eidem moderatam pecuniae summam solventes. Verum ob mutatas temporum conditiones, et ob hodiernas civiles legislationes, praesertim in locis, ubi de rebus ecclesiasticis per concordata provisum fuit, consuetudo inducta est, ut clerici saeculares de bonis propriis nulla habita ratione ad eorumdem bonorum originem, per ultimam voluntatem libere disponant, quamvis ex vi legis Tridentinae (sess. 25, c. 1 de ref.) vetantis ne bona ecclesiastica superflua clericorum ad causas profanas convertantur, cavere clerici debent, ne plus aequo consanguineos vel familiares ditent (1).

Praeter *spolium proprie* dictum, adest spolium *improprie* dictum, quod resultat ex sacris utensilibus, quae a S. Pio V in Const. *Romani Pontificis* diserte excluduntur ab spolio, quod Camerae Apostolicae debebatur, et tribuuntur Ecclesiae, cui praefuit Praelatus, vel in qua clericus habuit beneficium, licet ante obitum renuntiaverit regimini Ecclesiae, aut beneficio. Utensilia vero Cardinalium et Abbatum *nullius* in Romana Curia morantium ad Sacellum pontificium spectant; sed Cardinalibus in actu promotionis Summus Pontifex per litteras in forma Brevis concedit facultatem de sacris utensilibus dispo-

(1) In Hispania vi art. 31 Concordati abolita fuere *spolia* quoad Episcopos et Archiepiscopos, quibus libera potestas de omnibus bonis testandi juxta propriae conscientiae dictamen conceditur, et quibus haeredes legitime *ab intestato* succedunt, cum eadem tamen obligatione conscientiae, id est, in pias causas erogandi bona, quae noverint ex peculio ecclesiastico provenire, exceptis in utroque casu sacris paramentis et pontificalibus, quae Sedi acquisita praesumuntur, nisi ex legitimis inventariis, peculio patrimoniali vel quasi-patrimoniali empta fuisse demostretur. Fructus insuper Sedis vacantis, deductis expensis pro reparationibus necessariis palatii episcopalis et oeconomo Mitrae, pro medietate applicandi sunt novo Praelato, et Seminario Conciliari. Fructus vero aliorum beneficiorum vacantium una cum duodecima parte fructuum primo anno a capta possessione solvendorum ab omnibus beneficiariis acervum pium efformare debent sub Ordinarii potestate constitutum ad impraevisis aut extraordinariis Ecclesiae necessitatibus obveniendum (Art. 37).

mendi in tabulis testamentariis favore alicujus Ecclesiae, vel Capellae, vel loci pii.

Pius IX per Breve *Quum illud* 1 Jun. 1848, inter alia circa hanc materiam, sancivit quid veniat *sacrorum utensilium* nomine, quo non solum paramenta, ornamenta et vasa sacra comprehenduntur, sed etiam quae sunt ex propria natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter sint divino cultui sacrisque functionibus destinata. Excipiuntur annuli et cruces pectorales etiam cum sacris reliquiis, et, nisi agatur de Cardinalibus, iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse, ope bonorum ad Ecclesiam non pertinentium, neque constet Ecclesiae fuisse donata. Ad hoc Episcopi inventarium authenticum conficere debent, in quo notetur quandonam et quibus reditibus sacra utensilia comparata fuere. Si Episcopus duas vel plures successive rexit Ecclesias, nisi constet sacra utensilia comparata fuisse reditibus unius Ecclesiae, quo casu illi soli adjudicari debent, dividenda sunt proportionaliter inter diversas Ecclesias Cathedrales, habita ratione fructuum ipsarum et temporis regiminis. Eodem modo et cum eadem conditione dividuntur inter Cathedrales perpetuo unitas, quas defunctus simul rexerit (1).

CVI. **Obventiones variae.**—Ita appellantur emolumenta eventualia, quae sacri ministri percipiunt ex proprii ministerii exercitio, praeter ea, quae dotationem beneficialem constituunt. Triplicis sunt generis: aliae, quae ex administratione sacramentorum; quaedam, quae ex quorumdam ministeriorum exercitio; aliae demum, quae ex negotiorum ecclesiasticorum resolutione et executione proveniunt. In omni casu considerandae sunt, non ut pretium rerum spiritualium, sed ut medium sustentationis cultus ejusque ministrorum. Nihil jure communi circa has obventiones statutum est, nisi quod recipi prohibeantur ex Poenitentiae, Extremae-Unctionis et Confirmationis administratione. Pro ordinum collatione nihil pariter acceptari aut exigi potest (Conc. Trid., sess. 21., c. 1. de ref.), si cereus ab ordinandis ordinanti oblatus excipiatur, quodque *taxa innocentiana* dicitur, eo quod ab Innoc. XI fuerit determinata. Remanent igitur *jura*

(1) Haec omnia de sacris utensilibus etiam Episcopis hispanis applicari debent, ut constat ex regio Decreto concordato 28 Maji 1864.

stolae dicta pro parochis, *jura nonnulla Episcoporum* et *jura officialium* Curiae in expeditione negotiorum, si aliis mediis honestae sustentationis careant. Pauca de duobus primis.

1.° *Jura stolae.*—Ita dicitur jus quod parochus habet aliquid exigendi pro baptismo, proclamationibus et adsistentia matrimonio, sepultura, necnon pro testimoniis ex libris parochialibus excerpendis et a parocho fidelibus dandis; et jura *stolae* nuncupantur, eo quod hujusmodi praestationes tum generatim solvuntur cum parochus in alicujus fidelis favorem stolâ utitur. Spectant haec jura ad solos Parochos vel ad eorum Vicarios constitutos in ecclesiis filialibus, non vero ad eorum cooperatores seu vice-parochos, nisi ex parochorum concessione vel ex consuetudine, aut statuto Episcopi aliud cautum sit. Quandonam et in quanam quantitate a fidelibus sint Parocho praestanda, eruendum est ex locorum consuetudine et legibus particularibus. Si qua autem sunt incerta in hac materia, decet ut ab Episcopo exactius ordinentur.

Ex resol. S. C. C. 11 Maj. 1888, parochus pro Missa nuptiali vel exequiali, quam alii celebrandam committat, ordinariam tantum eleemosynam dare potest, retento pinguiori stipendio quod pro iisdem Missis datur, modo ratione officii parochialis et propter officia parochiali beneficio inhaerentia, eleemosyna pinguior ut jus stolae concedatur (1).

2.° *Jura nonnulla Episcoporum* (2).—Haec reducuntur ad jura dioecesana dicta, quae amplectebantur: **a)** *Quartam decimationum*, quae hodie exolevit.

b) *Quartam mortuariorum seu funeralium*, quae contra praescriptione fere ubique disparuit.

c) *Tertiam partem oblationum*, de qua idem dicendum.

d) *Subsidium charitativum*, seu moderatam pensionem ob justam et gravem causam clericis impositam, quae tamen hodie sine licentia S. Sedis imponi nequit.

e) *Cathedraticum* seu pensionem duorum solidorum

(1) In Hispania stolae jura lege etiam civili sancita sunt, et in tribunalibus civilibus urgeri possunt.

(2) Cf. quoad haec omnia cap. 16 *de Jud. Ord.* t. XXXI lib. I Decr.

vel aureorum quotannis solvendorum in sinhodo, ob quod etiam *sinhodaticum* dicitur, ab omnibus beneficiis etiam simplicibus et ecclesiis confraternitatum canonice erectarum (S. C. C. 24 Jul. 1734). Quamvis hoc jus impraescriptibile sit ex declaratione S. C. C. (6 Jun. 1693), de facto fere ubique evanuit, quin S. Sedes nec ipsi Episcopi reclamaverint.

f) *Procurationes*, seu victualia moderata, quae Episcopo vel alteri nomine ejus Ecclesiam visitanti debentur. Comprehendunt tantum domum et victum pro visitante decentique ejusdem comitatu (Conc. Trid. sess. 24, c. 3 de ref.); non debentur in ipsa urbe episcopali, neque ab iis ecclesiis, quae ita propinquae sint, ut eadem die Episcopus domum reverti possit; neque si duae Ecclesiae una die visitentur, duplex procuratio exigi potest, cum ratio procurationes exigendi sit necessitas. Si Visitator sit Vicarius Generalis, vel Capitularis aut alius substitutus vel etiam Vicarius Apostolicus, procuratio solvenda est pro medietate summae Episcopo solvi consuetae. *Quoad modum* solvendi procurationes, fieri potest vel in pecunia vel in victualibus, ad libitum ecclesiarum. *Ad procurationes tenentur* ecclesiae et loca religiosa non exempta, dum actu visitantur, etiamsi ad exemptos pervenerint; nam transeunt cum suo onere (Clem. 1.ª t. III, lib. III); non tamen laici, monasteria exempta et loca privata (Cap. fin. *de cens., exaction. et procurat.* lib. III Decr.). Visitator vero remittere potest procurationem particularem sibi debitam, non tamen onus procurandi, cum hoc in praejudicium vergeret successorum (1).

(1) In Hispania vi art. 35 Concordati, Archiepiscopi 5.000 ad 7.000 libellas, Episcopi vero 4.000 ad 5.000 percipere debent a Gubernio ad expensas administrationis et visitationis dioeceseos.

§ II.—DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM (1).

I. Cuinam competat administratio bonorum ecclesiasticorum. II. Quomodo administrari debeant. III. Solemnitates pro alienatione eorum servandae. IV. Jus censum vel exactionem imponendi.

I. **Cuinam competat administratio bonorum ecclesiasticorum.**—Intra Ecclesiam multiplex fuit disciplina pro diversitate temporum. Ante beneficiorum institutionem, in unaquaque dioecesi administrator erat Episcopus, qui idoneos ad hoc adhibebat ministros. Post beneficiorum vero institutionem, administratio competit singulis beneficiariis pro respectivis beneficiis, et Episcopis pro bonis Mitrae et quae ad sublevandas, generales necessitates dioeceseos destinantur, reservata semper R. Pontifici administratione suprema omnium bonorum ecclesiasticorum.

II. **Quomodo administrari debeant.**—Administratores bonorum ecclesiasticorum ea curare debent tamquam probi patresfamilias; in specie autem ipsis praecipitur: 1.° Si beneficiarii sint, quae ad eorum sustentationem non sint necessaria, in pauperes erogare, vel ad divinum cultum dedicare (Conc. Trid., sess. 25, c. 1 de ref.), quamvis disputetur inter auctores, an ex praecepto tantum Ecclesiae, vel etiam ex justitia procedat. Juridice primum probabilius videtur, nam verba, *facit fructus suos, non faciat fructus suos*, etc., quibus saepe utitur Concilium Tridentinum, satis indicant beneficiarios, qui sua munera adimplent, jus proprietatis acquirere in fructus ipsius beneficii, ideoque non ex justitia teneri ad superfluos in pias causas erogandos. 2.° Si agatur de administratoribus causarum piarum, rationem reddere tenentur Episcopo, modo et casibus superius in pag. 411 n. III hujus libri explicatis. 3.° Prohibetur omnibus administratoribus alienatio bonorum immobilium Ecclesiae et

(1) Cf. pro hac paragrapho Const. Pauli II *Ambitiosae* inter *Extrav. Comm. De rebus Eccles. alienandis vel non*, eumdem tit. Decr. Greg. IX et in 6.°. Decr. Urb. VIII 7 Sept. 1624; Bened. XIV *Motu proprio* 27 Nov. 1741 et Decreta S. C. EE. et RR. 18 Mart. 1835 et 28 Aug. 1847.

rerum mobilium pretiosarum, non servatis juris solemnitatibus; alia vero alienari justa de causa possunt ab ipsis administratoribus.

III. **Solemnitates pro alienatione eorum servandae.** —Solemnitates servandae pro alienatione rerum immobilium vel mobilium pretiosarum supradictarum hae sunt: 1.ª *Justa causa*, quae est necessitas, evidens utilitas, vel exercitium christianae charitatis. 2.ª *Beneplacitum Apostolicum*, sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae, quam incurrunt tum alienantes, tum recipere praesumentes (Const. *Apostolicae Sedis*; Const. *Ambitiosae*). 3.ª *Consensus eorum quorum interest*, nempe: Praelati et Capituli respectivi, si de bonis agatur ad Ecclesias Cathedrales, aut ad mensam Episcopi et Capituli, aut ad Collegiatam vel Monasterium pertinentibus; Episcopi et Rectoris Ecclesiae quoad alia bona.

Ab his solemnitatibus excipiuntur: 1.° bona donata cum injunctione ea vendendi; 2.° bona alienanda ex praecepto judicis; 3.° casus urgentissimae necessitatis, et 4.° ex can. *Terrulas et vineolas* (c. 53, q. 2, caus. XII) bona immobilia exigui valoris, id est, juxta sententiam communem, quae 221 libellas (*ptas.*) non excedunt; haec enim possunt ab Episcopo alienari.

Notetur denique, quod *nomine bonorum ecclesiasticorum* veniunt omnia bona et jura pertinentia ad ecclesias, instituta pia aut religiosa, auctoritate ecclesiastica erecta (C. 8, tit. XIII, lib. III Decr.; c. 1 et 2, t. IX, lib. III in 6.°), et *nomine alienationis* non solum actus quibus transfertur dominium proprie dictum, ut fit per venditionem, donationem, permutationem, sed etiam actus, quibus jus in perpetuum vel ad longum tempus conceditur, ut fit per emphyteusim, locationem ultra triennium, oppignerationem, hypothecas et per impositionem novi gravaminis, servitutis, census, etc. (C. 2, t. XXIV, lib. III, c. 5 et 9, t. XIII, lib. III Decr.).

IV. **Jus censum vel exactionem imponendi.** —*Census* in genere dicitur annua pensio ex proventibus Ecclesiae dari solita; *exactio* vero est contributio pecuniae. Haec potest esse *ordinaria*, quae singulis annis penditur, et *extraordinaria*, quae ex causa necessitatis imponi solet.

Dicimus ergo, Papam, ob generalem administratio-

nem, posse ecclesiis imponere quemlibet censum vel contributionem, justa, tamen, de causa, quae suo judicio determinanda est. Episcopus vero etiam potest censum in limine fundationis imponere (c. 16 *de censibus, exact. et proc.*), vel in consecratione Ecclesiae, vel si legitime concedat v. g.: Regularibus, aliquas ecclesias aut exemptionem a sua jurisdictione. Item ex nova et justa causa, v. g.: pro necessitatibus Ecclesiae Cathedralis, pro debitis exsolvendis, pro erigendo novo Seminario, Episcopus potest novum censum imponere, aut veterem augere, modo accedat consensus capituli, et census usui Episcopi non applicetur (Conc. Trid., sess. 24, c. 18 de ref.; c. 7, t. 39, lib. III. Decr.) Demum etiam patronis, ex consensu Episcopi, in limine fundationis imponere censum licet, sed non ex postfacto (C. 7 et 15, t. 38, lib. III Decr.).

ARTICULUS III

DE BENEFICIIS

Distinctis paragraphis agemus: I. de beneficiis generatim; II. de beneficiorum acquisitione, et III. de beneficiorum vacatione.

§ I.—DE BENEFICIIS GENERATIM

Hanc paragraphum, perspicuitatis gratia, in tria puncta partiemur: sit igitur, I. de beneficiis proprie dictis; II. de beneficiis improprie dictis, et III. de beneficiariorum obligationibus.

PUNCT. I.—DE BENEFICIIS PROPRIE DICTIS

I. Beneficii natura. II. Species. III. Erectio. IV. Immutatio.

I. **Natura beneficii.**—Beneficium, seu praebenda definiri potest: «Jus perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum».

Dicitur *jus percipiendi fructus*, ut a possessione materiali distinguatur, necnon a *canonia*, quae est jus habendi sedem in choro et vocem in capitulo sine praebenda.

Dicitur *perpetuum*, quia tale essentialiter est respectu ipsius beneficii,) cum beneficia ut totidem stationes perpetuae instituantur ad munera ecclesiastica exequenda; respectu vero clerici, perpetuitas est *ordinaria et regularis*, cum beneficia vacare possint vivente beneficiario, et dentur etiam beneficia manualia seu ad nutum conferentis. In ecclesiis non numeratis seu *receptitiis*, in quibus tot instituuntur quot ex bonorum massa communi sustentari possunt, perpetuitas afficit massam bonorum. (Dicitur *auctoritate ecclesiastica constitutum*, quia cum adnexum habeat officium sacrum, decretum requiritur curiae episcopalis illud in titulum erigens. Dicitur *propter officium sacrum*, ut ab officiis civilibus distinguatur) v. g.; cantorum, pulsatoris campanarum, etc.; ex quo etiam sequitur id tantum clericis conferri posse.(Dicitur demum ex *bonis ecclesiasticis*, quae proprius immobilia sint oportet, quamvis etiam in assignationibus a personis praesertim moralibus persolvendis consistere possint.) Hinc salaria, quae traduntur beneficiariis ratione Concordatorum, induunt naturam bonorum ecclesiasticorum, et beneficium constituunt, uti declaravit Sacra Poenitentiaria et habetur in textu Concordati hispani.

(II. **Species beneficiorum.**)—Beneficia dividi possunt quadruplici ex capite: 1.° *Ratione officii*. 2.° *Ratione collatoris*. 3.° *Ratione personae cui conferuntur*. 4.° *Ratione modi quo conferuntur*.

(1.° *Ratione officii* dividuntur in *duplicia* et *simplicia*. Illa sensu vulgari hodierno vocantur, quae ratione officii exigunt residentiam in determinato loco, *simplicia* e contra, quae residentiam non exigunt. Sensu canonico *duplicia* dicuntur, quae adnexam habent vel jurisdictionem, quo casu *dignitates* vocantur, vel praeeminentiam honoris, ut sunt personatus, vel curam animarum aut aliquam administrationem seu officium; cetera vero ut *simplicia* habentur. *Duplicia* iterum subdividuntur in *majora* seu *consistorialia*, et sunt, quae habent dignitatem episcopalem val quasi-episcopalem, quaeque in Consistorio Papali provideri solent, et *minora*, qualia sunt, quae illam dignitatem adnexam non habent.) Notetur Archidiaconum et Archipresbyterum jure Decretalium fuisse veras Dignitates; sed, quae hodie tales vocantur in Capitulis, non esse nisi personatus.

2.° *Ratione collatoris* dividuntur in *reservata*, quae a Papa providentur, et *non reservata*, quae ab Ordinario collatore conferuntur.

3.° *Ratione personae cui confertur*: **a)** in *saecularia* et *regularia*, prout, ex natura beneficii aut ex tabulis fundationis, vel praescriptione quadragenaria conferri debet saecularibus vel regularibus clericis; **b)** in *patrimonialia*, quae clericis determinatae familiae, pagi, civitatis aut provinciae conferri debent, et *liberi concursus*; et **c)** demum in *compatibilia* et *incompatibilia*. Compatibilia, id est, quae simul possideri possunt ab eodem beneficiario, tantum sunt duo (non plura) beneficia simplicia, nempe non residentialia, quorum neutrum separatim sufficiat ad honestam clerici sustentationem; cetera omnia sunt incompatibilia (Conc. Trid., sess. VII, c. 4 de ref.; sess. XXIV, c. 17 de ref.).

4.° *Ratione modi*: **a)** in *titularia* seu perpetua, et *manualia*; **b)** in *electiva*, *collativa* et *patronata*, prout electione, collatione aut per praesentationem patroni providentur.

III. **Erectio beneficii.**—Videamus: 1.° requisita ad erectionem; 2.° auctoritatem legitimam pro erectione; 3.° locum erectionis; 4.° modum erectionis, et 5.° specialia pro erectione paroeciarum.

1.° *Requisita ad erectionem.*—Ad erectionem beneficii quatuor requiruntur, nimirum: **a)** Interventus auctoritatis ecclesiasticae legitimae; **b)** Titulus seu officium spirituale adimplendum; **c)** constitutio dotis sufficientis, et **d)** decretum erectionis.

Si vero agatur de erectione beneficiorum episcopalium, parochialium vel conventualium, necesse insuper est, ut audiantur interesse habentes, ut adsit locus conveniens ubi ecclesia vel beneficium erigatur, et causa erectionis, quae est necessitas aut utilitas ecclesiae.

2.° *Auctoritas legitima pro beneficiorum erectione.*—Eadem est ac pro officiorum constitutione, de qua jam loquuti sumus (Cf. p. 98, n. II).

3.° *Locus erectionis.*—Beneficia episcopalia nonnisi in civitatibus, aut locis praecipuis, ibique, ampla exstructa ecclesia, erigi debent; parochialia vult Tridentinum ut in omnibus civitatibus et pagis erigantur, si ibi non sint.

4.° *Modus erectionis.*—Si agatur de interventu poi-

ıificio, cum Papa sit supra jus commune, non tenetur servare nisi quae lege naturali aut positivo-divina praescripta sunt. Sic plures sedes episcopales per Concordata creatae sunt, data tantum absque alia formalitate Bulla erectionis. Episcopi vero debent investigare, priusquam decretum erectionis edant, num omnia juris requisita adsint, et conditiones a fundatoribus in tabulis inscriptae possibiles sint et honestae, quo honestatis verbo intelligitur non solum ut bonis moribus non adversentur, sed etiam ut cultum vel officium ecclesiasticum non reddant minus utile, vel minus honorabile.

5.° *Specialia pro erectione parochiarum.*—Specialiter in erectione parochiarum, servandae sunt ab Episcopis quaedam conditiones, quae diversae sunt pro modo erectionis ipsarum. Sciendum ergo est paroecias institui posse tripliciter; **a)** per viam *creationis*, quando ex populo et territorio nondum ulli paroeciae adscripto efformatur; **b)** per viam *dismembrationis*, quando ex una vel pluribus jam existentibus, aliquae partes extrahuntur ut novae efformentur, et **c)** per viam *unionis*, quando plures paroeciae vel plura beneficia ad unam paroeciam aliquatenus novam reducuntur.

a) In *primo casu*, nihil speciale occurrit in jure, nisi quod provideat Episcopus de sufficienti parochi sustentatione.

b) Si fiat per viam *dismembrationis*, requiritur: 1.° justa causa, quae est, distantia vel locorum difficultates, ex quibus evenit ut parochiani nequeant sine magno incommodo ad ecclesiam accedere. Distantia 2.000 passuum pro sufficienti habetur (S. C. C. Cf. *Thesaur.* Resol. an. 1800 p. 178). Non vero per se sufficit numerositas populi, cum juxta Tridentinum (sess. 21, c. 4. de ref.) parochi cogi possint ad tot sacerdotes sibi adjungendos, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum. 2.° Ut fiat processus ad comprobandam causae justitiam, ad quod sufficit accessus Ordinarii ad locum, illiusque inspectio. 3.° Ut sufficiens sit numerus parochianorum novae paroeciae adscribendorum. Communior opinio requirit saltem decem familias. 4.° Ut citentur rector paroeciae dismembrandae, aliique quorum interest; sed non requiritur illorum consensus. 5.° Capituli consensus, nisi adsit in contra-

rium legitima praescriptio. 6.° Ut dos competens novae paroeciae assignetur, sive ex reditibus matricis ecclesiae, sive aliunde; sed in primo casu rectori ecclesiae jus patronatus in novam paroeciam et aliquis honor reservari debet. (Cap. *Ad audientiam de Eccles. aedific.*; Conc. Trid. sess. 21, c. 4, de ref.) (1).

c) Si fiat per viam *unionis*, eaedem conditiones requiruntur, nisi quod justa causa est in genere necessitas vel utilitas Ecclesiae, et quod non sit necessaria citatio rectoris beneficii uniendi, cum unio nonnisi post ejus mortem effectum sortiatur.

IV. **Beneficiorum immutatio.**—Fit per eorum unionem, disjunctionem, divisionem, dismembrationem et suppressionem.

1.° *Unio.*—Investiganda a nobis sunt quoad beneficiorum unionem: **a)** quid et quotuplex sit; **b)** quis possit beneficia unire; **c)** uniones in jure prohibitae, et **d)** solemnitates in unione servandae.

a) *Quid et quotuplex sit.*—Beneficiorum unio est duorum vel plurium beneficiorum adunatio a legitimo superiore facta. Si beneficia uniantur in perpetuum, erit proprie dicta unio; si, vero, ad tempus et in favorem beneficiarii, improprie talis.

Fieri potest tripliciter: 1.° *confusive*, (quae unio *tituli extinctiva* quoque dicitur) cum unicus titulus ex adunatione resultat, quo casu jura et privilegia cujusque ecclesiae mutuo confunduntur, et, si incompatibilia sint, meliora servantur, ceteris rejectis. 2.° *Aeque principaliter*, dum quodlibet servat suam naturam, jura, privilegia, etc., sub eodem tamen rectore. 3.° *Accessorie*, dum minus principale per annexionem adunatur principaliori, ejusque naturam, jura et qualitates participat. Hoc modo unita sunt plura, quae hispanice vocantur *anejo, filial, ayuda de parroquia.*

b) *Quis potest beneficia unire.*—1.° Papa potest unire quaecumque beneficia; imo praeter illum, nullus inferior unire potest Ecclesias Cathedrales, neque beneficia Ca-

(1) In Hispania insuper pro erectione novarum parochiarum necessaria est approbatio Gubernii, nam juxta Concordatum, (Art. 24) necessarius est et Ordinariorum et Status mutuus assensus; omnes enim paroeciae, regio patronatui subsunt, nisi juris patronatus particularis sint.

thedralium aut Collegiatarum, quae in Concordatis determinata sint. (2.° Inferiora beneficia unire possunt Archiepiscopi vel Episcopi in suis dioecesibus, modo non sint exempta, nec jus obstet. 3.° Vicarius Capitularis, sede vacante, eadem beneficia unire potest, quando fiat unio ex necessitate ecclesiarum. 4.° Legati a latere extra Germaniam, omnia unire poterant, exceptis Ecclesiis Cathedralibus (C. 1 et 4 *De off. leg.* in 6.°).

Vicarius Generalis et Praelati inferiores nequeunt sine speciali mandato Episcopi.

(c) *Uniones in jure prohibitae.*—Tales sunt: 1.° Uniones temporales ad vitam beneficiarii (Conc. Trid., sess. 7, c. 4, et sess. 24, c. 27 de ref.), quia proprie non sunt uniones, sed concessiones plurium beneficiorum. 2.° Regulariter beneficium non debet uniri nisi alii beneficio, non vero ecclesiae vel altari. Excipe collegia pia, hospitalia et seminaria, quibus uniri possunt beneficia, saltem simplicia (Trid. sess. 23, c. 18 de ref.). 3.° Beneficia curata non debent uniri abbatiis, dignitatibus, collegiis, seminariis, monasteriis aut locis piis (Trid. ibid., et sess. 24, c. 13 de ref.); possunt vero uniri aliis beneficiis curatis, et beneficia simplicia ipsis. 4.° Beneficia unius dioecesis unienda non sunt beneficiis alterius dioecesis, nec collativa libera patronatis, nisi patronus renuntiet juri patronatûs, nec saecularia regularibus (Trid. sess. 14, c. 9, et sess. 25, c. 9 de ref.). 5.° Prohibetur Episcopus, et consequenter Capitulum, mensae suae quoddam beneficium unire, ne factum proprium videatur *auctorizare* (Clem. 2.ª *De reb. Eccles. non alien.*); (sed Tridentinum (sess. 24, c. 15 de ref.) concedit Episcopo facultatem, ut, cum consensu Capituli, possit aliqua beneficia simplicia, non tamen regularia, unire Cathedrali Ecclesiae vel Collegiatis insignibus, quoties praebendae adeo tenues sint, ut decenti canonicorum gradui sustinendo impares sint.

d) *Formalitates in unione servandae.*—Tales sunt: 1.° Justa causa necessitatis aut magnae utilitatis (Trid. sess. 7, c. 6, de ref.). 2.° Sufficiens cognitio et discussio hujus causae, ejusque expressio. 3.° Citatio eorum quorum interest, ut Patroni, Praelati et aliorum, qui in beneficio uniendo praesentationem, administrationem, vel aliud jus habent; nam, quod omnes tangit, ab omnibus

approbari debet. Consensus autem rectoris beneficii non requiritur, quia unio ante vacationem beneficii non sortitur effectum; neque consensus patroni ecclesiastici (Trid. sess. 24, c. 15 de ref.), utique vero patroni laici (ibid.), qui tamen ad consentiendum compelli potest, si necessitas unionis sit evidentissima. 4.° Consensus Capituli Cathedralis Ecclesiae (C. 8 *de Donationibus* et Clem. 2.ª *de Reb. Eccl. non alien.*); consideratur, enim, ut quaedam species alienationis.

2.° *Disjunctio beneficiorum.*—Est oppositum unioni, et convertit beneficia ad eumdem statum, quem ante unionem habebant; unde per se est favorabilis, et minor causa pro ea requiritur, quam pro unione.

3.° *Divisio beneficiorum.*—Est actus legitimus, quo auctoritate superioris ob justam causam ex uno beneficio fiunt duo vel plura.

Fieri tantum potest, cum idem rector non possit omnibus obligationibus talis beneficii satisfacere (C. 8 et 26, t. V, lib. III Decr.), et debent servari eaedem solemnitates ac in unione.

4.° *Dismembratio beneficiorum.*—Est ablatio partis fructuum ex uno beneficio ad alterum ex justa causa et auctoritate Episcopi, quatenus tali beneficio aliter providere non potest (C. 10, t. V, lib. III Decr.). Requiruntur ad hoc eaedam solemnitates ac pro unionibus beneficiorum perficiendis.

5.° *Suppressio beneficiorum.*—Locum habet quando beneficium plane destruitur, et ejus reditus, si qui sint, alteri assignantur. Verificari potest ex facto violento, vel ex facto legitimae auctoritatis, quae est illa, cui competit erectio; nam ejus est tollere, cujus est condere. Sed cum suppressio sit in jure maxime odiosa, exquirendus est consensus patroni, si beneficium patronatum sit, Capituli vero, si ad Capitulum spectet, et antequam ad eam deveniatur, alia juris remedia tentanda sunt, ut innovatio, unio, etc.

PUNCT. II.—DE BENEFICIIS IMPROPRIE DICTIS

Sub hac appellatione a nobis loquendum est: I. De commendis. II. Capellaniis. III. Praestimoniis. IV. Pensionibus, quae, attenta ejus primaeva institutione et natura, improprie tantum beneficia vocabantur.

I. **De commendis.**—1.° Erat antiquitus commenda simplex custodia ecclesiae vel beneficii vacantis alicui clerico commissa, ut bona administraret, et fructus erogaret pro ministrorum mercede, pro Ecclesiae conservatione et pro augmento bonorum ipsorum seu dotis beneficii vel ecclesiae (C. 54, § *Suggessit*, *de Elect.*; cap. 15 *de Elect.* in 6.°).

2.° Hodie vero *Commenda* est verum beneficium, quod concedi solet personis qualificatis aliud beneficium incompatibile possidentibus, ut commodius sustentari possint; et conceditur in *commendam*, ne videantur duplici titulo investiri, vel ne videatur mutata indoles beneficii, ut, cum clericis saecularibus conceduntur, in commendam abbatiae seu beneficia regularia.

II. **De Capellaniis.**—1.° *Natura.*—Capellania dicitur institutio quaedam ecclesiastica, qua clericus jus habet percipiendi fructus ex quibusdam bonis designatis cum aliquo onere spirituali, ut plurimum, consistente in celebratione Missarum ad intentionem pii Fundatoris.

2.° *Divisio.*—Possunt esse *ecclesiasticae* vel *laicales*. Illae sunt, quae decreto Ordinarii instituuntur ut clerico in perpetuum dentur; unde sunt vera beneficia, et esse possunt titulus ordinationis. Dividuntur, sicut beneficia, in capellanias liberae collationis et patronatas, et hae admittunt omnes subdivisiones beneficiorum juris patronatus. *Laicales* sunt simpliciter pia legata Missarum, aut assignatio bonorum, quibus onera quaedam spiritualia adhaerent, sed sine institutione canonica. (De Capellania loquitur c. IX, t. *De praebend. et dignitat.*).

In Hispania prae oculis habenda est lex concordata 24 Jun. 1867 cum Instructione data die sequenti, quae capellaniarum statum definitive sancivit. En praecipua, quae magis scitu necessaria sunt: 1.° Omnes capellaniae in Hispania sunt *eccle-*

siasticae, quia ipsarum bona familiis patronorum vel fundatorum successoribus adjudicata sunt, mediante tamen redemptione pecuniaria, qua, necnon partiali Status indemnizatione, efformatus est in qualibet dioecesi acervus pius communis titulorum debiti publici intransferibilis, quorum reditibus iterum Ordinarii eas erigere debuerunt iisdem locis ubi antea, nisi ad melius servitium parochiale aliud ipsis videretur. Duplex tamen ipsis facultas concedebatur: alia, nempe, onera, praeter antiqua, capellaniis imponendi, ad hoc ut, velut coadjutoriae, paroeciis inservirent, et alia uniendi capellanias, quarum reditus annui 500 libellas non attingerent.

2.° *Quoad provisionem* capellaniarum, si sint liberae collationis, fieri debet ab Episcopo; si juris patronatus activi, patronus eligit, quem maluerit, ex *terna* ab Episcopo efformata inter approbatos; si juris patronatus passivi, jus habens institui debet, si qualitatibus in fundatione requisitis ornatus sit; secus, Episcopus eligere potest quem velit. *Terminus* provisionis idem est ac in beneficiis; *provisus* vero 14 saltem annos habere debet, studiis ecclesiasticis vacare, ordines suo tempore recipere, et interim onera per alium adimplere, paratus ad eadem dein personaliter obeunda sicut et alia, quae forsan ab Episcopo ei in adjutorium parochi imponantur (Cf. insuper circa hanc materiam Regia Decreta 22 Jul. 1868, 12 Aug. 1871, 27 Aug. 1872, 3 Febr. 1893 et 12 Oct. 1895) (1).

(1) His addantur sequentia, quae apud doctissimum Peláez inveniuntur: «Se declaran subsistentes las capellanias colativas de patronato familiar, activo ó pasivo de sangre, cuyos bienes no hubiesen sido reclamados antes de la publicación del Real decreto de 22 de Noviembre de 1856, hallárause entonces ó no vacantes: Todas sus fincas están exceptuadas de la desamortización (T. S. 20 Nov. 1899), aunque no se hubiere solicitado su excepción en los términos prescritos en el Real decreto de 12 de Agosto de 1871. Para incautarse el Estado de una Capellanía, es preciso que resulte perfectamente probado que no era familiar (T. Cont. 21 Enero 1892). A las capellanías, sean ó no colativas de patronato activo familiar, fundadas en capillas en que yacen los restos mortales, existen sepulcros, ó porque convenga conservar la memoria de familias ilustres, se las declara, en *caso de excepción*, no se las exime de que hayan de ser *congruas*, ni de que los patronos tengan que conmutar sus bienes en Títulos de la Deuda, pues lo contrario se expresa en el mismo artículo; la *excepción* se refiere á que *aun no siendo colativas*, no se adjudican como libres sus bienes, previa la redención de cargas, sino que se conmutan por todo su valor y queda subsistente siempre el patronato, y además carece de facultades el Ordinario para trasladar de una iglesia á otra las fundaciones. Continúan también las piezas eclesiásticas de patronato familiar, si constituyen verdaderos beneficios parroquiales (Conv. art 22), y las capellanías de las comunidades de Beneficia-

III. **De praestimoniis.**—Praestimonium est stipendium determinatum ex reditibus ecclesiasticis deductum, alicui clerico concessum in subsidium vitae, praesertim cum studiis vacat.) Cum concedi soleat ad tempus, verum beneficium non est. Sed quandoque praestimonia in titulum proprium et perpetuo conceduntur, ipsis adnexo onere recitandi horas canonicas, et tunc sunt vera beneficia; quo sensu procedit cap. *ult. de Concess. Praeb.*, in 6.°.

IV. **De pensionibus.**—Circa pensiones investiganda sunt: 1.° earum natura et divisio; 2.° beneficia, quae pensionibus gravari nequeunt; 3.° solutio pensionum; 4.° venditio, commodatio et translatio pensionum, et 5.° cessatio pensionum.

1.° *Natura et divisio pensionum.*—Pensio definiri potest: Jus percipiendi certam portionem fructuum ex alie-

---

dos de Aragón, cuyos bienes, sin embargo, deben conmutarse en láminas.

«La esencia de las capellanías *colativas* ó eclesiásticas, está en que hayan sido erigidas con autoridad del Prelado y se confieran por éste: una capellanía laical en su principio es colativa, si después sirve de título de ordenación: no importa el que se permita poseerla á algunos seglares, si se les señala plazo para ordenarse (T. S. 24 Sept. de 1864). Es laical una capellanía, si la fundación autoriza al patrono para remover á los cumplidores sin intervención de la autoridad eclesiástica (id. 24 Oct. 1861), ó si sus bienes no se han espiritualizado (id. 20 Enero 1870), ó si constantemente los Tribunales la llaman *legado pio* ó *patronato de legos* (id. 30 Oct. 1865), ó si se reduce á la celebración de alguna misa en una capilla y al sostenimiento de una lámpara (R. d. s. 20 Abr. 1866)... Las capellanías colativas se dicen *familiares*, cuando su capellán debe pertenecer á familia determinada (R. d. s. 25 Nov. 1879)... una capellanía familiar en su origen puede, con arreglo á los cánones, perder este carácter (Prop. 4 Febr. 1888)... Nadie más que los Prelados (Trib. S. muchas veces), tienen facultad para adjudicar como libres los bienes de las capellanías subsistentes, mediante recibo de títulos de la Deuda interior, que produzcan igual renta que los bienes, menos la porción que tengan á bien dejar á las familias del fundador, la cual, en ningún caso podrá exceder de la cuarta parte de dicho producto (Conv., Art. 12 et 13).

«Extinguiéronse, y con ellas su patronato, las capellanías, cuyos bienes adjudicados á las familias se reclamaron antes del 28 de Nov. de 1856 (Conv., art. 3). Los poseedores de bienes de capellanías colativo-familiares reclamados *antes* del Real decreto de 30 de Abril de 1852, están obligados á redimir las cargas de carácter puramente eclesiástico especificamente impuestas en la fundación (Conv., art. 1.°); los poseedores de bienes de capellanías colativo-

no beneficio ab auctoritate legitima, justa de causa, ad tempus concessum.

Cum sit *jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis*, lege communi solis clericis concedi potest. Dicitur *ex alieno beneficio*; hinc revera beneficium non est, et concedi potest ante aetatem 14 annorum, quae necessaria est ad beneficium consequendum.) Attamen, cum sit delibatio ecclesiasticae substantiae, in aliquibus aequiparatur beneficio; unde pensionarius tenetur quotidianam persolvere recitationem Officii parvi B. M. V., et, si pensiones simul sumptae excedant 60 ducata de Camera, habitum et tonsuram clericalem deferre.(*Ad tempus*, quia non irrevocabiliter separatur fructus a beneficio, hoc enim esset dismembratio ipsius, sed pro tempore. His non obstantibus, pensio dividitur in *temporaneam*, quae imponitur personae beneficium possidenti, unde non gravat successorem, et *perpetuam*, quae ad vitam

familiares reclamados *después* del Real decreto de 30 de Abril de 1852 hasta el 28 de Nov. de 1856, en que por Real decreto se prohibió admitir demandas sobre adjudicación de dichos bienes, están obligados á redimir la expresada carga, y además la congrua de ordenación establecida por las sinodales de la respectiva diócesis al tiempo de la fundación (id. art. 2.°): lo mismo ha de decirse de los poseedores de bienes de beneficios de patronato familiar, y de los bienes ecclesiásticos vendidos por el Estado con sus cargas eclesiásticas (quod semper de jure praesumitur juxta Sent. Trib. Supr. 4 Dec. 1884), y de bienes pertenecientes á obras pías, legados pios, patronatos de legos y otras fundaciones de patronato familiar gravados con las mencionadas cargas (Conv., art. 5.°, R. O 17 Oct. 1890); la redención debe comprender, no sólo las cargas corrientes, sino además las obligaciones vencidas y no cumplidas por culpa de los poseedores actuales (Conv., art. 6.°): al redimir la congrua sinodal debe hacerse de todo el capital que la misma representa, si el valor de los bienes lo consintiere, y en otro caso en relación con el mismo...

«Por *cargas de carácter puramente eclesiástico* se entiende todo gravamen impuesto sobre bienes, de cualquiera clase que sean, para la celebración de misas, aniversarios, festividades, y en general, para actos religiosos ó de devoción (Instruc., art. 5.°); los censos impuestos en favor de una colecturía parroquial son cargas eclesiásticas (R. O. c. 2 Marzo 1901). La redención de censos de capellanías laicales y de toda clase de cargas eclesiásticas debe hacerse ante la autoridad eclesiástica, y es nula, si se hace ante la civil (R. O. 17 Sept. 1887, etc.)».—Peláez p. 214 et seqq.

Notetur demum Gubernium hispanum vi art. 39 Concordati obligationem assumpsisse adimplendi semper et ipsum solum, onera ecclesiastica annexa bonis ab ipso uti liberis alienatis.

pensionarii conceditur. *Auctoritate legitima concessum*; quae pro perpetuis solus est Papa, et pro temporaneis, ex communi DD. sententia, in cap. 21 *de Praeb.* fundata, etiam est Episcopus. *Justa de causa*; secus enim nulla esset concessa ab ordinario.

2.° *Beneficia quae pensionibus gravari nequeunt.*— Haec sunt episcopatus, quorum reditus summam ducatorum mille, et beneficia curata, quorum annui reditus ducatorum centum non excedant (Trid. sess. 24, c. 13 de ref.; Innoc. XII per Decr. Datariae, 11 Nov. 1692, et Bened. XIII Const. *Quanta* 15 Sept. 1724) (1).

3.° *Solutio pensionum.*—In pensionibus solvendis servanda est lex constituta in Litteris seu Bullis collationis ipsarum. Hinc solutio fieri debet statutis temporibus in Bulla designatis, et quidem integre absque onerum compensatione, quae imponantur a publica auctoritate, tum ecclesiastica, tum civili.)

Attentis tamen specialibus circumstantiis, S. C. EE. et RR., die 28 Jan. 1871 decretum edidit pro Italia statuens: **a**) Ut amissio vel minutio redituum in communi et pro rata beneficiarios et pensionarios afficiat. **b**) Ut pro Cathedralibus et parochialibus ecclesiis servetur semper *congrua* ad formam Tridentini. **c**) Ut si clericus aliquis ordinatus titulo pensionis remaneat privatus partim vel omnino sacro patrimonio ob executionem normae in decreto expressae, nullam suspensionem incurrat nec poenis ecclesiasticis sit obnoxius. **d**) Ut quodvis dubium inter beneficiarios et pensionarios unice sit cognoscendum a S. C. EE. et RR.

(4.° *Venditio, commodatio et translatio pensionum.*— Pensiones vendi nequeunt, nec commodari ultra triennium, nam comprehenduntur sub alienatione bonorum ecclesiasticorum. Nec eas transferre fas est, nisi accedat auctoritas S. Sedis.)

Antiquitus privilegio pensiones transferendi gaudebant omnes officiales Curiae Romanae, sed Urbanus VIII illud ab ipsis sustulit, Cardinalibus exceptis, a quibus postea etiam il-

(1) In Hispania sub nomine fictitio *donationis cleri* omnia beneficia ecclesiastica debiti subductioni (*descuento*) favore Status subjiciuntur, scilicet: usque ad 5.000 libellas 14 %; a 5.000 ad 7.000 lib. 16 %; a 7.000 ad 10.000 lib. 18 %; et supra hanc quantitatem 20 %. Generatim pro his *donationibus* Gubernium veniam impetratur a S. Sede.

lud alia Constitutione abstulit. Verum Innoc. XI in Const. *Circumspecta*, 7 Febr. 1678, iterum quoad medietatem pensionum privilegium favore Cardinalium restauravit. Sed a die 24 Maji 1899 illo privilegio ipsi et alii omnes privati sunt per litteras Eminentissimi Cardinalis a Secretis Status ad Emum. Pro-Datarium jussu Leonis XIII tunc editas, in quibus haec in n. 4.° habentur: "Abrogantur et abolentur privilegia, quibus ex pontificiis concessionibus hucusque fruiti sunt Cardinales S. R. Ecclesiae, Conclavistae et aliae personae vel Collegia personarum, transferendi ad alios pensiones sibi conlatas„.

5.° *Cessatio pensionum.*—Pensiones temporaneae cessant, quando beneficiarius cessat a jure possessionis beneficii; et tum temporaneae, tum perpetuae cessant: a) Morte pensionarii. b) Renuntiatione expressa, vel tacita; haec adest, si matrimonium pensionarius contrahat, vel solemniter in religione profiteatur, aut voluntarie militiam amplectatur. c) Indignitate; ut si pensionarius reus criminis haereseos fiat, vel laesae Majestatis, vel percussionis Cardinalium aut Episcoporum, quorum in dioecesi pensionem possidet. d) Confusione jurium, ut si pensionarius obtineat beneficium pensione gravatum. e) Promotione pensionarii ad Episcopatum residentialem, nisi indultum speciale pensiones retinendi a R. Pontifice obtineat; quod indultum concedi solet, si petatur, idque a jure habent Episcopi suburbicarii ac Episcopi titulares (Cf. De Luca *De pension. disc.* 43, 56, 58 et 75.)

Attamen hodie prae oculis etiam haberi debent sequentes dispositiones supracitatarum Litterarum 24 Maji 1899.—1.° «Incipiendo ex hac die, omnes promovendi ad Cardinalitiam Dignitatem, ad Episcopatum residentialem, ad Nuntiaturas primae et secundae classis, ad munus Secretarii SS. Congr. Episcoporum et Regularium, Concilii et de Propaganda Fide, nec non ad munus Assessoris S. Officii et Praefecti Domus Pontificiae, in actu ipso promotionis amittere debeant omnes et singulas pensiones, quarum forte in possessione jam sint.—2.° Qui pensione ecclesiastica jam potiuntur, nequeant aliam consequi, nisi prius Datariae Apostolicae declarent illam quo modo fruuntur: et ad hanc declarationem teneantur sub poena nullitatis concessionis secundae pensionis.—3.° Qui ecclesiasticas pensiones obtinent, in actu consecutionis cujuscumque beneficii *Romae*, pensiones ipsas amittant. Ad arcendam autem omnem fraudem, nominati ad quodcumque beneficium antequam relativae Bullae expediantur, sub poena nullitatis provisionis, teneantur ad declarandas pensiones, quas tenent„.

PUNCT. III.—DE BENEFICIARIORUM OBLIGATIONIBUS

Beneficiariorum obligationes ad quatuor has reducuntur: I. Ad fidei professionem emittendam. II. Ad juramentum fidelitatis et obedientiae praestandum. III. Ad officium divinum persolvendum. IV. Ad residendum in loco beneficii, modo tamen hoc sit residentiale.

I. **Professio fidei.**—Illam emittere tenentur Episcopi, Dignitates et Canonici Ecclesiarum Cathedralium, et parochi, formula Pii IV, a Pio IX adaucta. Episcopi illam facere debent in prima synodo provinciali, quae post eorum promotionem celebretur; quod si renuerint, Episcopi comprovinciales ab eorum communione sese abstinere tenentur, simulque sub poena divinae indignationis debent hac de re certiorem reddere Rom. Pontificem (Trid. sess. 25, c. 2. de ref.; Greg. XIV Const. *Quas Apostolicis*). Canonici et Dignitates coram Episcopo vel ejus Vicario et coram Capitulo, sive insimul, sive sejunctim; parochi, vero, ante Episcopum vel ejus Vicarium, omnes quidem intra bimestre a capta possessione sub poena amissionis fructuum praebendae vel curatus (Trid. sess. 24, c. 12 de ref.). In hanc poenam non comprehenduntur distributiones quotidianae (S. C. C. 9 Febr. 1726), nisi omnes fructus beneficii in distributionibus consistant; tunc enim duae tertiae partes distributionum ad normam Tridentini fructuum beneficii locum tenent (Reiff. Prol. in Jus Can., § IX, num. 192).

II. **Juramentum fidelitatis et obedientiae.**—Illud praestare tenentur Episcopi Papae apud Episcopum consecrantem; sed canonici, dignitates et parochi cum professionem fidei emittunt iisdemque sub poenis (Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de ref.), et alii beneficiarii Episcopo ante captam possessionem (1).

III. **Recitatio divini Officii.**—Divinum Officium reci-

(1) In Hispania ex dispositione legis civilis, Episcopi ante vel post consecrationem juramentum fidelitatis Regi coram publico Notario praestare tenentur per formulam, quae temporibus Elisabeth II modificata, per Reg. Decr. 20 Jan. 1874 restituta est.

tare tenentur omnes, qui adepti sunt possessionem alicujus beneficii, quamvis subdiaconi non sint, sub poena peccati mortalis et amissionis fructuum, pro rata temporis omissionis, ante judicis sententiam; qui fructus fabricae ecclesiae vel pauperibus applicandi sunt (C. 9, t. XLI lib. III Decr., S. Pius V, Const. *Ex proximo*, Bened. XIV Const. *Et quamvis*). Sed notandum hanc poenam quoad amissionem fructuum non incurri, nisi post semestre a die initae possessionis (Pius V, ibid.); quod si beneficio aliae obligationes fuerint adnexae, quibus beneficiarius satisfecerit, computatio amissionis fructuum non est facienda juxta normam citatae Const. S. Pii V, sed proportionate tantum ad has etiam obligationes (S. Alph., III, 673; D'Annib., III, 64).

Computatio S. Pii V haec est: Qui omnes Horas una die omiserit, amittit omnes beneficii fructus illi diei respondentes; qui omisit Matutinum, amittit dimidiam partem fructuum; qui unam alteramve Horam, sextam eorum partem.

IV. **Obligatio residendi.**—Videbimus: 1.° naturam residentiae: 2.° causas, quae ab ipsa excusant: 3.° specialia quoad residentiam Episcoporum: 4.° specialia quoad residentiam Cardinalium: 5.° specialia super residentia parochorum: 6.° specialia super residentia canonicorum et aliorum beneficiariorum, et 7.° super ejus naturali complemento, nempe, distributionibus quotidianis.

1.° *Natura residentiae.*—Residentia in sensu canonico est commoratio assidua et laboriosa in loco beneficii, servitii ecclesiastici personaliter praestandi causà. Haec est residentia *vera* et *realis*; datur autem residentia *ficta*, quoties clericus legitima de causa absens, fictione juris, ut praesens consideratur, ita ut faciat fructus suos.

Acriter in Concilio Tridentino controversum est, num residentia pastorum animarum esset juris divini vel humani; verior tamen videtur opinio asserens eam juris esse ecclesiastici fundati in intentione juris divini; ad contrarium enim probandum, opus esset demonstrare officia jure divino pastoribus Ecclesiae imposita, per alios adimpleri non posse, saltem sufficienter. Sed hoc probari nequit; nam officia pastoralia sunt delegabiiia; unde Tridentinum non absentiam, sed desertio-

nem ecclesiarum damnat. Praeterea, si esset juris divini, Papa nequaquam posset in ea dispensare, quod tamen fecit, et facit. Dicitur tamen esse juris ecclesiastici *fundati in intentione juris divini;* nam jure divino tenentur *oves suas pascere*, eo ipso quod hoc munus, attentis personalibus qualitatibus, eis commissum est; quod quidem in genere adimplere, ut oportet, non valebunt, nisi resideant in sua Ecclesia. Hac de causa nonnulli, ut Maschat, asserunt esse juris divini *in genere* seu in *thesi*; sed juris ecclesiastici quoad determinationem ipsius *in* particularibus circumstantiis. Ceterum, utcumque sit, obligatio residendi, tum quoad canonicos et alios, qui servitio chori adstricti sunt, gravissima est, atque de ea agit integer titulus IV lib. III. Decr. et Concilium Trid. sess. 6, c. 2; sess. 23, c. 1, et sess. 24, c. 22 et 27.

2.° *Causae a residentia excusantes.*—A Concilio Tridentino (sess. 23, c. 1 de ref.). quatuor hae numerantur: **a)** christiana charitas; **b)** urgens necessitas; **c)** debita obedientia, et **d)** evidens Ecclesiae (propriae aut universalis), vel reipublicae utilitas.

3.° *Specialia circa residentiam Episcoporum.*—Episcopi ad abessendum, praeter causam legitimam, necesse est: 1.° ut per idoneos viros bono spirituali gregis provideant, et 2.° ut licentiam prius a Rom. Pontifice obtineant, nisi absint ad interessendum Concilio provinciali vel nationali, vel publicis conventibus regni ratione officii ipsi dignitati adnexi, vel nisi agatur de absentia duorum triumve mensium singulo quoque anno ipsis a Tridentino concessa (Const. Urb. VIII *Sancta Synodus*, et Bened. XIV *Ad Universae*). Haec tamen absentia bimestralis vel trimestralis unius anni conjungi nequit cum absentia alterius anni, nec cum absentia visitationis *ad limina* aut qualibet alia, et expirat quolibet anno, tametsi Episcopi ea usi non fuerint (Trid. sess. 23, c. 1 de ref.). Admonet insuper et hortatur Sancta Synodus ne hoc spatio bimestrali vel trimestrali comprehendatur tempus Adventus et Quadragesimae, vel dies Nativitatis aut Resurrectionis Domini, Pentecostes aut Corporis Christi.

Poenae in Episcopos non residentes sunt: **a)** Amissio fructuum beneficii pro rata illegitimae absentiae. **b)** Anno transacto illegitimae absentiae, Metropolita aut Episcopus antiquior certiorem facere debet Rom. Pontificem, qui delinquentem pro suo arbitrio puniet. **c)** Praeter poenas praecedentes a

Conc. Trid. (sess. 6, c. 1 et sess. 23, c. 1 de ref.) statutas, Constitutiones Urb. VIII et Bened. XIV alias addiderunt, nempe: illegitime absens privatur ipso facto facultate testandi et privilegiis, quae ut Praelatus assistens solio pontificio haberet, necnon jure conferendi beneficia ex regula IX Cancellariae Apostolicae, et inhabilis redditur ad dignitates obtinendas.

4.° *Specialia quoad residentiam Cardinalium.*—Videamus ubinam residere debeant, et sub quibus poenis. *Quoad locum residentiae*, Cardinales non Episcopi, vel Episcopi suburbicarii residere debent in Curia Pontificis; Cardinales vero Episcopi residentiales in propriis sedibus, sicut et alii Episcopi, et sub iisdem poenis; post coronationem tamen Pontificis per bimestre in Urbe commorari possunt ex concessione Urb. VIII.

Poenae in alios Cardinales qui, non obtenta licentia Papae, se conferant extra Statum ecclesiasticum, hae sunt: **a**) Privantur privilegiis, indultis, et facultate testandi, et interdicuntur ab ingressu in Ecclesiam, quamvis hoc interdictum, cum de eo sileat Const. *Apostolicae Sedis*, hodie non amplius vigeat. **b**) Si non redierint infra sex menses a die recessus a Curia, privantur fructibus beneficiorum, pensionum et quorumcumque proventuum ecclesiasticorum, et post alios sex menses, omnibus beneficiis et officiis. **c**) Postquam annus integer transierit, conceduntur alii tres menses, in quibus monitiones canonicae fieri debent, quibus inutiliter transactis, id est, post quindecim menses absentiae, deveniri potest ad alias poenas usque ad privationem dignitatis cardinalatus inclusive (Const. Innoc. X *Cum juxta*, 19 Febr. 1646).

5.° *Specialia super residentia parochorum.*—Ipsorum residentia est continua, et abesse nequeunt per integram hebdomadam, nisi prius obtenta licentiâ Episcopi, qui causam absentiae approbet, et relicto semper idoneo vicario. Absque gravi motivo Episcopus nequit ultra bimestre licentiam abessendi parochis concedere (Trid. sess. 23, c. 1 de ref.; S. C. C., 7 Oct. 1604).

Poenae statutae contra parochos non residentes sunt: **a**) Privatio fructuum ipso facto incurrenda, absque praevia declaratione, pro rata illegitimae absentiae. **b**) Liberum est Episcopis censuris aut aliis juris remediis eos ad residentiam compellere, vel statim procedere ad beneficii privationem, praemissis tamen tribus monitionibus, vel personaliter, vel

per edictum ad valvas Ecclesiae, et elapsis sex mensibus ab ultima citatione (Conc. Trid. ibid; Cap. 11, t. IV *De clericis non resid.*; S. C. C. 8 Jun. 1624).

6.° *Specialia super residentia canonicorum et aliorum beneficiariorum.*—Ipsorum residentia est discontinua, quia est in ordine ad servitium chori; in quo personaliter recitare et cantare debent. Possunt tamen sese invicem substituere, dummodo: **a**) substitutus ipse non teneatur ad chorum venire illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; **b**) id frequenter non contingat, et **c**) subrogentur solum Canonici vel Mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur (S. C. C. 4 Febr. 1843; Bened. XIV Const. *Cum semper oblatus*, et *Inst. Eccl.* p. 107. n. 17).

Ipsis conceditur annua vacatio trium mensium, nisi statuta capitularia hoc tempus coarctent; nequeunt tamen omnes simul abesse, sed semper numerus eorum sufficiens remanere debet, qui possit Ecclesiae servitium exhibere. Haec vero vacatio trium mensium non admittitur ubi vigent mediariae vel tertiariae, id est, servitium chori, quod praestatur a media vel a tertia canonicorum parte alternis hebdomadis (Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de ref.; S. C. C. 17 Febr. 1628, et 3 Dec. 1739).

Sunt etiam causae legitimae absentiae: 1.ª Causa studiorum tum pro studentibus in Universitate, Academia vel Lyceo, tum pro docentibus in facultate Theologica aut Juris canonici (C. 4 et 12 *de cleric. non resid.*, c. *ult. de Magistris*; Trid. sess. V, c. 5 de ref., S. C. C. 7 Maj. 1707), dummodo non vergat in detrimentum cultus divini (c. *ult. de Rescript.* in 6.°); unde praxis est, ut ad abessendum hac de causa, impetretur indultum apostolicum. 2.ª Infirmitas aut corporalis necessitas, id est, impedimentum physicum accedendi ad chorum (C. unic. *de cler. non resid.*, in 6.°). 3.ª Indultum jubilationis, quod conceditur post servitium continuum et laudabile 40 annorum in eadem, et aliquando etiam in diversis ecclesiis. 4.ª Legitime absunt duo canonici vel beneficiarii, quos Episcopus assumit, ut sibi opem praestent in Ecclesiae servitio, vel dum Pontificalia exercet (C. 7 et 15 *de cler. non resid.*; Trid. sess. 24, c. 12 de ref.), et etiam canonicus, qui Episcopum comitatur in visitatione ad

Limina vel dioeceseos, aut qui illius nomine illam perficit (Bened. XIV *Inst. Eccl.* p. 107 n. 59) (1).

Poenae contra non residentes sunt: **a)** Amissio distributionum quotidianarum. **b)** Post *primum* annum illegitimae absentiae, privatio (*ferendae sententiae*) medietatis fructuum illius anni. **c)** Post *secundum*, privatio, etiam *ferendae sent.*, omnium fructuum. **d)** Post *tertium*, privari debent beneficio forma canonica, praeviis nempe tribus monitionibus personalibus, vel, si ignoretur domicilium, ad valvas ecclesiae, et post ultimam per sex alios menses expectatur, quibus inutiliter elapsis, proceditur ad privationem beneficii. Durante triennio etiam potest Episcopus alia juris remedia experiri, ut suspensionem, excomunicationem, etc. (Conc. Trid. sess. 24, c. 12 de ref.; C. 8, 11 et 17 *de cler. non resid.*).

7.° *Distributiones quotidianae*.—Ad complementum hujus materiae aliqua de distributionibus quotidianis edisserere opus est. Jam, *distributiones quotidianae* illi fructus dicuntur, qui clerico propter singulas in choro praesentias et divinis officiis rependuntur. Tridentinum (sess. 25, c. 3) praescripsit ut in Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, in quibus nullae essent, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum et proventuum convertatur in distributiones quotidianas; unde distributiones fieri possunt per additionem fructibus praebendae vel per punctaturas, seu subtractionem fructibus praebendae usque ad tertiam partem. Regula generalis est; ut absentes a choro, etiam licite, nisi subsit exceptio a jure praevisa, distributiones amittant, quae inter praesentes dividentur, si deductae sint ex massa communi et indivisa; applicabuntur vero fabricae ecclesiae vel alteri pio loco, si deductae sint ex singulis praebendis diversam dotem diversamque administrationem habentibus (Conc. Trid. sess. 21, c. 3 et sess. 22, c. 3 de ref.).

Exceptione juris, distributiones quotidianas, si proprie *manuales* seu inter praesentes tantum excipias, lucrantur: I. Qui indulto gaudent Jubilationis. II. Infirmi, si ante infirmitatem consueverant choro assistere (S. C. C. 6 Febr. 1627, et 7 Mart. 1687). III. Corpore detenti, ut deportati, indebite incarcerati, absentes metu principis saecularis (S. C. C. saepius). IV. Abs-

(1) In Hispania insuper a lege residentiae exempti sunt S. Rotae Auditores et sex canonici Regiae Capellae.

entes pro utilitate Ecclesiae universalis, ut qui R. Pontifici tamquam familiares inserviunt, vel qui pontificia funguntur legatione, vel pro utilitate ecclesiae propriae, ut Canonici ad Concilium missi a Capitulo, vel qui alio se conferunt ut beneficii sui vel propriae ecclesiae aut Capituli negotia gerant, lites et jura prosequantur (C. 14 et 13 *de cler. non resid.*; C. unic. ejusd. tit. in 6.°). V. Canonicus theologus ea die qua lectiones habet, poenitentiarius et qui suae praebendae adnexam habent curam animarum tempore quo proprium explent officium (Trid. sess. 24, c. 8, de ref.; S. C. C., 3 Febr. 1609 et 18 Jun. 1622). VI. Canonicus celebrans missam ob commodum populi et de licentia praefecti chori. VII. Canonicus missus ad visitationem sacrorum Liminum vel qui Episcopum comitatur in ea, aut ipsi assistit Pontificalia celebranti (S. C. C. saepe). VIII. Canonicus munus Vicarii Capitularis exercens, si illi faveat consuetudo. IX. Canonicus recedens per decem dies ad exercitia spiritualia peragenda in pia domo, praevia licentia Episcopi, et dum recessus non contingat temporibus Adventus, Quadragesimae aut festis solemnioribus, nec servitium chori detrimentum patiatur (Decr. Clem. XI. a. 1710).

§ II.—DE BENEFICIORUM ACQUISITIONE

Beneficia ecclesiastica, sicut et sacra officia acquiri possunt quadrupliciter; electione, postulatione, libera collatione et institutione. De duabus primis, cum per illas acquiratur jurisdictio in foro externo, jam loquuti sumus in Lib. I (p. 101-107 et seqq.). Restat nunc agendum de duobus postremis, quibus modus, quo in Hispania acquiruntur juxta vigentem disciplinam, addendus est. Triplex inde resultat punctum: I. de libera collatione; II. de institutionibus et jurepatronatus, et III. de beneficiorum acquisitione in Hispania.

PUNCT. I.—DE LIBERA COLLATIONE

I. Ejus natura. II. Quibus competat beneficiorum libera collatio. III. Servanda in beneficiorum collatione. IV. Forma conferendi beneficia curata.

I. **Natura liberae collationis.**—Libera collatio dicitur provisio beneficii vacantis favore clerici idonei facta pleno et proprio jure a Superiore ecclesiastico potestatem habente. Haec est collatio proprie dicta;

improprie enim etiam dicitur collatio, quae fit per praesentationem patroni, quaeque *institutio* appellatur.

II. **Quibusnam competat beneficiorum libera collatio.**—*Primo*, competit R. Pontifici in tota Ecclesia et quoad omnia beneficia; sed hoc jus exercere non solet nisi quoad aliqua majora. *Secundo*, Episcopo quoad omnia beneficia liberae collationis propriae dioeceseos, et habet quoad illa intentionem fundatam in jure; unde alii clerici eam conferre nequeunt, nisi habeant pro se vel privilegium pontificium vel jus clarum ex tabulis fundationis vel consuetudinem centenariam aut immemorabilem (Cap. 16 *de Off. Ordin.*). *Tertio*, Vicario Capitulari ex jure non decrescendi, quod habet Capitulum, una cum ipso Capitulo, quoad ea, quorum collatio Episcopo simul et Capitulo competebant (C. un. *Ne, sede vacante* in 6.°). *Quarto*, Praelatis vere *nullius*, quoad non reservata sui territorii, si liberae sint collationis, itemque Cardinalibus in Curia residentibus quoad beneficia, quae sunt in Ecclesiis propriorum titulorum.

De tribus postremis collatoribus nihil amplius dicendum superest, utique vero de primo; nam videndi sunt modi, quibus Papa jus suum exercet. Hi quatuor ab auctoribus numerantur: 1.° *Jure praeventionis*, cum de beneficio disponit priusquam vacet, gratias exspectativas concedendo vel coadjutorias cum futura successione. 2.° *Jure concursus*, quando concurrit cum ordinario collatore, quo casu datur locus praeventioni, et si ignoratur quis prior beneficium concessit, possidens praefertur, et si nullus possideat, institutus a Papa. 3.° *Jure devolutionis*, cum illud jus Papae devolvitur ex eo quod collatores inferiores infra tempus habile non contulerunt beneficium vacans, vel formam juridicam in collatione non servaverunt. 4.° *Jure reservationis*, cum jus conferendi tollit ab ordinario collatore illudque sibi reservat.

Reservationes vero aliae sunt *generales*, quae plura beneficia amplectuntur, quamvis, si non expresse nominentur, non comprehendunt beneficia *manualia*, eo quod improprie tantum beneficia appellentur; aliae *speciales*, quae determinata beneficia respiciunt, et tum perpetuae, tum temporales esse possunt. Postremi generis sunt beneficia, quae dicuntur *affecta*, seu illa, in quibus manus Papa apposuit relate ad collationem, ut si illa in com-

mendam vel administrationem vel mandatum de providendo concedat, aut ipsorum resignationem in suis manibus exigat vel aliquem privet a beneficio possesso, quibus casibus pro illa vice collator ordinarius beneficium conferre nequit. Item, reservationes aliae fiunt per *Bullas* pontificias, quaeque perpetuae sunt; aliae per *Regulas Cancellariae Apostolicae*, quae cessant morte Pontificis. ⟩

Per Bullas Pontificias reservata sunt: **a)** Beneficia vacantia in Curia Romana, quibus comprehenduntur beneficia officialium Curiae Romanae et clericorum, qui Romam negotii ecclesiastici pertractandi gratiâ petivere, decedentium Romae vel in locis vicinis ultra duas diaetas non distantibus. Haec tamen reservatio non est absoluta, sed post primum mensem a vacante conferri etiam possunt ab ordinario collatore (C. 2, 3 et 34 *de Praeb. et Dign.* in 6.°) **b)** Beneficia clerici rei simoniae confidentialis (Const. Pii IV, *Romanum Pontificem* et S. Pii V, *Intolerabilis*), **c)** Vacantia per crimen haereseos (Const. S. Pii V, *Cum ex Apostolatus*). **d)** Collata sine forma a Tridentino praescripta (Const. S. Pii V, *In conferendis*).

Per *Regulam nonam Cancellariae*, Papae reservantur omnia beneficia vacantia mensibus dictis papalibus, qui sunt: Januarius, Februarius, Aprilis, Majus, Julius, Augustus, October et November. Episcopis tamen petentibus datur alternatio, et Cardinalibus per litteras in forma Brevis conceditur ut omnia vacantia in mensibus papalibus conferre possint, sed, si reditus annui beneficii sint ultra 24 ducata aurea, litterae provisionis in Cancellaria Apostolica expediri debent.

⟨ III. **Servanda in beneficiorum collatione.**—Praecipua haec sunt: 1.° Ut nullum pretium temporale propter jus concessum interveniat, secus collatio, utpote simoniaca, irrita est (Extrav. *Cum detestabile*, inter Comm.). 2.° Ut privata auctoritate nullum pactum fiat, quo beneficiato onus spirituale a beneficio alienum imponatur, quia hoc continet labem simoniae (C. 5 *de Ben. permut.*). 3.° Ut conferatur in perpetuum, seu ad vitam clerici, et non conferatur duobus ut simul, vel successive illud possideant (C. 20 *de praeb.* et *dignit.*). 4.° Ut conferatur tempore habili; quod pro beneficiis majoribus trimestre, pro aliis semestre est, computandum ab habita notitia vacationis, tempus enim ignoranti non currit (C. 41, *de Elect.*, et c. 2 et 5 *de Concess. Praeb.*). 5.° Ut servetur forma praescripta a jure communi, statuto particulari, lege fundationis vel legitimae consuetudinis. ⟩

IV. **Forma conferendi beneficia curata.**—Pro aliis beneficiis liberae collationis nulla forma specialis *jure communi* praescribitur, quamvis quoad praebendam theologalem pro Italia et Insulis adjacentibus determinata sit forma concursus (Const. Bened. XIII, *Pastoralis*), et quoad canonicatus *de officio* pro Hispania forma *oppositionis*, ut infra videbimus: unde hic quaestionem ad paroecias restringimus. Tridentinum enim (sess. 25, c. 18 de ref.) formam concursûs pro omnibus beneficiis curatis determinavit. Ab hac lege concursus tantum eximuntur: 1.° beneficia curata subjecta juripatronatûs mixti aut laicalis; 2.° unita monasteriis; 3.° illa quorum reditus annui valde tenues sint, ut si non excedant 25 ducata aurea, et 4.° ea in quibus, post duplicem concursus intimationem, nullus de facto comparuit (Trid. loc. cit.; S. C. C. 5 Febr. 1620 et Const. S. Pii V *Ad exequendum*).

Forma haec est: Episcopus, quamprimum sciat vacationem paroeciae, vicarium seu oeconomum in ea collocare debet, cui congrua portio fructuum assignabit, et interim intimare debet concursum et ad examen concurrentium procedere. Hujus examinis forma, ut ex variis Constitutionis Apostolicis Clementis XI (10 Jan. 1721 et Benedicti XIV, *Cum illud semper* 14 Dec. 1742) infertur, ad haec reducitur: 1.° Intimatio concursus tempore praefixo intra quod concurrentes documenta et merita praesentare possint. 2.° Clausis concurrentibus in aliquo habitaculo per determinatum temporis spatium, scripto et latine respondere debent alicui vel aliquibus casibus Moralis, et lingua vernacula brevem sermonem super assignato themate conficere. Scripta rubricari debent ab Episcopo vel ejus Vicario, ab Examinatoribus et a Secretario concursus. 3.° Examinatores, qui tres saltem juxta Tridentinum esse debent, postquam diligenter examinis scripta et concurrentium qualitates exquisierint, antequam e loco exeant, suffragium ferent, dignosque Episcopo proponent, qui inter approbatos digniorem eligere *debet;* sed, si paroecia sit jurispatronatus ecclesiastici, dignioris electio ad patronum spectat, institutione canonica reservata Episcopo. 4.° Concursus intimari debet, etiamsi paroecia reservata sit R. Pontifici; quo casu, si reservata sit eo quod mensibus papalibus vacavit, Episcopus digniorem praesentat Datariae Apostolicae, quin acta concursus remittat, nisi expresse petantur; si vero alio ex capite reservata sit, acta concursûs Datariae remittuntur, quae per scipsam beneficium providebit. 5.° Notetur, demum, Episcopum

in examine concurrentium votum non habere, excepto casu quo vota examinatorum singularia sint, aut hinc et inde aequalia.

Post electionem dignioris, si quis spretus censeatur, potest intra decem dies a collatione beneficii appellare *in devolutivo* tantum apud Metropolitam; si vero agatur de Metropolita vel Episcopo exempto, apud viciniorem Episcopum, tamquam Sedis Apostolicae delegatum, vel directe ad ipsum Pontificem. Juxta S. Pii V Const. (*In conferendis*), apud judicem appellationis novum examen fieri debebat: sed Benedictus XIV ad vitandas fraudes, ordinavit ut in judicio appellationis nonnisi acta primi concursus in examen revocarentur. Si hujus tribunalis sententia sit prioris confirmatoria, concursus transit in rem judicatam; secus ad Superiorem judicem est iterum appellandum.

Punct. II.—de institutionibus et jurepatronatus

Cum institutio canonica, quatenus a libera collatione distinguitur, juspatronatus supponat, datur enim institutio praesentatis a patrono, utramque tractationem conjungimus, et, ad majorem perspicuitatem, punctum jurispatronatus puncto de institutionibus praemittimus.

A) de jurepatronatus

I. Natura jurispatronatûs. II. Divisio. III. Acquisitio. IV. Patronorum jura. V. Patronorum officia. VI. Amissio jurispatronatûs.

I. **Natura jurispatronatûs.**—Tale dicitur «jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera cohaerent, concessum iis, qui beneficia vel ecclesias fundarunt, aedificarunt et dotarunt, vel etiam iis, qui ab iisdem causam habent» (Santi, Tom. III, Tit. XXXVIII, n. 3).

II. **Divisio.**—Dividitur: 1.° In *activum*, seu jus praesentandi, et *passivum*, seu jus ut quis praesentetur. 2.° In *personale*, quod certae personae vel personarum generi conceditur, et *reale*, quod adhaeret possessioni rei vel juris realis. 3.° In *ecclesiasticum*, quod competit titulo ecclesiastico, v. g.: quia praebendae adhaeret;

laicale quod titulo civili, et *mixtum*, quod ex utroque titulo conflatur.

Laicale subdividitur in *haereditarium*, quod relinquitur haeredibus sive ex testamento sive ab intestato: *familiare*, quod conceditur familiae a fundatore vel a primo patrono descendenti; *gentilitium*, quod comprehendit etiam collaterales fundatoris, et *mixtum*, ad quod acquirendum, requiritur et qualitas sanguinis et successionis haereditariae.

Familiare et gentilitium subdividuntur in *descendentale* seu *lineale*, quod omnes lineas etiam cognatorum comprehendit, et *agnatitium*, quod tantum amplectitur masculos descendentes ex masculis, et feminas immediate per masculos institutori conjunctas.

III. **Acquisitio ipsius.**—Sciendum est: 1.° quinam illud acquirere possint, et 2.° quomodo acquiratur.

1.° *Quinam juspatronatus acquirere possint.*—Omnes fideles, etiam feminae et pueri juspatronatus acquirere possunt; sed postremi, ni sint septennio majores, illud per seipsos excercere nequeunt. Sunt vero incapaces infideles, haeretici et, juxta plures, excommunicati; alii, tamen, affirmant postremos nonnisi exercitii ipsius incapaces esse.

2.° *Quomodo acquiratur.*—Ad juspatronatus acquirendum, adsunt: **a)** modi *originarii*, quibus incipit et primo constituitur, et **b)** modi *derivati*, quibus transfertur.

a) *Modi originarii* sunt: vel *ordinarii*, ut fundatio, aedificatio et dotatio, quae, si omnia concurrant, singulis juspatronatus competet; secus, non poterit jus exerceri; vel *extraordinarii*, ut privilegium pontificium et praescriptio contra ecclesiam liberam. Haec praescriptio debet esse 40 annorum cum titulo, et immemorabilis sine titulo, nam praescriptio immemorabilis praesumere facit titulum.

Concilium Tridentinum (sess. 25, c. 9 de ref.) ad praescribendum contra Ecclesiam liberam, pro personis privatis requirit tempus immemorabile et frequentiam actuum praesentationis, ad quam, juxta DD., binae praesentationes continuae sufficiunt. Pro potentioribus vero personis, ut sunt reges, principes, magnates, universitates et collegia, exigit ut scripturis authenticis probent se, absque interruptione et cum acceptatione auctoritatis ecclesiasticae, praesentasse per 50 annos.

b) *Modi derivati* sunt: successio haereditaria, praescriptio contra alium patronum, quae praescriptio regulas generales praescriptionis sequitur, et alienatio. Alienatio vero tripliciter fieri potest: 1.° donatione; 2.° permutatione, et 3.° emptione-venditione. Quoad 1.m, donari potest juspatronatus personale et haereditarium, non vero familiare et gentilitium, quia esset cum praejudicio tertii. Si donatio fiat ecclesiae, compatrono, dignitati aut monasterio, nulla licentia requiritur; si fiat privato laico aut clerico, licentia Episcopi necessaria est (C. unic. *de Jurepatron.* in 6.°, et Clem. 2.ª ejusd. tit.). Si ecclesiae suae donet patronus juspatronatus, et in ea ecclesia unicum sit beneficium, evadet ecclesia libera; si vero plura in ea sint beneficia, tunc ecclesia respectu rectoris principalis erit libera, sed respectu aliorum beneficiorum patronata, ita ut ad ea rector principalis jure praesentandi gaudebit. Quoad 2.m, permutari possunt res, quibus adnexum est juspatronatus, dummodo non aestimetur ipsum juspatronatus cum alio (Ibid.). Quoad 3.m, alienari potest juspatronatus vel emptione-venditione rei, cui adnectitur juspatronatus, dummodo ipsum jus in pretio non aestimetur, vel cessione aliorum jurium realium (Cap. 7 *de Jurepatron.*).

IV. **Patronorum jura.**—Haec jura esse possunt *utilia* vel *honorifica*. *Utilia* sunt: 1.° jus percipiendi censum antiquum seu canonem positum in limine fundationis (C. 23 huj. t.), et 2.° jus alimentorum, si forte patronus ad inopiam redigeretur, deducta tamen congrua portione pro honesta rectoris ecclesiae patronatae sustentatione (C. 25 huj. tit., et can. 29 et 30, caus. 16, q. 7).

Inter *jura honorifica* enumerantur jus processionis, honor sedis, honor thurificationis, jus sepulturae in ecclesia jurispatronatus, et praecipue jus praesentandi clericum idoneum ad beneficium vacans intra tempus utile. Circa hoc jus praesentationis videndum est: **a)** in quo differat a jure nominandi; **b)** quomodo fiat praesentatio cum plures adsunt compatroni, et **c)** in quo differant, quoad praesentationem, patroni ecclesiastici et laici.

a) Quamvis saepe praesentatio et nominatio promiscue usurpentur, differunt tamen; nam, 1.° praesentatio refertur ad actum patroni et jure patronatus innititur, nominatio vero fulcitur tantum privilegio apostolico;

2.° illa est necessaria, et jus strictum confert ut praesentato detur institutio, si nihil canonicum obstet; haec vero, jus strictum non confert, quamvis Summus Pontifex nominationi obsecundare soleat; 3.° illa indistincte verificatur pro omnibus beneficiis, haec praecipue quoad episcopatus, et competere solet tantum supremis in republica principibus ex legibus concordatis.›

‹ b) Quando plures sunt compatroni, si corpus morale efforment, praesentatus censetur ille in quem major et sanior pars suffragiorum concurrit; si vero jus praesentandi pluribus competat uti singulis ex jure haereditario, tunc qui succedunt jure proprio habent singuli unum suffragium, qui vero jure repraesentationis omnes simul habent aliud suffragium, quod responderet repraesentato si viveret; et hoc modo suffragiis computatis, qui plura retulerit, praesentatus censetur.

(1) c) In jure praesentandi, plurimum differunt patroni ecclesiastici et laici: nam illi semestre habent ad praesentandum, sed nequeunt variare; et, si indignum scienter praesentent, pro illa vice jure praesentandi privantur (C. 22 hujus tit. et c. *unic. eod.* in 6.°, c. 2 *De suppl. negl. Prael.*); patroni vero laici habent quadrimestre ad praesentandum, variare possunt ante institutionem, et, etiamsi indignum scienter praesentent, probabilius non amittunt jus nec pro illa vice, dummodo non effluxerit tempus utile (C. 3, 27 et 29 h. t.; c. *un. eod. t.* in 6.° et c. 4 *de off. Jud. Ordin.*). Mihi tamen rationabilius videtur differentiam inter patronum ecclesiasticum et laicum, quoad praesentationem indigni, non tam esse in substantia dispositionis, quam in praesumptione juris; jus nempe praesumit quoad patronos ecclesiasticos id scienter fecisse, et contrarium quoad laicos, cum hi non satis experti praesumantur circa ea, quae sunt juris ecclesiastici; unde primi ignorantiam probare tenentur, secundi vero non, sed dolus contra ipsos probandus est.

‹V. **Patronorum officia.**—Duo praecipua sunt: 1.° Restaurare vel reparare ecclesiam jurispatronatus, si opus sit, et nisi velint jus suum amittere, et 2.° vigilare atque defendere ecclesiam et beneficium jurispatronatus.› Ex hac tamen cura non competit patrono ulla jurisdictio aut administratio rerum ecclesiae, praeter taxative de-

(1) Clericus et laicus distant per plura patroni
Quoad et tempus subjectio poenaque forsan.
Jus eligendi de los presentados por el Obispo;
El laico de todos los concursantes aprobados.

terminatum in tabulis fundationis (Trid. sess. 23, c. 3 et sess. 25, c. 9 de ref.).

VI. **Amissio jurispatronatus.**—Juspatronatus amitti potest ex facto criminoso, ex facto honesto et ex casu.

1.° *Ex facto criminoso*, cui talis privatio adnexa est, uti sunt: caedes aut mutilatio rectoris vel beneficiarii ecclesiae patronatae a patrono vel ex ejus mandato patrata (C. 13 *de poenis*), haeresis, apostasia a fide, schisma, simoniaca venditio jurispatronatus (C. 6, *huj. tit.*), iniqua bonorum Ecclesiae usurpatio, aut jurispatronatûs alienatio contra praescriptiones canonicas (Trid. sess. 25, c. 9 de ref.).

2.° *Ex facto honesto*, ut libera cessio jurispatronatus, renuntiatio *expressa* favore Ecclesiae, vel *tacita*, quae habetur: **a)** si permittit beneficium patronatum uniri alteri liberae collationis, vel alicui collegiatae aut monasterio, quin mentionem faciat de reservatione jurispatronatus (C. 8 *de Const.*); **b)** si permittit ut Ecclesia patronata fiat Collegialis (C. 20 h. t.), et **c)** praescriptione contraria seu Ecclesiae contra patronum.

3.° *Ex casu*, ut si extinguatur familia vel linea cui jus competebat, nisi fundator aliam familiam vel lineam subrogasset, vel si Ecclesia destruatur, aut pereat dos; tunc enim, praefixo patrono tempore ad eam restaurandam et inutiliter elapso, perit ipsius jus (S. C. C. 15 Dec. 1827 et 25 Sept. 1858).

B) DE INSTITUTIONIBUS

I. Natura et divisio institutionis. II. Personae quibus competit instituere. III. Personae, quae institui possunt. IV. Forma et tempus institutionis. V. Effectus institutionis.

I. **Natura et divisio institutionis.**—*Institutio canonica* est ecclesiae vel beneficii concessio a Superiore ecclesiastico facta ei, qui a patrono praesentatur. Triplex est, nempe: *tituli collativa*, qua beneficium in *titulum* praesentato conceditur; *auctorizabilis*, qua clericus approbatur et promovetur ad curam animarum, et *realis* vel *corporalis* seu *investitura*, qua clericus accipit possessionem beneficii. Secunda, cum sit jurisdictionis concessio, tantum locum habet in beneficiis curatis.

II. **Personae quibus competit instituere.**—1.° *Quoad*

institutionem tituli collativam, post Papam, solus Episcopus potest eam in sua dioecesi concedere (C. 3 *De instit.*); alii clerici debent ostendere titulum specialem, id est, vel privilegium pontificium, vel legem fundationis anteriorem Concilio Tridentino; hoc enim Concilium prohibuit in novis fundationibus hujusmodi institutionem alteri quam Episcopo reservare (sess. 24, c. 12 de ref.), vel consuetudinem immemorabilem; laici vero nonnisi privilegium pontificium invocare possunt, cum sint jure ordinario jurisdictionis ecclesiasticae incapaces. Sed, etiamsi haec institutio aliis inferioribus competeret, institutionem praecedere deberet examen praesentati ab Episcopo peractum (Trid. sess. 7, c. 13 de ref., et S. C. C. pluries). Etiam hanc institutionem concedere possunt Praelati plenissimo jure cum clero et populo exempti, necnon Vicarius Generalis Episcopi, virtute mandati generalis, et Vicarius Capitularis, nam institutio est actus jurisdictionis necessariae (C. 3 hujus t. et c. *unic.* ejusd. in 6.°).

2.° *Quoad institutionem auctorizabilem*, semper ad Episcopum spectat, quamvis collativa alii reservetur, et sine speciali mandato eam Vicarius Generalis concedere non potest (C. 4 *de Off. Archid.*). Eodem jure ac Episcopi gaudent quoad illam, Praelati vere *nullius* et Vicarius Capitularis.

3.° *Quoad institutionem realem* jure Decretalium haec Archidiacono competebat, sed hodie reservatur Episcopo, qui eam concedit vel per se, vel per alium. In beneficiis papalibus solet Pontifex delegare ad eam concedendam aliquem Praelatum signaturae, vel Vicarium Generalem aut decanum canonicorum vel duos canonicos. Beneficiarius vero accipere potest possessionem vel per se vel per procuratorem, cum mandato speciali, sed tenetur per se professionem fidei emittere, quando haec requiritur.

III. **Personae quae institui possunt.**—Sunt clerici idonei: ad quod non solum habeant oportet qualitates omnibus promovendis requisitas (Cf. p. 110, punct. III), sed etiam quae in tabulis fundationis exiguntur. Notandum tamen: 1.° si beneficium aliquem ordinem exigat, sufficere ut infra annum a capta possessione recipiatur, nisi contrarium expresse in fundatione statua-

tur (C. 2 *De Instit.* in 6.°). 2.° Supposita idoneitate, nequire Episcopum exclusive instituere clericos unius nationis, nisi in tabulis fundationis id praescribatur (C. 5. *De Instit.*). 3.° In ecclesiis *numeratis* tot instituendos esse quot sint praebendae; in *non numeratis*, quot commode ali possint (C. 1. h. t.).

IV. **Forma et tempus institutionis.**—1.° *Quoad formam*, Episcopus, antequam instituat, proponere debet edictum publicum in valvis Ecclesiae, quo generaliter et peremptorie citentur ii quorum interest, an quid in contrarium habeant allegandum; dein, examinata idoneitate personae, consensum praebet institutioni quocumque loco, etiam extra dioecesim, quavis die, etiam feriata, et qualibet forma, quamvis ad institutionem probandam litterae confici debeant (C. ult. *De Elect.* in 6.°).

2.° *Quoad tempus*, Superior nullum habet praefixum in jure, intra quod instituere teneatur; sed, si nimis protrahat institutionem, praesentatus ad Superiorem immediatum recurrere valet, ut hic inferiori tempus praefiniat ad eam concedendam, quo inutiliter elapso, ipse instituet. In paroeciis tamen ex Const. S. Pii V *In Conferendis*, fieri debet institutio intra bimestre a die praesentationis computandum.

V. **Effectus institutionis.**—Institutio *collativa* confert instituto jus possessionem beneficii legitime obtinendi, eumque titulo legitimo induit, ut talis beneficiarius titulari possit. *Auctorizabilis* confert instituto jurisdictionem, quam ex tunc valide exercere potest. Effectus demum institutionis *realis* sunt: 1.° Ut beneficiarius fructus beneficii faciat suos. 2.° Vacatio omnium beneficiorum incompatibilium, quamvis in Italia, ratione specialium circumstantiarum permittit S. Sedes ut percipiantur fructus priorum beneficiorum, donec obtineatur *Regium exequatur*, vi cujus perceptio fructuum novi beneficii fieri possit. 3.° Beneficium regulae 35 Cancellariae Apostolicae post possessionem annuam, vi cujus difficilius in possessione ipsius turbari potest. 4.° *Triennali possessione* justificatur titulus coloratus, dummodo ingressus non fuerit simoniacus; imo, juxta probabilem sententiam, haec triennalis possessio prodest ignoranti simoniam a tertio commissam, si cum eadem bona fide

per triennium in beneficio perstiterit. Ita Reiffens. ad tit de *Sim.*, Rigantius in reg. 36 *Cancell.* n. 132, t. III, et Baller.-Palmieri in Theol. Mor., t. II, p. 358.

PUNCT. III.—DE BENEFICIORUM ACQUISITIONE IN HISPANIA (1)

Omissis quae aliis locis pertractata sunt, hic tantum videbuntur: I. Beneficia, quae in Hispania S. Sedi reservantur. II. Beneficia, pro quibus nominat Regia Corona. III. Beneficia, quae ab Episcopo providentur. IV. Forma in beneficiorum provisione servanda. V. Classes, quae determinari debent ad effectus ingressûs aut ascensûs, in Clero Cathedrali aut Collegiato.

I. **Beneficia in Hispania S. Sedi reservata.**—Sunt sequentia: 1.° Quae ei competunt jure devolutionis. 2.° Omnia consistorialia, Regia nominatione praevia quoad Episcopos et Archiepiscopos, et postulatione quoad Episcopos auxiliarios. 3.° Dignitas primicerii in omnibus ecclesiis metropolitanis et in 22 suffraganeis, et unus de gratia canonicatus in ceteris Cathedralibus.

Dignitates primicerii S. Sedi reservantur in suffraganeis Conchae Valeriae (*Cuenca*), Deobrigae (*Plasencia*), Seguntiae, Sancti Andreae (*Santander*), Victoriae, Epiodicii (*Guadix*), Gieni (*Jaén*), Malachae, Luci Augusti (*Lugo*), Mindoniae (*Mondoñedo*), Oveti, Tudae (*Tûy*), Pacis Augustae (*Badajoz*), Barcinonis, Gadium, Orcellis (*Orihuela*), Asturigae Augustae (*Astorga*), Abulae, Salmanticae, Senticae (*Zamora*) et Oscae.

II. **Beneficia pro quibus nominat Regia Corona.**—1.° Ad omnia consistorialia. 2.° Ad dignitatem decanatus in omnibus ecclesiis. 3.° Ad dignitates, canonicatus et beneficia, quae vacant per dimissionem aut promotionem (2) possessoris ad aliud beneficium, demptis tamen S. Sedi reservatis et quae sunt ex officio. 4.° Ad

(1) Beneficiorum provisio in Hispania fit ad normam Concordati a. 1851 et Regiorum Decretorum, quae Nuntiaturae Apostolicae assensu vel conventione data sunt, ad ipsius Concordati interpretationem vel executionem. Praecipua sunt, quae data fuere 16 Maj. 1853, 6 Dec. 1888, 23 Nov. 1891, 14 Sept. 1893, 17 Dec. 1900 et 20 Apr. 1903.

(2) Promotio in casu sumitur stricte pro translatione per ascensum; si enim translatio non fiat per ascensum, habet locum alternatio.

vacantia, Sede vacante, et ad ea, quae Praelatus defunctus non providit (1). 5.° Ad omnia beneficia novarum Cathedralium, demptis ex officio et Papae reservatis. 6.° Ad omnes paroecias, quae jurispatronatus privati, laicalis vel ecclesiastici non sint. 7.° Ad alias dignitates et canonicatus alternatim cum Episcopo, et ad alia beneficia alternatim cum Episcopo et Capitulo (2).

III. **Beneficia, quae ab Episcopo providentur.**— 1.° Dignitates, et canonicatus specialiter Papae vel Coronae non reservati, alternatim cum ista. 2.° Cetera beneficia Cathedralis vel Collegiatae non specialiter Coronae reservata, alternatim cum ista et cum Capitulo. 3.° Canonicatus de *officio* simul cum Capitulo. 4.° Omnes Coadjutoriae parochiarum.

Institutio vero canonica, si beneficia Papae reservata excipias, semper competit Episcopo (Concord. art. 18; Reg. Decr. Concordatum 5 Nov. 1852); quoad vero reservata S. Pontifici, tantum Episcopo competit mandatum de *immittendo in possessionem*.

IV. **Forma servanda in beneficiorum provisione.**— 1.° Canonicatus *de officio* per oppositionem juxta Concordatum provideri debent ad normam Const. Leonis X, *In suprema*, quae de Doctorali et Magistrali loquitur, Alexandri VII, *Romanus Pontifex*, Gregorii XV, *Suprema*, in qua exercitia pro praebenda poenitentiali determinantur, et terminus 60 dierum in edictorum affixione assignandus praescribitur. Sed praecipue hac in re servanda sunt statuta capitularia. In oppositionibus sedulo distinguenda est exercitiorum approbatio, qua concurrentes digni declarantur, a selectione dignioris, quae per novam suffragiorum emissionem fieri debet. Si vota sint hinc et inde aequalia, praefertur senior, ad normam Const. Alex. VII, *Rom. Pontifex*, cui non contradicit art. 14 Concordati, ut infertur ex Reg. Decreto 3 Jan. 1868.

2.° Hac eadem forma providenda est medietas cano-

(1) Cum dioecesis regitur ab Administratore Apostolico, beneficia vacantia, quorum provisio ad Mitram spectaret, providentur a Corona, sed praevia designatione candidatorum ab Administratore Apostolico peracta (R. O. 25 Aprilis 1867).

(2) Id significat Coronam providere unum beneficium, alterum solum Praelatum, alterum Coronam, et alterum Episcopum cum Capitulo.

nicatuum et beneficiorum singulis Cathedralibus et Collegiatis respondentium (1), quae de *Gratia* nuncupantur, alternando in provisione, donec adimpleatur numerus canonicatuum et beneficiorum per oppositionem cum alia medietate, quae per simplicem nominationem et institutionem fit et sub iisdem regulis, quibus alternatio antea subjiciebatur (Reg. Decr. 6 Dec.1888 ab Emmanuele Alonso Martinez, Ministro Gratiae et Justitiae subscriptum) (2); sed Tribunal tantum eligere debet *ternam* praesentandam ei, ad quem alternatio spectet.

3.° Abbatiae Collegiatarum per oppositionem etiam providentur: inter approbatos seligitur *terna*, quae Coronae praesentatur.

Tribunal oppositionum non est idem pro canonicatibus *de officio* et pro aliis praebendis et beneficiis, quae per oppositionem providentur vi supracitati Decreti 6 Dec. 1888; in illis enim illud efformare possunt omnes Capitulares una cum Episcopo; in his vero distinguendum est. Si agatur de canonicatibus pro Ecclesiis Metropolitanis vel Suffraganeis, praeter Ordinarium, qui est praeses natus omnium oppositionum suae dioeceseos, illud constituunt unus canonicus *de officio*, alter *de oppositione*, aut, defectu illius, alius *de officio* et alius *de gratia*, arbitrio illius, ad quem provisio spectat, eligendus. Si agatur de canonitatibus Cathedralium, quae Collegiatae fieri debent, vel de beneficiis ipsarum aut Metropolitanae vel Suffraganeae, decanus et unus canonicus *de officio*. Si de canonicatibus et beneficiis Collegiatarum, Abbas et unus canonicus *de officio*.

(1) Si numerus canonicatuum vel beneficiorum sit impar, major pars per oppositionem providebitur.

(2) Praebendae hujusmodi oppositionis, quum vacent, semper erunt per oppositionem providendae. Canonicatibus vel beneficiis, quae per oppositionem provideantur, possunt Episcopi aliquod onus speciale imponere, veluti docere in Seminario, curam bibliothecae vel archivi ecclesiarum, studium et observantiam sacrae liturgiae promovere et sacras caeremonias dirigere. Ordinarii, auditis respectivis Capitulis, et attenta necessitate vel utilitate Ecclesiae,determinabunt onus unicuique canonicatui vel beneficio oppositionis imponendum. Ipsi tamen Ordinarii dispensare a magisterio poterunt cum illis, qui ad illud tenentur, si ob circumstantias speciales id prudens videatur (R. d. 6 Dec. 1888, art. 2.°). Notetur esse *potestativum* in Episcopis hoc onus imponere vel non, commendatum esse diversa onera non esse *disjunctive* imponenda (R. O. 14 Nov. 1890), et conformius esse Regio Decreto unum tantum onus imponere. Nuntius resolvit hujus oneris adimplementum a choro non eximere (19 Mart. 1891).

4.° Paroeciae demum per concursum ad normam juris communis providentur, sed Praelati, loco eligendi digniorem, *ternas* efformant Regiae Coronae vel respectivis patronis praesentandas, ut hi eligant.

5.° Notetur intra triginta dies a nominatione, quum provisio spectat ad Coronam, esse a nominatis impetrandam Regiam Schedulam, et intra alios 30 ab expeditione Regiae Schedulae, praevia praesentatione tituli canonici Capitulo facta (qui titulus, uti diximus, ab Ordinariis semper confertur), possessionem esse capiendam, nisi a Gubernio prorogatio obtineatur. Si possessio per procuratorem capiatur, residentia effectiva incipi debet intra bimestre ab expeditione Regiae Schedulae (R. O. 16 Oct. 1855).

V. **Classes quae determinari debent ad effectus ingressus vel ascensus in Clero Cathedrali aut Collegiato.** —In Regio decreto concordato 20 Apr. 1903 (quo et quatenus ei opponantur, derogata sunt decreta 23 Nov. 1891 et 14 Sept. 1893), determinantur qualitates et conditiones requisitae ad obtinendum dignitates, canonicatus, et beneficia oppositionibus non obnoxia; sed a dispositionibus ipsorum excipiuntur, quae reservata sunt Sedi Apostolicae. In appendicibus videri potest pars dispositiva hujus decreti, in lingua qua prodiit: hic sufficiat innuere classes, quae in ipso determinantur ad effectus ingressûs et ascensûs in Clero Cathedrali et Collegiato, scilicet:

Vide pag. 684.

1.ª Decani Ecclesiae Metropolitanae.

2.ª Decani Ecclesiae Suffraganeae.

3.ª Dignitates metropolitanae.—Ejusdem Canonici de officio.—Capellani majores Regum et Mozarabum Toletani, Regum Catholicorum Granatenses, et S. Ferdinandi Hispalenses.—Decani Cathedralis in Collegiatam reducendae, et Abbates Collegialis.—Rector Ecclesiae S. Francisci, cognomento *Magni* Matritensis, post quatuor in munere servitiorum praestitorum annos.

4.ª Canonici Metropolitanae.—Dignitates Suffraganeae.—Ejusdem Canonici de officio.—Capellani primarii Ecclesiae S. Francisci, *Magni* cognomento Matritensis, post quatuor annos servitii.

5.ª Canonici Suffraganeae.—Capellani regii.—Capellani honorarii regiae Capellae.—Rector Ecclesiae S. Jacobi et Montserrat Romae.—Rector regalis Monasterii de Incarna-

tione Matritensis.—Canonici Ecclesiae magistralis Sacri Montis Granatae.—Secretarii cancellarii; quod munus in Provincia Tarraconensi ecclesiastica existit.

In hac classi includuntur, praestitis quatuor servitii annis: Provisor Vicarius generalis.—Secretarii de Camera.—Fiscales ecclesiastici.—Rectores Seminariorum.—Quinque autem praestitis: Cathedratici Seminariorum aut Universitatum.

6.ª Canonici de gratia et de officio Cathedralis in Collegiatam reducendae, vel Ecclesiae in Collegialem transferendae.—Beneficiati Metropolitani.—Capellani secundarii Sancti Francisci Magni.—Parochi mozarabes.

Ad hanc classem etiam pertinent, post duos servitii annos in munere: Provisor vicarius generalis.—Secretarius de Camera.—Fiscalis ecclesiasticus.—Rector Seminarii.—Post tres vero: Cathedraticus Seminarii aut Universitatis.

7.ª Beneficiati Suffraganeae.—Capellani regalis Monasterii de Incarnatione Matritensis.—Beneficiati adscripti altari et musicae Regiae Capellae.—Beneficiati mozarabes.—Capellani regalis Ecclesiae S. Jacobi et Montserrat Romae.

In hoc ordine includuntur, post quatuor servitiorum annos: Capellani-sacristae Regiae Capellae.—Capellani coadjutores (*ayuda*) oratorii ejusdem.

8.ª Beneficiati Cathedralis in Collegiatam reducendae, vel ecclesiae in Collegialem transmutandae.

§ III.—DE BENEFICIORUM VACATIONE

Beneficia vacare possunt: I. per renuntiationem seu dimissionem; II. per translationem; III. per remotionem, et IV. morte naturali aut civili beneficiati.

PUNCT. I.—DE DIMISSIONE SEU RENUNTIATIONE BENEFICII

I. Renuntiationis natura et divisio. II. Qualitates renuntiationis. III. Conditiones in renuntiatione prohibitae. IV. Specialia quoad jubilationem.

¿ I. **Natura et divisio renuntiationis.**—Renuntiatio seu dimissio est spontanea cessio proprii beneficii justa de causâ facta coram legitimo superiore eam acceptante. Dividitur in *expressam*, quae fit disertis verbis vel scriptis, et *tacitam*, quae fit dupliciter: facto resignationem significante, et dispositione juris eam importante

absque alia verborum prolatione; hoc autem evenit, si interveniat matrimonium vel beneficii incompatibilis acceptatio, vel solemnis professio, vel militia saecularis voluntaria pro clerico in minoribus constituto. *Expressa* iterum subdividitur in *puram* seu *absolutam* et *conditionalem*, id est, sub reservatione pensionis, vel in favorem tertiae personae; quo casu, proprius dicitur *resignatio*. Inter conditiones annumerari potest beneficiorum permutatio.

II. **Qualitates renuntiationis.**—Ut infertur ex ipsa definitione, renuntiatio debet esse: 1.° *spontanea*; unde invalida vel saltem revocabilis est, quae metu gravi injusto, vel violentia, vel ab amentibus obtineatur. 2.° *Beneficii proprii*: unde invalida est renuntiatio ante confirmationem vel institutionem canonicam, et beneficii litigiosi, nisi fiat in favorem collitigantis, vel pure et absolute (C. 1 *de alien. judicii mut. caus.* et C. 2 *Ut lite pend.* in 6.°). 3.° *Justa de causa facta*; ut est debilitas cum officio incompatibilis, ignorantia, crimen infamans, odium plebis, scandalum pusillorum, quae causae praesertim vigent pro episcopatuum renuntiatione (C. 10 *de Renunt.*) 4.° *Acceptata a legitimo Superiore*; hic autem, si agatur de resignatione pura et simplici, ille est, qui potest beneficium conferre atque ab eo clericum deponere. Sed superior resignationem non debet acceptare, si beneficiarius non habeat aliunde media honestae sustentationis; qua de causa non valet renuntiatio beneficii, quod titulum ordinationis constituit, nisi haec qualitas in renuntiatione exprimatur, et aliud beneficium vel patrimonium ecclesiasticum ei subrogetur, nec renuntiatio a novitio peracta ante duos menses professioni proximos (Trid. sess. 25, c. 16 de Reg.). Pariter eam nequit acceptare, si cedat in praejudicium juris reservationis pontificiae vel juris unionis illius beneficii, quae perfici posset ab Episcopo.

III. **Conditiones in renuntiatione prohibitae.**—In primis prohibentur conditiones factae in favorem tertii, seu *resignationes*, nisi agatur de simplici permutatione, vel obtineatur privilegium pontificium; et quamvis obtineatur, si obtinens sit infirmus, qui intra 20 dies post resignationem moriatur, privilegium non sortitur effectum; sed morte beneficiarii beneficium vacare censetur

(Regula Canc. Apost. *De viginti*; et rubrica, tit. 12, lib. III). Ad vitandum insuper periculum ut aliquo modo resignationes fiant in favorem tertii, Sanctus Pius V in Const. *Quanta Ecclesiae* prohibuit quominus Episcopus vel alius ordinarius collator, in cujus manibus resignatio beneficii facta est, beneficium hujusmodi conferat suis aut resignantis consanguineis vel affinibus; sub qua prohibitione comprehenduntur etiam beneficia parochialia, quae per concursum conferuntur, sed non permutationes simplices (Bened. XIV *De Syn. Dioec.* lib. 13, c. 24); ad quod intelligendum, sciri debet quid sit beneficiorum permutatio et quibus conditionibus fieri possit.

Jam *permutatio* dicitur mutua renuntiatio beneficiorum ea sub conditione ut alter in alterius beneficium instituatur. Fieri potest cum his conditionibus: 1.ª ut adsit justa causa, seu necessitas aut utilitas ecclesiae vel beneficii a Superiore approbanda; 2.ª ut fiat in manibus et auctoritate legitimi Superioris, et 3.ª ut non fiat compensatio fructuum, nisi agatur de permutatione inter corpora moralia quoad beneficia, vel ecclesias quae ab ipsis pleno jure possideantur. Sed prohibentur omnino permutationes privatae, reciprocae inter filios illegitimos presbyterorum, triangulares, necnon beneficiorum residentialium cum non residentialibus (C. 5 *De rerum permut.*; C. un. *eod tit.* in 6.°; Conc. Trid. sess. 25, c. 15 de ref.) (1).

Secundo prohibentur conditiones in favorem renuntiantis, ut si reservetur *accessus*, *ingressus*, vel *regressus*. Reservatur *accessus*, cum quis alteri procurat beneficium, vel eligendo vel praesentando cum pacto confidentiali, ut electus seu praesentatus suo tempore a beneficio recedat, ut ipse procurans vel alia persona sibi bene visa eligi vel praesentari possit ad illud. Reservatur *ingressus*, quando eodem pacto quis procurat alteri beneficium sive per liberam collationem, sive per institutionem, sive per confirmationem, vel cum quis benefi-

(1) In processu canonico super *permutatione*, qui in Hispania ad Ministrum justitiae remittatur, aetas permutantium constare debet; et an sint inter se consanguinei vel affines (Nov. Rec., lib. I, tit. 18).

cium sibi collatum, sed nondum possessum dimittit vel alteri resignat sub eodem pacto. Reservatur *regressus*, cum quis beneficium receptum et possessum resignat alteri sub eadem conditione.

IV. **Jubilatio.**—Jubilatio est dimissio beneficii, senectutis vel gravis et incurabilis infirmitatis causa, relicta dimittenti fructuum portione ad ejus honestam sustentationem, et plerumque relicto titulo ipsius beneficii, unde jubilatio canonica beneficii vacationem non producit. Ad jubilationem, senectutis causa, requiruntur 40 anni servitii continui et laudabilis in eadem ecclesia, vel, si adsit consuetudo, etiam in diversis. Concedi debet ab eo ad quem collatio vel institutio canonica beneficii spectat, et si agatur de beneficiis curatis nominari insuper debet coadjutor ad nutum amovibilis, qui curam animarum exerceat (1).

PUNCT. II.—DE TRANSLATIONE

I. Quid sit translatio. II. An invitus transferri possit. III Quando censeatur vacare ex translatione primum beneficium.

I. **Quid sit translatio.**—Translatio in jure canonico dicitur canonica mutatio personae ecclesiasticae de uno beneficio in aliud; sed praesertim hoc nomine vocatur mutatio Episcopi de una ad aliam Sedem Episcopalem, quaeque nonnisi Papae auctoritate fieri potest. Dicitur *canonica* mutatio, ad quod requiritur: 1.° ut adsit causa legitima; detrimentum enim paterentur Ecclesiae vel munera, si titulares eorum sine causa sufficienti amoverentur, et si ad aliud beneficium promoti essent. Causae vero legitimae sunt *communis utilitas* atque *necessitas* (Can. *Mutationes* caus. 7, q. 1), qualis esset si ob persecutionem hostilem, odium civium, aëris inclemen-

(1) In Hispania pro beneficiis S. Sedi non reservatis inchoatur et finitur causa jubilationis, tum ex officio, tum ad petitionem partis, apud Curiam Ordinarii, ad normam tamen Reg. Decreti 30 Apr. 1852 et 13 Oct. 1864 (Art. 2). Inutile est ad *Ministerium justitiae* ferre acta processus jubilationis in Curia dioecesana efformati, nam non conceditur jubilatio, nisi ut *beneficii renuntiatio et quin fiscus oneretur.*

tiam Episcopus vel beneficiarius in propria Ecclesia tuto commorari nequiret. Etiam ascensus gradualis in ecclesiastica hierarchia reputatur legitima translationis causa, nisi de beneficiis minoribus agatur. 2.° Ut fiat auctoritate legitimi Superioris.

II. **An invitus transferri possit.**—Hanc quaestionem praecipue instituimus quoad Episcopos et quoad parochos. Quaerimus igitur *primo*, an Episcopus, justa de causa translatus, possit invitus cogi ad acceptandum alterum episcopatum; ad quod distinguendum respondemus: si nondum sit consecratus, non potest cogi, quia nemo potest invitus consecrari (C. 20 et 21 *de Elect.*); si vero jam sit consecratus, disputatur inter auctores. Probabilius tamen videtur quidem ex plenitudine potestatis Papam posse illum obligare ad acceptandum, etiam sub censuris, et sub poena privationis episcopatus; sed omnino invitus non potest Episcopus ad aliam Ecclesiam assumi, ita ut novum spirituale conjugium cum eadem contrahat (Cf. Craisson *Manuale totius Jur. Can.* lib. I, n. 525, Santi ad tit. VII De *transl. Episc.* n. 8). Quaerimus *secundo*, an Episcopus possit invitum parochum ab una paroecia ad aliam transferre. Si agatur de parocho *amovibili*, prout sunt hodie in Gallia fere omnes, affirmandum est, eo vel magis quod sacerdos non legitime impeditus ex obedientia Episcopo praestita in ordinatione tenetur acceptare ministerium animarum, si illi ab Episcopo praeficiatur. Si vero parochus sit *inamovibilis*, negandum est sine gravi causa, utique vero cum hac, uti patet ex cap. 5 *de Rerum permut.*

III. **Quando per translationem censeatur vacare primum beneficium.**—Varia hac in re fuit Ecclesiae disciplina. Ante Conc. Lat. III., possidenti duo beneficia incompatibilia optio dabatur eligendi quod maluisset (C. 7 et 14 *De praeb.*), sed in praedicto Concilio idem Alexander III statuit, ut, si possidenti beneficium aliud incompatibile conferretur, collatio hujus secundi nulla esset, et collator pro illa vice jure collationis ejusdem beneficii privaretur (C. 3 *de Cler. non resid.*); verum, cum haec dispositio opponeretur graduali clericorum ascensui in hierarchia ecclesiastica, ne in praxim deduceretur, Innoc. III in Conc. Lat. IV statuit, ut, si clericus beneficium possidens acceptet aliud beneficium,

teneatur primum dimittere; quod si renuat, utroque privandus sit (C. 28 *de Praeb.*) Accedit demum dispositio Tridentina (sess. 7, c. 2 et 4.), ex qua deprehendimus vacare ipso jure beneficium per collationem et pacificam possessionem (utrumque copulative) alterius beneficii incompatibilis.

Ab hac regula excipienda tantum est translatio Episcopi. Si ab una in alteram dioecesim fiat, episcopatus prior vacat statim ac Episcopus certioratur etiam per testimonium Secretarii sacri Collegii Cardinalium, vel quovis alio modo dissolutum fuisse in Consistorio papali ipsius cum eadem vinculum (Decr. Urb. VIII 20 Mart. 1625); imo, ab ipsa hora, qua dissolutum fuit in Consistorio praedictum vinculum, amittit Episcopus jus conferendi beneficia, quae ab hoc momento vacaverint (Bened. XIV *de Syn. Dioec.* lib. 13). Si vero, inscio penitus Episcopo, a Papa transferatur, non censetur vacare prior Ecclesia donec translatus resciat et consensum praestet, excepto casu quo contrarium Papa exprimeret. Si translatio fiat a beneficio non episcopali ad episcopale, primum vacat *ipso facto* per consecrationem episcopalem, vel semel ac lapsum est tempus pro consecrandis Episcopis a canonibus definitum (C. *Cum in cunctis, de Elect.*).

Punct. III.—De remotione a beneficio ecclesiastico

Duplici modo Superior removere potest inferiorem a beneficio: *simplici revocatione* seu *destitutione*, et *privatione juridica*. Primus modus servari potest quoad beneficia ad nutum amovibilia, et quidem de rigore juris hujusmodi revocatio sine ulla causa fieri potest; est enim hoc de essentia beneficii ad nutum revocabilis. Attamen exceptiones opponunt canonistae, nempe: si amotio fiat ex odio patenti, vel legitime praesumpto (quod probari debet); si cedat in infamiam revocati, vel ipsi damnum ab amissione beneficii diversum inferat; si cedat in damnum tertii, praesertim paroeciae, vel si non soleat superior revocare sine causa, quia tunc reddit casus damni quoad famam (Bouix, *De parocho*, p. 419).

Privatio juridica regulariter servari debet in benefi-

ciis inamovibilibus, ut sunt beneficia proprie dicta. Dixi *regulariter*, quia S. Pontifex sine causa, posset valide, quamvis non licite, deponere Episcopos, et cum aliqua causa etiam licite, quin teneatur juris ordinem servare (S. Lig. lib. IV, n. 104). Episcopi autem nequeunt beneficiis inamovibilibus clericos privare, nisi ob causam gravem, culpabilem et notoriam, et servato juris ordine (C. 7. *de Restit. spoliatorum*).

Jam poena privationis beneficii nonnumquam ipso jure crimini adnexa est, quo casu requiritur tantum sententia criminis declaratoria, post quam effectus retrotrahitur ad tempus patrati delicti; aliquando imponenda praecipitur aut conceditur per judicis sententiam condemnatoriam, quo casu poena incipit effectum sortiri, cum per sententiam infligitur.

Crimina, quibus ipso jure poena privationis beneficii adnexa est, sunt sequentia: 1.° Haeresis (C. *Ad abolendum de Haeret.*). 2.° Si Parochi infra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum, non curent se ad sacerdotium promoveri (C. *Licet de Elect.* in 6.°). 3.° Detentio clerici ad extorquendam ab eo renuntiationem sui beneficii, vel ad impediendum quominus coram tribunali Papae se sistat (Clem. 2 *de Poenis*; Const. Alex. VI *In eminentis*). 4.° Acceptio possessionis beneficii a Papa collati ante expeditionem litterarum apostolicarum (C. 18 de *Praeb.* in 6.°, Const. Julii III, 27 Maj. 1554). 5.° Falsificatio litterarum apostolicarum (C. *Ad falsariorum de Crimin. falsi*). 6.° Ministratio praesumptuosa in ordinibus male susceptis (Const. Xysti V *Sanctum ac Salutare*). 7.° Alienatio anticanonica bonorum Ecclesiae (Extr. *Ambitiosae* inter comm.). 8.° Homicidium (C. 1 *de Homic.* in 6.°). 9.° Occisio vel percussio Cardinalium, vel Episcoporum, vel rectoris aut beneficiarii illius ecclesiae, in qua homicida aut percussor suum habet beneficium. 10. Procuratio abortus (Const. Xysti V, IV Kal. Nov. 1588). 11. Sodomia (Const. S. Pii V., *Horrendum*). 12. Simonia realis, confidentialis et mixta. 13. Duellum, etiam morte non sequuta (Trid. sess. 25, c. 19 de ref.).

Crimina, quibus poena privationis beneficii adnexa est post judicis sententiam, sunt: 1.° Omissio gestationis habitus clericalis (Trid. sess. 14, c. 6. de ref.). 2.° Omissio horarum canonicarum bis per quindenam post sex menses ab obtento beneficio (Conc. Lat. V, apud Labbe, t. 14, p. 227). 3.° Contumax perseverantia per annum in excommunicatione vel suspensione (Trid. sess. 25, c. 3 de ref.) 4.° Omissio residentiae (Trid. sess. 23, c. 1; sess. 24, c. 12 de ref.). 5.° Irregularitas ex de-

licto privatione beneficii digno. 6.° Homicidium, furtum, perjurium (C. *Cum non ab homine*; *de Judic.*). 7.° Sacrilegium cum moniali; sed dubitatur, an in hoc casu incurratur ipso facto (Can. 28, c. 27, q. 1). 8.° Concubinatus, servata forma Tridentini (sess. 25, c. 14 et sess. 21, c. 6 de ref.). Sunt et plures alii casus, quibus infligi potest poena privationis beneficii, de quibus vel jam sermonem fecimus, vel suo loco faciemus.



INSTITUTIONES JURIS CANONICI

LIBER III.

DE JUDICIIS, DELICTIS ET POENIS

PARS PRIMA

DE JUDICIIS

TITULUS PRAELIMINARIS

DE JURE PROCESSALI IN GENERE

Ex triplici illa potestate, quam societati perfectae competere evicimus, una est *judicialis*, utpote necessaria ad rectam administrationem justitiae, tum civilis, cum criminalis. Illa vero potestas per tribunalia publica exercetur, quorum constitutio, jurisdictio et modus procedendi, ut jus violatum personarum reparari possit, legibus positivis determinatur. Harum legum studium spectat ad *jus* dictum *processale*: quod, ut scientia subalterna scientiae juridicae, separatim hodie in scholis pertractari solet, eo vel magis quod ab aliis partibus Juris, quoniam est theorico-practicum, valde distinguitur. Nos vero sub appellatione *De judiciis* illud aggredimur explicare, quatenus ad Jus Canonicum refertur, et *Institutiones* nostrae patiuntur, annotatis quae ex jure patrio,

tamquam Juris Canonici suppletorio, in praxi tribunalium Hispaniae ecclesiasticorum assumuntur (1).

Tria sunt elementa *Juris Processalis*, nempe: *actio, tribunalium constitutio* et *modus procedendi* (procedimientos).

De singulis breviter agemus in hoc titulo praeliminari, donec ad nostrum scopum in tertio et praecipuo elemento propius accedamus.

§ I.—DE ACTIONIBUS

I. Actionis natura. II. Actionum divisio. III. Actionum exercitium.

I. **Actionis natura.**—Actio tripliciter sumi potest: 1.° *ut factum*, et tunc significat invocationem auctoritatis competentis in alicujus juris praesidium; 2.° *prout est jus*, sicque a Celso definitur: «jus persequendi in judicio quod sibi debetur» (L. 51, FF. de Oblig.); et 3.° *prout est forma quaedam judicialis*, atque tunc confunditur cum tertio elemento, de quo postea dicemus. Nos secundo sensu eam accipimus, seu pro facultate jus aliquo modo laesum efficiendi efficax in judicio. Dicitur: a) *jus persequendi*, quia est jus secundarium ortum ex primario,

(1) Disputatur inter auctores, an antiqua obligatio acceptandi velut suppletorias leges processales civiles restringatur ad Jus Romanum, vel ad jus novum patrium etiam extendenda sit. Pro hac secunda sententia plures exstant auctores, inter quos clariss. D'Annibale, qui nituntur variis decretalibus a Gonzalez et Barbosa citatis, illa praesertim Lucii III, quae incipit *Intelleximus*, necnon in doctrina Benedicti XIV (De *Syn. Dioec.* lib. 9, cap. XIV); at in Hispania solidius afferri solet argumentum ex duobus decretis (4 Jun. et 30 Oct. 1881) a Nuntio Matritensi latis, in quibus expresse jubetur Tribunalibus ecclesiasticis, ut *Legem Processalem Civilem*(Ley de Enjuiciamiento civil) servent in iis, quae processum a SS. Canonibus determinatum non habeant. In re tanti momenti ipsam Nuntiaturam consuluimus de authenticitate et extensione praedictorum decretorum, et Auditor-Assessor, Illmus. Callixtus de Andrés, mihi charissimus, hanc dedit responsionem: «praedicta decreta esse vere *authentica*, at lata *tantum* fuisse pro Rotae Hispanae Supremo Tribunali et solum dum S. Sedes aliter non disposuerit». Pro aliis ergo tribunalibus remanet quaestio generalis auctorum; unde quae ex *Lege Processali Civili* retulerimus, ut mere *directiva* ab iis, qui primae adhaereant sententiae, accipiantur oportet.

v. g.: jus rei vindicandae consequitur ex jure proprietatis; nam, cum omne jus sit natura sua efficax, medium aliquod esse debet ad illud persequendum, si vel usurpetur, vel laedatur, vel voluntario non obsecundetur. Sed dicitur **b)** *in judicio*, nam, ita exigente bono communi societatis, non potest quilibet proprio marte jus suum persequi, sed tantum *in judicio*, seu apud tribunalia publica, ea forma, quae a lege judiciali praescribitur. Dicitur **c)** *quod sibi debetur*, quibus verbis non tantum intelligi debent actiones *personales*, uti in systemate formulario Romanorum contingebat, eo quod omnes actiones quodammodo personales essent, sed etiam *reales*, seu generatim *quidquid in judicio nobis debetur*.

II. **Actionum divisio.**—En tibi praecipuas: 1.° Ratione *personarum* quibus competunt, in *publicas*, quae ab omnibus civibus exerceri possunt, et *privatas*, quae ab iis tantum, quorum interest, seu qui laesi sunt: ut sunt fere omnes actiones civiles. Privatae subdividuntur in *personales* et *personalissimas*: illae a laesis eorumque haeredibus possunt exerceri; hae autem a laeso tantum. Ex hac subdivisione oriuntur actiones *transmissibiles* vel *intransmissibiles*. Intransmissibiles, v. g., sunt *actiones generales* criminaliter actae, eo quod sint personalissimae.

2.° Ratione *formae* seu processus, in *praejudiciales*, *judiciales* et *post judiciales*. *Praejudiciales* sunt, quas ante alias exerceri opus est, eo quod per eas aliis actionibus, quae ab ipsis dependent, praejudicetur; *judiciales* quae simul exerceri possunt, et *post judiciales*, quae exerceri debent post aliam, a qua pendent.

3.° Ratione *potestatis* judicis, in actiones *bonae fidei* et *stricti juris*. Illae sunt in quibus judex (olim arbiter) non obstrictus, certa actionis formulâ, sed liberius aestimat quid, quantumve pro bono et aequo unus ex litigantibus alteri praestare debeat; *stricti* vero *juris* sunt, in quibus judex sententiae suae aequitate nequit praetergredi id, quod inter partes a legibus actum aut constitutum est. *Bonae fidei* sunt actiones, quae ex contractibus vel quasi-contractibus oriuntur, necnon actiones divisoriae; ceterae sunt *stricti juris*.

4.° Ratione *temporis*, in *praescriptibiles* et *impraescriptibiles*. Quaenam praescribi, quaenam non prae-

scribi possint, videsis in *Compendio* Juris Civilis, ubi de *Praescriptione* dicitur.

5.° Ratione *finis* ob quem proponuntur, in actiones *rei* seu *juris persecutorias*, quae *civiles* etiam nuncupantur; *poenae persecutorias*, seu *criminales* vel *poenales*, et *rei* simul et *poenae persecutorias*, seu *mixtas*. *Civiles* subdividuntur in *reales* et *personales*, prout ex jure reali vel personali oriuntur, et *mixtas*, quae partim in rem, partim in personam esse videntur. Reales in genere *vindicationes* dicuntur, personales vero *condictiones*. Inter reales eminent actio *rei vindicativa* quae dominio rei corporalis respondet, et *reivindicatio* vocatur; actio nempe, per quam actor petit in judicio ut rei dominus declaretur, eaque sibi a possessore restituatur; *condictiones* nomen sumunt a contractibus vel quasi-contractibus, unde oriuntur; tandem mixtae sunt: actio divisoria haereditatis, seu *familiae herciscundae*, ut in Jure Romano vocabatur; actio divisoria rei communis, seu *de communi dividundo*, et actis pro fundorum finibus stabiliendis, seu *finium regundorum*.

III. **Actionum exercitio.**—Actiones in judicio exerceri efficaciter possunt, dummodo praescriptae non sint; et quidem ante litis contestationem, sed non postea, deduci simul possunt contra reum omnes actiones, quae actori competant, dummodo compatibiles sint. Hoc simultaneum actionum exercitium *cumulatio* nuncupatur (*Ley de E. C.* art. 253). Incompatibile vero est simultaneum exercitium duarum vel plurium actionum: 1.° Quando pugnant inter se, ita ut alterius exercitium inefficax aliarum exercitium reddat. 2.° Cum judex, qui de actione principali cognoscere debet, incompetens est ratione materiae aut quantitatis ad cognoscendum de actione cumulata. 3.° Cum ad normam legis, actiones cognosci debeant in judiciis diversae naturae. 4.° Cum res et causae, unde oriuntur actiones, necnon personae, in quas diriguntur, diversae sint. 5.° Cum actor se subjecit distinctis judicibus in contractibus, unde actiones oriuntur (1).

Effectus cumulationis actionum est, ut discutiantur

(1) Idem jure Civili hispano (*Lex. proc. Civ.* art. 154; Sent. Trib. Supr. 14 Apr. 1886 et 20 Apr. 1887).

omnes in eodem judicio atque per eamdem sententiam solvantur (1).

§ II.—DE TRIBUNALIUM CONSTITUTIONE

I. Tribunalium natura. II. Compositio (*organización*). III. Jura et officia. IV. Vacatio.

I. **Tribunalium natura.**—*Tribunal materialiter acceptum* est locus litium exercendarum; *formaliter* vero est persona physica vel moralis jurisdictione pollens ad justitiam inter homines administrandam. Huic personae et aliae ceu auxiliariae accedunt, quales sunt, v. g.: Ministerium fiscale, actuarius, apparitores, etc.

Dicitur *persona physica* vel *moralis*, quia tribunal uno judice vel pluribus collegialiter constitui potest. Dicitur *jurisdictione pollens, ad justitiam inter homines administrandam*; in hoc enim differunt tribunalia ab iis, qui potestatem gubernativam vel legiferam in personas exercent.

Porro hujusmodi *jurisdictio*, quae competit tribunalibus, potest esse *plena* vel *minus plena*. Plena vero tribus essentialibus elementis integratur, quae sunt *notio, decisio* et *imperium*, et duobus accessoriis, nempe *coërtio* et *vocatio in jus*. Dicitur *notio* facultas cognoscendi aliquam causam, *decisio* facultas circa eam ferendi sententiam (2), *imperium* facultas hanc exequendi, *coërtio* facultas erga sui observantiam (*de hacerse respetar*), et *vocatio in jus* facultas vocandi coram se litigantes et personas, quarum praesentia judicio efformando (*para substanciar*) necessaria sit. Jurisdictio *minus plena* est, quae caret *imperio*.

Tribunalium jurisdictio ratione ipsius naturae potest esse *contentiosa* ea, scilicet, quae in judicio, ac *voluntaria*, seu quae extra judicium exercetur, et *disciplinaris* seu facultas corrigendi et nonnullas poenas leviores infli-

(1) Idem *Leg. Proc. Civ.*, art. 159.

(2) *Notionis* nomine, Romani potestatem cognoscendi comprehendebant; *imperium* vero subdividebant in *merum*, quod executionem omnium causarum amplectebatur, et *mixtum*, a quo excludebant sententias poenae capitalis, mutilationis, exilii perpetui et amissionis libertatis.

gendi, nullo juris ordine servato, in delinquentes contra observantiam debitam actibus judicialibus et in eos, qui aliquod munus in judicio exercent, si defectum aliquem committant» (*Ley de E. C.* art. 437). Jurisdictio contentiosa admittit omnes divisiones et subdivisiones *judicii*, quapropter gradum facimus ad investigandum: 1.° hujus naturam; 2.° divisionem, et 3.° personas, denique, quibus constat.

«1.° *Natura judicii.*—Judicium definiri potest: legitimae controversiae, quae inter partes (actorem et reum) intercedit, per judicem competentem juridica cognitio, discussio ac definitio. Dicitur *legitimae controversiae*, etc., quia materia judicii est *lis juridica*, non physica, inter partes, seu lis, quae circa jus versatur. *Per judicem competentem*, hic siquidem solus habet legitimam missionem a potestate publica ad jus controversum dirimendum. *Juridica cognitio, discussio ac definitio*: primo verbo, quod debeat servari in processu forma legalis designatur, et aliis indicantur tria praecipua stadia judicii, nempe: 1.m *litis constitutio*, seu stadium juridicum (*periodo juridico*), ut ab aliis vocatur, amplectens tempus, quod currit a libelli praesentatione usque dum terminus probatorius assignatur; 2.m *probationes* seu demonstrationes, vel, ut hodierni loquuntur, stadium historicum vel probatorium; et 3.m *decisio*, seu stadium criticum, in quo, absolutis probationibus, jus controversum definitur.

Ex his notionibus patet judicium differre a *causa*, quae est ipsa res vel jus controversum, quod in judicium indici potest, quando actu in judicium inductum non est; a *lite*, quae est ipsamet actio qua causa controversa in judicium deducitur, et ab *instantia*, quae est actionis exercitium incipiens a litis contestatione, usque ad actionis extinctionem» actio enim iterum in secunda vel tertia instantia saepe exerceri potest apud tribunalia superiora, novum instaurando super eadem re judicium.

«2.° *Judiciorum divisio.*—Dividi possunt ratione causae efficientis, ratione materiae, ratione formae, et ratione finis.

Ratione *causae* efficientis dividuntur: 1.° in *ordinaria* et *delegata*, prout instituuntur coram judice ordinario vel delegato; et 2.° in *ecclesiastica*, *saecularia* et *mixta*, prout

a judice ecclesiastico qua tali, vel saeculari qua tali, vel ab alterutro instituuntur.

Ratione *materiae:* 1.° in *spirituale* et *temporale*; 2.° in *universale*, in quo controversia exercetur de aliqua universitate jurium, ut est territorium, ecclesia; *generale*, in quo petitur aliquid determinatum, sed plura capita diversa continens, ut tutela; et *speciale*, quo lis movetur de re speciali; 3.° in *personale*, quando in personam instituitur actio, et *reale*, quando agitur de jure in re; reale, vero, subdividitur in *petitorium* et *possessorium*, prout disputatur de rei proprietate vel possessione (1).

Ratione *formae*: 1.° in *plenarium*, quod etiam vocatur *solemne* et *ordinarium*, in quo, juris ordine et solemnitatibus accurate servatis, causa cognoscitur et pronuntiatur; *summarium* seu *extraordinarium*, in quo, sine strepitu judiciali, de plano et servatis solum judicii substantialibus, causae tractantur, et *summarissimum*, in quo etiam substantialia judicii omittuntur et sola rei veritate inspecta proceditur. 2.° In *orale*, *scriptum* et *mixtum*, prout pars oralis, scripta aut utraque eminet. 3.° In *publicum* et *secretum*, prout publice vel secreto proceditur. Hodie apud tribunalia saecularia secretum non servatur, nisi quadam in parte judiciorum criminalium, id est, in summario.

Ratione *finis*: in *civile*, in quo principaliter intenditur privatum actoris commodum, et *criminale* vel *poenale*, in quo poena rei principaliter intenditur. *Criminale* subdividitur: 1.° in *capitale* et *non capitale*, prout agitur vel non de crimine, pro quo imponenda est capitalis poena, et 2.° in *publicum* et *privatum*, quatenus a quolibet de populo institui potest, vel ab iis tantum, quorum interest.

3.° *Personae quibus constat judicium.*—Duplicis sunt generis: *principales* et *minus principales.*

Principales, quae essentialiter ad judicium concurrunt, sunt: 1.° *Judex*, id est, persona, quae publica auctoritate judicio praeest, et quasi mediatoris partes agens inter litigantes, rem controversam, secundum juris praescri-

(1) Jure civili hispano etiam dividuntur in *oralia*, quando quantitas materiae valorem 250 libell. non excedit: *minoris quantitatis* (*de menor cuantia*), si haec 3.000 libellas non excedit, et *majoris quantitatis* (*de mayor cuantia*), si haec valorem 3.000 lib. excedat. (E. C. Art. 483, 484 et 486).

ptum decidere debet; 2.° *Actor*, seu is, qui actionem proponit et prior ad judicium provocat, quique *accusator* in causis criminalibus dicitur, et 3.° *Reus*, seu is, qui ab actore in judicium vocatus, ejus actionem propulsando se defendit.

Minus principales sunt duplicis classis: 1.° aliae, quae intersunt ad litigantes juvandos, puta: advocati, procuratores, testes, etc., et 2.° aliae, quae ad juvandum judicem, vel consiliando, uti consiliarii seu assessores; vel acta judicii conscribendo, uti tabelliones seu notarii et actuarii (1); vel judicis exequendo sententiam, uti apparitores, cursores, etc.

II. **Tribunalium compositio**.—Pro administratione justitiae adsunt jure communi in Ecclesia, praesertim Occidentali, tria genera tribunalium: 1.° *Ordinarium* seu dioecesanum, quod cognoscere debet in prima instantia de omnibus causis ecclesiasticis sui territorii, a S. Sede non apud se avocatis vel reservatis. 2.° *Metropolitanum*, quod cognoscit in secunda instantia omnes causas ecclesiasticas, S. Sedi non reservatas, quae apud illud deferuntur. 3.° *Pontificium*, quod per Sacras Congregationes et per tribunalia Romana exercetur, necnon in Hispania per tribunal S. Rotae in Nuntiatura Matritensi constitutum. Sed Rota hispana tantum, uti diximus in primo Libro, cognoscere potest causas in ultima instantia; tertia, scilicet, pro causis dioecesanis; secunda pro causis metropolitanis, et jurisdictionis castrensis ac palatinae, et tertia pro causis Prioratus Ordinum militarium, in secunda enim cognoscuntur a Tribunali Metropolitano Ordinum militarium (*Ley* IV, tit. V, lib. II *Novis. Rec.;* Bulla *Ad Apostolicam*, 18 Nov. 1875) (2).

(1) Proprietatis gratia lubet hujusmodi verborum differentiam afferre: *Actuarius* vel *scriba* is dicitur, qui *inter judicandum* notat quaecumque fiunt vel dicuntur, *notarius* sive *tabellio* est, qui conficit instrumenta publica *extra judicium*, v. gr.: in contractibus, testamentis, etc.; et *secretarius*, qui notat quae fiunt vel dicuntur in tribunalibus collegiatis et in quibusdam societatibus seu communitatibus, v. gr.: in comitiis, congressibus, etc.

(2) Etiam cognoscit in prima instantia de causis competentiae, quae suscitentur inter duos Vicarios Generales diversae provinciae ecclesiasticae; aut inter judicem metropolitanum et dioecesanum, quamvis ejusdem provinciae; aut inter duos judices diversae jurisdictionis ecclesiasticae, in causis inchoatis ad exigendam

Cum de tribunalibus ecclesiasticis satis dictum sit in Libro primo, ubi de personis jurisdictionem exercentibus egimus, hic tantum memoramus quae per abusum potestatis saecularis in nostra patria statuta sunt. In primis competentia tribunalium ecclesiasticorum limitatur ad causas sacramentales, beneficiales, divortii et nullitatis matrimonii et ad delicta ecclesiastica (Lex diei 6 Dec. 1868). Ad hanc limitationem tuendam *Lex Processalis Civilis* (art. 125 et 129) recursum vocatum *de fuerza en conocer* concedit apud tribunalia saecularia, nempe, apud respectivam Audientiam territorialem, si agatur de tribunali dioecesano vel metropolitano, et apud Tribunal supremum, si de Nuntiatura vel Superioribus tribunalibus ecclesiasticis Matriti, ut est S. Rota (1).

III. **Jura et officia tribunalium.**—1.° *Quoad jura*, praeter ea quae ad potestatem cognoscendi et per sententiam finiendi causas propriae competentiae, habent: 1.° Potestatem disciplinae correctiones imponendi in delinquentes contra observantiam debitam actibus judi-

responsabilitatem criminalem vel civilem Judiciariae ipsius Tribunalis, si aliquando ipsi locus sit, et demum in causis recusationum Judicum Metropolitanorum vel personarum, quae partem ipsius Rotae Tribunalis efformant.

(1) Constitutio tribunalium saecularium in Hispania hodie ad normam *Legis Organicae* et Reg. Decreti 16 Jul. 1892, constat: 1.° Judicibus municipalibus in quolibet termino municipali; horum potestas tum in materia civili, tum criminali determinatur in art. 207 ejusdem *Legis Organicae*, et limitatur ad judicia verbalia, conciliationis et culparum, quae delictum non constituunt. 2.° Judicibus primae instantiae et instructionis in quolibet districtu judiciali (*partido judicial*), quorum alii ingressus, alii ascensus, alii termini sunt. Horum potestas in materia civili est, quae decernitur in art. 273 *Legis Organicae*, et in materia criminali, quae determinatur in articulis 14 (n. 2), 303, 310, 646, 975 et 976 *Legis Processus Criminalis*. 3.° Tribunalibus collegiatis, quae Audientiae vocantur. Harum duplex est classis, *territorialis* et *provincialis*. Illae sunt quindecim, et cognoscunt de omnibus causis civilibus proprii territorii in secunda instantia et de nonnullis in prima: quae omnia in Lege Org. art. 275 praecipue praefiguntur. *Provinciales* sunt apud capita (*en las capitales*), et cognoscunt in unica instantia de causis criminalibus, quae tribunalibus privilegiatis vel Supremo expresse reservatae non sunt. Apud civitates quibus insit praeterea Audientia territorialis, hujus pars integralis est Audientia provincialis, substituta sectioni pro materia criminali (*Sala de lo criminal*), quae ante Decretum 5 Aug. 1893 in Audientiis territorialibus existebat. Hae hodie habent duas sectiones: *Sectionem gubernationis* (*Sala de gobierno*), constitutam per praesidem audientiae, praesides sectionis (extra Matritum et Barcinonem tantum adest unus pro qualibet audientia), et praesidem et

cialibus et in eos, qui aliquod munus in judicio exercent, si quem defectum committant; quae potestas a Tribunalibus superioribus exerceri etiam potest in judices inferiores. 2.° Auditores Rotae et Sub-Vicarii castrenses (*Tenientes Vicarios*) amoveri nequeunt ab officio nec licite, nec valide, sine causa canonica juridice probata (Brev. Pont. 26 Mart. 1771, et *Reglamento Orgánico del Cuerpo Eclesiástico Castrense*); alii vero Judices amoveri possunt per respectivos dioecesanos *valide* etiam sine causa, quamvis non *licite* (S. C. EE. et RR.) 3.° Jus praecedentiae in processionibus, synodis et actibus publicis et in choro principali Ecclesiae cathedralis, juxta legitimam consuetudinem dioecesis, dummodo ut judex intersit (S. Congr. R. saepe, et S.C. Conc. 16 Sept. 1849). 4.° In Hispania insuper tempus, quo munus exercuerunt Provisores et Judices metropolitani, computatur ad hoc, ut nominari possint ad praebendas Cathedralium aut Metropolitanarum vel Auditores aut Fiscales S.

---

fiscalem audientiae provincialis; et *sectionem* pro causis civilibus (R. Decr. 29 Aug. 1893). 4.° Tribunali Supremo, quod hodie, a die 1 Maji 1904, praeter sectionem gubernationis, tres alias sectiones habet, aliam scilicet, pro administratione justitiae civilis, aliam pro administratione justitiae criminalis, et tertiam pro negotiis, quae hucusque Tribunali Contentioso-Administrativo competebant, illis scilicet, quae se referunt ad publicam administrationem, quando ex providentiis vel decisionibus administrationis publicae jura privata praeexistentia laeduntur. Prima sectio constat ex praeside et novem magistratibus; secunda, ex praeside et octo magistratibus. Hi praesides una cum praeside et fiscali Tribunalis sectionem gubernationis constituunt. Ut auxiliarios hoc tribunal, praeter Fiscalem, habet sub-fiscalem (*Teniente Fiscal*) et sex advocatos fiscales. Potestas hujus Supremi Tribunalis determinatur in articulis 6 et 7 citati Decreti 29 Aug. 1893 et in lege Organica cum additione ipsi facta, die 16 Jul. 1892 in iis, quae praedictis articulis non opponantur. In causis criminalibus adest etiam Tribunal populare pro facto judicando (*El Jurado*); cujus officium determinatur in Lege 20 Apr. 1888 et Reg. decretis ejusdem datae et 8 Mart. 1897.

Sed, praeter tribunalia ordinaria, adsunt etiam pro casibus in lege expressis tribunalia extraordinaria seu specialia, qualia sunt: 1.° *Senatus* pro Ministris Coronae judicandis. 2.° *Tribunalia militaria* et *maritima*, quorum jurisdictio in personas fori respectivi in materia criminali praesertim exercetur, et determinatur in *Codice Justitiae militaris*, 27 Sept. 1890, et in *Lege Organica Tribunalium Nauticorum* (*de marina*) diei 10 Nov. 1794. 3.° *Tribunal ad rationes* exigendas ab administratione publica (*Tribunal de Cuentas*). Hujus constitutio (*organización*) et competentia determinatur in Reg. Decretis 16 Jul. 1895, 16 Febr. 1899 et 21 Jul. 1900.

Rotae (Decr. concord. 23 Nov. 1891 et 20 Apr. 1903); et Decanus S. Rotae honores habet Consiliarii nati supremi Principis (*Ley* III tit. V, lib. II, *Nov. Rec.*). 5.° Quoad jura lucrativa, Provisores et Judices metropolitani in Hispania tantum percipiunt, quae ex taxis judicialibus pro Tribunalibus ecclesiasticis determinatis eis competunt; Auditores vero Rotae et Sub-Vicarii Castrenses habent propriam assignationem a Gubernio (*Ley* I, tit. XV, lib. II *Nov. Rec.*, *Regl. Org.*).

Praxis forensis est etiam quoad tractationem (*tratamiento*) quae continetur in articulis 198 ad 203 *Legis Organicae* pro tribunalibus civilibus, nempe, ut modo impersonali nominentur et quod Auditores Rotae titulo *Señoría Ilustrísima*, ceteri vero judices *Usia* vel *Su Señoría* insigniantur; quae appellatio in actibus officialibus est omnino servanda, quamvis alio ex capite nobiliorem titulum haberent. Auditoribus Rotae etiam applicari possunt quae super jubilatione judicum vel magistratuum continentur in articulis 238 ad 243 *Legis Organicae*.

2.° *Quoad officia*, judices ecclesiastici tenentur rite justitiam administrare ad normas juris canonici et invigilare, ut ipsorum auxiliares rite suo munere fungantur; si vero hoc neglexerint, criminaliter vel civiliter vel per modum disciplinae contra ipsos procedi poterit; *criminaliter*, si defectus graves sint, ita ut delictum ecclesiasticum constituant; *civiliter*, cum damnorum illatorum reparatio ab ipsis exigatur, et *per modum disciplinae*, si facta culpam quidem saltem juridicam supponant, sed non delictum. Ad disciplinae correptionem imponendam, efformari debet brevis processus, et correptus poterit ad superiorem immediatum contra correptionem appellare (Tit. *De appell.* in 6.° Reg. juris 20 in 6.°).

Praxis forensis est observare hac in re articulos 750, 753 et 762 *Legis Organicae*.

IV. **Tribunalium vacatio.**—Tribunalia ecclesiastica vacare debent: 1.° Diebus festis de praecepto. 2.° Feria V et feria VI in Parasceve. 3.° In festis nationalibus extraordinariis. Attamen, acta judicialia urgentia, quae sine gravi praejudicio rei vel litigantium aut administrationis justitiae differri nequeant, perficere poterunt, tum in causis criminalibus, tum in civilibus (C. 5 tit. IX lib. II Decr.; can. 1. et 2, c. XV, q. 4 Decr.). Auditores

et Fiscales Rotae vacare etiam possunt a die 15 Julii ad 15 Septembris (1).

§ III.—DE MODO PROCEDENDI

Circa modum procedendi in exercitio jurisdictionis praesertim contentiosae, assignari possunt: I. principia fundamentalia, quae hanc materiam informant, et II. quae positive a legibus praescripta sunt.

I. **Principia fundamentalia juris processalis.**—1.m principium hoc est: *nemo inauditus damnari debet*, id est, jus propriae defensionis nemini denegandum est.

Vi hujus principii partes ad judicium citantur priusquam sententia contra ipsas proferatur, et, si ignoretur ubi sint, citantur ipsorum cognati, vel in stratu et ephemeridibus officialibus citationes fiunt, ut valeant audiri et sese tueri; et, si non compareant, adhuc per aliquod tempus spectatur, et si compareant et probent citationem ignorasse, iterum judicium inchoatur, certis tamen cum limitationibus.

2.m principium: *Justitia postulat, ut in judicio litigantes aequaliter allegare possint et probationes producere.*

3.m principium: *Libertas litigantibus concedenda est, et omnis coactio, vel personarum acceptio vitanda.*

In hoc principio fundantur plures dispositiones juris circa recusationes judicum, testium, etc., et circa modum reum interrogandi.

4.m principium: *Judicium eo perfectius erit, quo brevius, simplicius et magis oeconomicum, dummodo sufficiens sit ad veritatem judicialem detegendam.*

II. **Jus processale positivum ejusque partitio.**—Jus processale positivum est, quod determinat modum procedendi ab ipso jure positivo praescriptum. Duplex est ratione objecti: *contentiosum* seu *judiciale*, et *voluntarium*, prout regit processum in exercitio jurisdictionis contentiosae vel voluntariae; sed, cum plures sint dispositiones utriusque exercitio communes, primo videnda sunt, quae *utrique jurisdictioni* conveniunt, deinde quae *contentiosae*, et demum, quae *voluntariae*. Iterum, cum modus procedendi in exercitio jurisdictionis *contentiosae civilis*

(1) Eaedem dispositiones vigent pro tribunalibus saecularibus. (Art 889, 890, 891 et 892 *Legis Organicae*).

valde diversus sit a modo procedendi in exercitio jurisdictionis *contentiosae criminalis* seu *poenalis*, separatim jus processale, quoad judicia *civilia* et *poenalia* pertractandum est.) Igitur, quatuor titulis tota haec materia dilucidanda erit: in I. agendo de processu communi exercitio jurisdictionis contentiosae et jurisdictionis voluntariae; in II. de processu servando in exercitio jurisdictionis contentiosae civilis, seu in judiciis civilibus ecclesiasticis; in III. de processu servando in judiciis poenalibus ecclesiasticis, et in IV. de processu servando in exercitio jurisdictionis voluntariae.

TITULUS I.

DE PROCESSU COMMUNI EXERCITIO JURISDICTIONIS CONTENTIOSAE ET VOLUNTARIAE

Agendum erit in hoc titulo: I. De in jure stando (*Comparecencia en juicio*). II. De foro competenti. III. De cumulatione causarum et de ordine cognitionis. IV. De recusationibus. V. De actis et terminis judicialibus. VI. De remediis juridicis contra decisiones judiciales. VIII. De nonnullis aliis dispositionibus.

ARTICULUS I.

DE IN JURE STANDO

I. Quid sit in jure stare, et quibus competat. II. Personae, per quas quis stare potest in judicio, seu procuratores. III. Personae, quae adjuvant stantem in judicio, seu advocati. IV. Quinam stare possunt in judicio cum beneficio paupertatis.

I. **Quid sit in jure stare, et quibus competat.**—Stare in jure idem est ac coram judice se sistere, sive voluntario ad aliquam actionem exercendam, sive necessario ad respondendum citationi judiciali legitime factae. Sed comparitio fieri debet tam in jurisdictionis necessariae seu contentiosae, quam voluntariae exercitio apud judicem competentem, et servato juris ordine; qui exigit ut aliquando personaliter, aliquando per procuratorem, aliquando indistincte quis stet in judicio.

In genere stare possunt in judicio omnes, sive personaliter, sive per procuratorem, qui a jure non prohibentur. Prohibentur autem: 1.° Qui usu rationis carent. 2.° In judiciis civilibus, qui prodigi declarati sunt.

3.° Impuberes (1). 4.° Mulieres. 5.° Excommunicati, qui, si vitandi sint, repelli debent, et, si sint non vitandi, repelli possunt a judice vel a collitigante per exceptionem, sed non adest obligatio eos repellendi. 6.° Religiosi sine consensu proprii praelati, nonnullis casibus exceptis. 7.° Personae morales (C. 2 et 3, tit. I, lib. II in 6.°; c. 8, t. XI lib. V, in 6.°; c. 12, tit. XXV, lib. II, Decret.; c. 14, q. I et c. 9, q. II, caus. XVIII).

Casus excepti quoad religiosos, sunt: 1.° Si religiosus beneficium possideat ecclesiasticum adnexam habens administrationem, respectu cujus sui juris esse censetur, ideoque pro ejusdem juribus agere et respondere poterit. 2.° Si studiorum vel aliorum negotiorum causa a monasterio procul absit, et necessitas agendi vel sese defendendi urgeat; tunc enim praesumitur Superioris licentia. 3.° In causa proprii delicti, non enim monasterium, sed religiosus ex hoc capite conveniendus est. 4.° Pro defensione jurium, quorum capax est. 5.° Si agere debeat contra proprium praelatum tamquam dilapidatorem vel res monasterii male alienantem. 6.° Si e contra defendere debeat proprium praelatum incarceratum. 7.° Si tuenda sit causa monasterii in absentia proprii praelati, quando periculum est in mora. 8.° Si agatur de crimine, quod formaliter vel reductive ad infidelitatem pertineat.

Omnes supradicti stare nequeunt personaliter in judicio: sed pro illis stare debent, qui eos legitime repraesentant vel ipsorum procuratores. Fiscalis etiam pro illis, sicuti et pro absentium causis, suum officium interponere debet, ut tenet praxis forensis. Et hac in re concordant jus canonicum et jus civile hispanum (C. 21, t. III, lib. I *Decr.*; c. 1, t. 1 lib. I *Clement.* et «*Ley de Enjuiciamiento civil*» art. 2.°).

Personaliter demum interesse debent judicio, qui a judice competenti ad personaliter interessendum citantur, necnon rei in causis criminalibus, quamvis hi sint religiosi, mulieres, minorennes vel excommunicati, exceptis monialibus, quae intra clausuram degunt (C. 7, t. I, lib. II *Decret.*; c. 1 et 2 t. I lib. II in 6.°, et Const. Martini V *Ad evitanda*).

(1) Jure hispano civili incapaces sunt standi personaliter in judicio minorennes; sed jure canonico, si aetatem pubertatis, 14 nempe annos excesserint, habiles sunt in causis spiritualibus vel spiritualibus adnexis (C. 3, t. I, lib. II, in 6.°).

II. **De Procuratoribus** (1).—Videamus: 1.° naturam et species procuratorum; 2.° quinam constitui possint procuratores; 3.° quomodo constituantur; 4.° ipsorum potestatem; 5.° officia; 6.° jura, et 7.° quomodo cessent in suo munere.

1.° *Natura et species procuratorum.*—Procurator, quasi *pro alio curator*, est ille, qui aliena negotia mandato domini administrat. Differt a negotiorum gestore, quia hic sine mandato aliena negotia gerit. Potest esse: **a)** *verus*, si legitimum domini mandatum habet, vel *falsus*, si vel nullum mandatum habet, vel insufficiens aut jam revocatum; **b)** *judicialis*, seu ad lites, et *extrajudicialis*, seu ad negotia extra judicium gerenda; **c)** *principalis*, qui immediate a domino, et *substitutus*, qui a procuratore principali constituitur, et **d)** *specialis*, qui ad certum negotium, et *generalis*, qui ad omnia negotia deputatur; et hic est, vel *generalis cum libera*, hoc est, cum plena potestate administrandi omnia, quae domini sunt, unde dici solet *plenipotentiarius*, vel *generalis simpliciter* sine tali clausula, qui tantum potest exequi ea, quae sibi commissa sunt in mandato.

2.° *Quinam constitui possint procuratores.*—Generatim omnes, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur autem pro negotiis extrajudicialibus, qui liberam propriorum bonorum administrationem non habent, et pro judicialibus, seu ad lites: **a)** excommunicati, minorennes (2), infames, mulieres, dementes, surdomuti; **b)** qui aliud munus officiale exercent in tribunalibus ecclesiasticis; **c)** clerici, nisi agatur de propria causa, aut suarum ecclesiarum vel miserabilium personarum et necessitas urgeat, et tunc tantum apud tribunalia ecclesiastica; **d)** religiosi nisi de consensu praelati in causa monasterii, et **e)** sacerdotes sine licentia Romani Pontificis, et

(1) Jure civili hispano in multis negotiis judicialibus, necessarius est procurator idoneus, exceptis casibus art. 4 Legis proc. civ. (*Ley de E. C.*) determinatis, in quibus actores personaliter stare possint in judicio. Inter innovationes judiciales, quae, dum haec eduntur, a Ministro Gratiae et Justitiae ut consilium legis proponuntur, adsunt nonnullae, quae necessitatem procuratoris et advocati in judiciis valde restringunt, et quandoque eos omnino praeterire permittunt.

(2) Jure civili hispano admissuo in nostris tribunalibus ecclesiasticis sufficit ad munus procuratoris aetas 21 annorum.

etiam Regis, si agatur de tribunalibus civilibus (C. 1 et 3, caus. III, q. VII; c. 8, t. I, lib. II Decret.: c. 3, t. XXXVII, lib. I *Decret.*; c 5 de *Procurat.* in 6.°; *Leyes* VI y VII, tít. V, P. 3.ª; art. 881 et 874 Legis organicae) (1).

3.° *Quomodo constituantur procuratores.*—Constituuntur mediante mandato legitimo, ad quod haec requiruntur; **a)** Ut detur a persona idonea. **b)** Ut detur libere. **c)** Coram *Notario publico*. **d)** Ut scribatur in mandato nomen mandantis, procuratoris, actoris contra quem datur (si sit mandatum speciale ad lites), et judicis vel tribunalis apud quae agere debet, negotium vel negotia pro quibus datur, et dies, mensis et annus quo datur. **e)** Ut sufficiens declaretur ab aliquo juris perito (*Letrado*). **f)** Ut acceptetur a procuratore (C. 5 et 10 *de procurat.*). Acceptatio mandati praesumitur eo ipso quod procurator eo utatur, illud in judicio praesentando. Si vero procurator nominetur *apud acta* seu ex officio, non indiget mandato notariali (C. 1, t. X, lib. I *Clement.*; *Ley E. C.* art. 5.°).

4.° *Procuratorum potestas.*—Continetur intra limites mandati. Procurator generaliter constitutus ad negotia, censetur etiam constitutus ad lites (C. 6 *De Procurat.* in 6.°), sed sine speciali mandato non poterit juramentum praestare vel deferre, transigere, compromittere in arbitros, debitum remittere et donare (C. 4, t. XIX, lib. I in 6.° et c. 2, t. X, lib. I *Clement.*). Excipe, si constitutus sit *cum libera*, nam haec clausula aequivalet mandato speciali, quamvis etiam tunc excludenda videtur donatio.

5.° *Procuratorum officia.*—Reducuntur ad perfectam mandati exequutionem. Dominus vi mandati agere potest actione directa, ut procurator, finito negotio aut lite, rationem gestorum reddat, actiones acquisitas cedat (C. 46 § 4, ff. *de procurat.*), praestet dolum, et omnem

(1) Jure civili hispano procuratores ad lites debent praeterea: 1.° Peritiam suam in jure processali et in propriorum officiorum cognitione in forma legali ostendere (determinatur in Reg. Ord. 13 Oct. 1899). 2.° Depositum pecuniarium in art. 881 n.° 3.° Legis organicae praescriptum constituere ad respondendum de propria gestione. 3.° Ad collegium procuratorum pertinere et solvere respectivam partem quotae tributi industrialis (*Real Orden* 15 *Marzo* 1393). Haec etiam solet esse praxis forensis apud tribunalia ecclesiastica hispana.

culpam etiam levem (l. 11, 13, C. *Mandati)*; quod singulare est propter industriam tacite promissam (1).

6.° *Procuratorum jura.*—Procurator circa id quod in gratiam domini impendit, gerendum negotium aut litem, convenire (*emplazar*) potest dominum actione contraria mandati, etsi negotium citra culpam procuratoris non habuerit optatum exitum (C. 6 *De Procurat.*), quia officium suum nemini debet esse damnosum. Procurator potest insuper pecuniam necessariam ad negotium prosequendum a domino exigere, necnon, si de procuratore ad lites agatur, suam mercedem (*derechos*) (2).

7.° *Quomodo cessat procurator in suo munere.*— **a)** *Mutuo consensu* constituentis et constituti, etiam re non integra. **b)** *Morte procuratoris*, cum procuratio non transeat ad haeredes. **c)** *Morte constituentis*, a momento quo nota fuit procuratori et apud tribunal, in quo agit, probata; acta enim judicialia praecedentia valida sunt (C. 4 *de Procurat., Clement.*). **d)** Si ipse dominus ante vel post litem contestatam, veniat, et per se, excluso procuratore, causam agat (C. 2 et 8 *de procurat.*). **e)** *Exoneratione, seu renuntiatione officii procuratoris*, sed post litis contestationem, tenetur procurator in utroque casu certiorem prius facere dominum sive judicialiter, sive per documentum notariale. **f)** *Revocatione*, et quidem sine causa, si res est integra; ex causa vero justa, si negotium jam est coeptum aut lis contestata. Porro revocatio ista non sortitur effectum, nisi procuratori debite sit intimata, et simul personae cum qua negotium geritur; in judicio autem alternatim judici vel adversario, et simul procuratori (C. 3 et 4 *de Procurat.*; c. 2. eod. in 6.°); nam harum personarum interest scire revocationem debite factam esse, adeo ut acta procuratoris, ante intimationem revocationis, omnino valeant. *Excipe* matrimonium,

(1) Haec officia determinantur in art. 885 *Legis Organicae* et in art. 5.° et 6.° *Legis processalis civilis*, qui etiam sunt in praxi forensi tribunalium ecclesiasticorum Hispaniae.

(2) Procurator ad lites haec omnia petit apud tribunal, quod causam cognoscit vel cognovit, et, ut indemnis fiat, sufficit ut rationem reddat determinatam et comprobatam, et ut juret sibi deberi et non fuisse solutam quantitatem, quae ex rationibus deducitur. Verum, si mandans probet in rationibus adesse excessum, procurator in punitione condemnari debet duplo quoad excessum (*Ley de E. C.* art. 7.° y 8.°; Sent. Trib. Supr. 4 Oct. 1889).

beneficium ecclesiasticum, officium patrini in baptismo et confirmatione ad contrahendam cognationem spiritualem, et alios similes actus, in quibus requiritur consensus verus et vere perseverans; tunc enim revocatio mandati statim sortitur suum effectum, et actus contra illum gestus nullus est (C. fin. *de Procurat.* in 6.° et *Clement. un. de Renuntiat.*). g) Denique finitur officium procuratoris, finita instantia, lata sententia definitiva, aut peracto negotio, vel si mandans a lite desistat (1).

III. **De Advocatis.**—Advocati sunt, qui adjuvant et dirigunt litigantes. Jure communi, quamvis valde exoptandum sit, necesse non est ut sint Doctores aut Licentiati in jure canonico vel civili (2). Prohibentur hoc munus exercere iidem, qui procuratores esse vetantur.

Absolute, jure communi nulla exstat obligatio advocatum adhibendi in causis civilibus canonicis, sed in Hispania mos invaluit tribunalium saecularium, pro quibus lex civilis praescribit ut nulla scripta litigantium admittant, nisi ab idoneo advocato subscripta sint; sed est potestativus ipsorum usus in exercitio jurisdictionis voluntariae et in aliis casibus praevisis in n.° 4.° art. 10 *Legis processalis civilis*, et excludendus est in actibus conciliationis, nisi ex partium voluntate adsistant ut viri probi (*hombres buenos*), et in judiciis oralibus (Art. 10 et 11 L. E. C.).

Advocatorum officium est dirigere in omnibus secundum prudentiam et scientiam suum clientem. Ipsorum jura honorifica sunt jus induendi togam caputque birreto

(1) Haec omnia vigent etiam jure civili hispano ut videre est in art. 887 *Legis Organicae* et in art. 9.° *Legis processalis civilis*.

(2) Ad exercendum munus advocati apud tribunalia ecclesiastica in Hispania requiritur titulus advocati, ad collegium advocatorum pertinere, vel inscriptum esse in tribunalibus primae instantiae, et quotam respectivam contributionis solvere (R. O. 15 Mart. 1893). Ad exercendum apud tribunalia saecularia requiritur 1.° Aetas 21 annorum. 2.° Esse licentiatum in jure civili. 3.° Non esse obnoxium processui criminali, tunc enim tantum seipsos defendere possunt. 4.° Non subiisse aliquam sententiam condemnatoriam poenae afflictivae, vel saltem post eam habilitationem obtinuisse (*Lex Organica*, art. 873). Qui his conditionibus praediti sunt, possunt defendere semetipsos, tum in causis civilibus tum in criminalibus, et suos consanguineos intra 4.m gradum civilem suosque affines intra 2.m; sed ad alios defendendum debent praeterea inscribi in advocatorum Collegiis vel in albo respectivi tribunalis (Lex Org. Art. 875).

cooperiendi; lucrativa vero, ut exigere possint a procuratore, vel, si hic non intervenerit, a suo cliente mercedem ei debitam eodem modo eademque forma ac procurator (Art. 880 Leg. Org.; art. 12 Leg. Proc. Civ.).

IV. **Quinam stare possunt in judicio cum beneficio paupertatis.**—Jure canonico, justitia gratis omnino administrari debet pauperibus, qui tales declarati sint a tribunali competenti in ordine ad lites (C. 10, t. I, lib. III *Decr.*).

Idem jus viget ex lege civili hispana (*Lex proc. civ.* art. 13). In genere lex considerat uti pauperes quoad lites eos, quorum reditus quotidiani ex quacumque causa provenientes non excedunt duplex salarium agrestis operarii (*bracero*) loci, ubi frequenter degunt; quoad industriae vero deditos et negotiatores, qui solvunt tributum inferius 65, 50, 40, 30 et 20 libellis juxta qualitatem (*importancia*) loci in quo industriam vel mercaturam exercent. (*Lex proc. civ.* art. 15). Pro aliis casibus specialibus adeantur art. 16 usque ad 20, et sententiae Trib. Supremi 21 Sept. 1888, qua beneficium paupertatis denegatur parentibus divitibus, qui litigare intendunt nomine filiorum, qui sub patria potestate sunt constituti, 14 Jun. 1887, qua idem denegatur mulieri nuptae viro diviti, etiamsi contra maritum litiget eo quod jus ad alimenta et litis expensas habeat, et 28 Jun. 1880 et 25 Maj. 1885, in quibus idem conceditur testamenti executoribus, dummodo probent haereditatem jacentem esse pauperem sensu explicato (1).

Beneficium paupertatis secum fert: 1.° jus utendi ad propriam defensionem papyro pro pauperibus sigillata; 2.° jus ut pro ipsis advocatus et procurator nominentur ex officio, quin mercedem vel jura solvere teneantur; 3.° exemptionem a solvendis juribus vel mercedibus, quae auxiliaribus vel subalternis tribunalium deberentur, et 4.° jus ut gratis omnino exequantur ad ipsorum instantiam exhorta aliaque hujusmodi (Art. 14 *Leg. Processalis*).

Onus paupertatem probandi litigantibus incumbit, et, cum sit incidens praejudicialis causae principalis, fieri debet apud tribunal, quod causam principalem cognoscere debet ante litis

(1) Instituta beneficentiae, ut hospitia, hospitalia, Montes pietatis et Arcae parcimoniales, gaudent beneficio paupertatis; item ex privilegio speciali, Scholae Piae et nonnullae Confraternitates, sed non paroeciae, nec monasteria monialium, quamvis instructioni gratuitae vacent; unde, sicut aliae associationes, probare debent omnes socios esse pauperes. Parochi et paroeciae sequuntur regulam generalem; sed quoad parochos non computantur jura eventualia, ut v. g.: jura estolae.

contestationem. Dum haec causa incidens pertractatur (*se substancia*) sine praejudicio ipsius, advocatus et procurator ex officio ei deputatur (Art. 21, 22 et 27 *Legis proces.*). Declaratio demum paupertatis non eximit a solvendis defensionis, si litigans intra triennium a causa terminata in meliorem fortunam devenerit (Ibid. art. 39). Cetera quae ad modum procedendi in diversis casibus, qui occurrere possunt, et quoad jus excusationis competens advocatis, si judicent jus pauperis litigantis sustineri non posse, videantur art. 23 ad 26 inclusive, et 28 ad 50 inclusive.

Haec omnia vigent etiam in praxi tribunalium Ecclesiasticorum Hispaniae, quae de incidentibus *paupertatis* cognocere valent, ut recognovit Reg. Disp. 8 Aug. 1899.

ARTICULUS II.

DE FORO COMPETENTI

I. Natura et divisio fori. II. Principia ad forum competens determinandum. III. Quaestiones competentiae inter diversa tribunalia.

I. **Natura et divisio fori.**—Forum significat tum jurisdictionem exercentis judicium, tum locum exercendarum litium. Duplex est forum: *competens*, in quo reus conveniri potest et debet, et *incompetens*, seu in quo conveniri nec debet nec potest. Est autem judex, alius *incompetens per se*, cujus tamen jurisdictio per accidens prorogari potest a partibus, et alius *omnino incompetens* seu *incapax*, cujus jurisdictio neque a partibus prorogari potest, uti est judex laicus respectu clericorum et causarum spiritualium.

II. **Principia ad forum competens determinandum.**—Ut judex vel tribunal competens sit, haec duo concurrere debent: 1.° Ut cognitio causae vel rei in qua intervenire debeat, ei a canone vel lege tribuatur. 2.° Ut cognitio ipsius ei competat praeferenter ad alios judices vel Tribunalia ejusdem gradus. Hoc principium viget in utroque jure (Art. 53 *Leg. Proces.*). Judex vel Tribunal, in quo haec duo concurrunt respectu alicujus rei, cognoscere etiam poterit exceptiones, quae circa eam proponantur, reconventionem, si procedat ad normam juris, et incidentia circa ipsam, et competens erit

ad exequendum providentias et sententias tum interlocutorias, tum definitivam circa eamdem rem, modo in jure determinato (Reg. jur. 35, 42 et 71 in 6.°; C. 1 et 2, t. IV, lib. II *Decret.*, et *Lex proces. civ.* art. 55).

Prima conditio determinari potest vel ex *qualitate causae*, vel ex *qualitate personarum*, quae in judicio conveniunt, vel ex *utroque*. **a)** Ex *qualitate causae*, judex ecclesiasticus est unicus competens in causis spiritualibus vel spiritualibus adnexis, matrimonialibus, beneficialibus, jurispatronatus, et delictorum canonicorum (C. 2 et 3 *de Judiciis*; c. 3 *de Ord. cognit.*; c. 7 *Qui filii sint legit.*; c. 8 *De Haereticis* in 6.°: Conc. Trid. sess. 24, can. 42). **b)** Ex *qualitate personarum*, judex ecclesiasticus est unicus competens in causis, tum civilibus, tum criminalibus clericorum (C. 1, 9 et 12 *De foro compet.*; c. 2 eod. in 6.°) (1). **c)** Ex *utroque* vero capite, competens est judex ecclesiasticus ad omnes causas canonicas cognoscendas, quae pertinent ad personas foro ecclesiastico gaudentes (C. 8 *De Judiciis*).

Secunda conditio, ut, nempe, cognitio causae competat alicui judici vel tribunali praeferenter ad alios judices vel tribunalia ejusdem gradus, accidere potest *ordinario*: ratione domicilii vel quasi-domicilii, rei sitae, contractus et delicti. *Extraordinario* accidere potest: ratione prorogationis vel spontaneae submissionis, continentiae causarum, reconventionis, delegationis, et privilegii. De singulis aliquid dicendum.

a) *Forum domicilii et quasi-domicilii* (2).—Juxta communem sententiam, reus potest semper jure canonico conveniri in foro proprii domicilii, dummodo domicilium sit habitationis ipsius (C. 3., tit. IX, lib. I in 6.°), unde

(1) Ex abusu potestatis saecularis in Hispania causae omnes civiles clericorum, exceptis beneficialibus, a tribunalibus saecularibus cognoscuntur, sicuti et ipsorum causae criminales ob delicta communia; sed causae criminales Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum et Auditorum Rotae Nuntiaturae, quae jure canonico Papae reservatae sunt, a Sectione criminali (*Sala de lo criminal*) Tribunalis Supremi exclusive pertractantur (R. Decret. 29 Aug. 1893, n. 7).

(2) Quid sit domicilium explicatum est in lib. I, p. 57 **b)** et iterum dicetur in *Compendio Juris civilis*. Quodnam vero sit domicilium quarumdam personarum physicarum vel moralium clare dicitur in art. 64 ad 70 inclusive *Legis processalis*.

domicilii forum dicitur concurrere cum omni alio foro quoad universam jurisdictionem tam contentiosam quam voluntariam (1).

In loco vero quasi-domicilii ex generali consuetudine etiam quis sortitur forum internum et sacramentale, excepto ordinis sacramento; sed non forum externum, nisi alia ratio specialis concurrat; v. g.: ratio contractus, rei sitae, delicti, etc.

Vagi tamen, qui actu nullum domicilium vel quasi-micilium habent, in eo loco sortiuntur forum, in quo reperiuntur; et consequenter ibi conveniri possunt ex quocumque actu, quamvis alibi posito (C. fin. *de Foro comp.*; et art. 69 *Leg. proces.*).

b) *Ratione rei sitae*, quis sortitur forum quoad illam rem in territorio ubi illa sita est, quamvis extra illud moretur (C. 5, t. VI, lib. II, *Decr.*).

c) *Ratione contractus*, etiam quis conveniri potest in loco ubi contraxit, dummodo ibi praesens sit, non vero absens, nisi aliter pactum fuerit (2) (C. fin. *De foro comp.*; et C. 1 eod. tit. in 6.°). Si vero quis ex causa necessaria venit Romam, *jus revocandi domum*, id est, nequit cogi ibi respondere super antea gestis, alioquin conventus excipere poterit dicendo: *Domine, non veni paratus, remitte me domum, et deliberabo* (Ita Abbas Fagnan., Maschat, etc.). *Ratione quasi-contractus*, administratores tum publici, tum privati conveniri possunt in loco administrationis, quod viget etiam jure civili hispano (Art. 63 n. 2.° et 19 *Leg. proces.*).

d) *Ratione delicti*, est judex competens, judex loci, in quo patratum est delictum (C. 1, t. XVII, lib. V *Decr.*, et c. 14 *de Foro comp.*). Ex hoc capite Ordinarius loci in

(1) Jure civili hispano aliter se res habet quoad actiones personales, si locus adimplendae obligationis assignatus est; tunc enim ibi tantum debitor conveniri potest, et quoad actiones reales in bona immobilia; nam hae tantum exerceri valent in foro illius loci, ubi sita sunt. Quoad alias actiones reales et actiones mixtas, concurrunt forum rei sitae et domicilii ejus qui conventus est, et quoad actiones personales, quando locus adimplendae obligationis assignatus non est, forum domicilii et forum contractus. In judiciis successionis haereditariae attenditur ultimum domicilium defuncti (Art. 62 et 63). In postremo articulo inveniuntur 27 regulae speciales pro diversis casibus, qui occurrere possunt.

(2) Idem jus currit lege civili (Art. 62, n.° 1.° *Leg. proces.*).

quo delictum patratum est poterit reum, quamvis extradioecesanum, punire etiam privatione beneficii, si reus legitima citatione praeventus contumaciter abfuerit, sed executio sententiae committenda est judici territorii, in quo reus beneficium vel bona possidet, si poena circa haec versetur (C. 14 *de Foro comp.*); si vero reus fugerit priusquam eum citatione praevenerit, poterit eum per edictum citare et procedere contra bona contumacis, si qua ibi possideat, sed non in personam contumacis (*Clement. 2.ª de Sent. et re judic.*) (1).

e) *Ratione prorogationis.*—Prorogatio est extensio jurisdictionis in judice ultra proprios limites ex libero partium consensu; ex quo patet necessariam esse aliquam jurisdictionem in judice, nam quod non est, prorogari nequit. Prorogatio fieri potest quintupliciter: 1.° *de persona ad personam* dum non subditi subjiciunt se judici alieno; 2.° *de causa ad causam*, dum partes judici constituto ad aliquam causam, submittunt se quoad aliam similem; 3.° *de tempore ad tempus*; 4.° *de loco ad locum*, et 5.° *de quantitate ad quantitatem*. Prorogatio in judices delegatos tantum fieri potest tribus modis postremis (C. 40 *de Off. deleg.*), et nullo modo nec in illos nec in judices ordinarios, si agatur de causis reservatis S. Pontifici, de causis criminalibus quando proceditur ex officio, vel de appellationibus (2).

Prorogationes vero in judices ordinarios alienos fieri possunt, dummodo: 1.° Judex ordinarius sit ecclesiasticus; unde laici in causis spiritualibus et clerici religiosique in omni causa nec de consensu Episcopi prorogare possunt jurisdictionem judicis saecularis (C. 48 de *Foro*

(1) Jure civili hispano tribunal competens ad cognoscendum de causa criminali est tantum tribunal loci, in quo delictum patratum est, et, si locus ignoretur, erit competens eodem ordine quo enumerantur: 1.° tribunal loci, in quo repertae sint probationes materiales delicti; 2.° tribunal loci, in quo reus apprehensus est; 3.° domicilii rei praesumpti, et 4.° tribunal, quod notitiam delicti habuerit (Art 14 et 15 *Leg. proces. crimin.*).

(2) Quoad appellationes intelligitur si directe in ipsis prorogatio fiat; nam prorogatio jurisdictionis judicis primae instantiae secum fert indirecte prorogationem jurisdictionis judicis secundae instantiae, cui judex *primae* subjicitur, si judex *secundae* sit tunc distinctus ab eo cui subjicitur judex ordinarius proprius. Hoc etiam viget in jure civili (Art. 60 *Leg. proces. civ.*).

compet. et 2 de *Judiciis*); 2.° habeat jurisdictionem ejusdem naturae ac gradus quam prorogata; 3.° adsit consensus proprii Episcopi, ne regimen ecclesiasticum confundatur (C. 18 *de Foro compet.*; et c. 1 eod. in 6.°); 4.° prorogatio non sit aliunde in jure prohibita, qualis est prorogatio in causis supradictis et prorogatio quae a Regularibus exemptis fieret in Episcopum quoad jurisdictionem contentiosam, laederetur enim jus quod per exemptionem quaesitum est Sedi Apostolicae, et 5.° ut prorogatio seu submissio fiat a partibus scienter et libere (1).

f) *Ratione continentiae causarum*, id est, connexionis; nam receptum et vulgare principium est causae continentiam dividi non debere; quare si causae ita inter se connectantur ut una sine altera pertractari nequeat, ab eodem judice cognoscendae et definiendae sunt (C. 3 *de Judiciis* in 6.°), ab eo nempe qui prius causam coepit. Continentia causarum potest fieri quintupliciter: 1.° ratione dependentiae causae unius vel plurium ab altera; ex quo sequitur causas incidentes tractandas esse coram quo causa principalis agitatur, excepto casu quo causa indicens sit spiritualis et causa principalis a judice laico pertractetur; 2.° ratione generalis actionis, quoties diversae res aut diversae causae continentur sub una generali actione, v. g. tutelae, vel negotiorum gestionis; 3.° ratione personarum, quoties duae vel plures sint conveniendae in eadem causa, v. g. plures correi vel plures cohaeredes, qui ratione domicilii ad diversum judicem pertineant, tunc enim convenire debent penes

(1) In jure civili hispano hoc generale competentiae principium statuitur: «Competens judex ad lites, quas exercitium actionum quarumcumque suscitaverit cognoscendas, ille putabitur, cui se expresse vel tacite ipsimet litigantes submiserint; quae sane submissio unice fiet judici ordinaria jurisdictione pollenti, quique eam insuper habeat ad ejusdem generis negotia in eodemque gradu cognoscenda». Huic principio, quod solummodo viget in materia civili, sed non in criminali, subordinantur ceterae regulae, quae competentiam moderantur. Submissio tacita praesumitur in actore ex ipso facto petitionis judici factae ad conveniendum reum, et in reo quodlibet factum post comparationem in judicio, quod non sit exceptionem declinatoriam proponere vel petere prorogationem termini ad litem contestandam (Art. 56 et 58 Leg. proc. civ.; Sent. Trib. Sup. 18 Maj. 1892). Haec praesumptio applicari etiam potest foro ecclesiastico.

unum judicem, illum nempe qui causam praeoccupaverit; 4.° ratione rei sitae in territoriis alienae jurisdictionis; quo casu datur etiam locus praeventioni, et 5.° quoties de eadem re plures oriantur quaestiones (1).

g) *Ratione reconventionis*, judex coram quo actor actionem suam proposuit competens est ad cognoscendam reconventionem, id est actionem contrariam conventi, quando haec locum habere potest (C. 1 et 2 *de Mutuis petit.*) (2).

h) *Ratione delegationis*, etiam quis potest esse competens, ut explicatum est in libro primo (Vid. p. 174).

i) *Ratione privilegii* quibusdam personis concessi, judex potest esse competens ad dirimendas controversias inter ipsas exortas (C. 1, t. VII, lib. V in 6.°). Huc spectant jurisdictiones exemptae seu privilegiatae, de quibus loquuti sumus in Libro primo, necnon rescripta justitiae, de quibus similiter egimus.

Quando ob aliquod ex supradictis capitibus adsunt duo vel plures judices competentes in eadem causa, datur locus praeventioni, seu praeoccupationi, idest: praefertur ille, qui per legitimam citationem, etiam verbalem, negotium praeoccupavit. Praeventio hos producit effectus: 1.° Impedit quominus causa illa pertractari possit coram aliis judicibus etiam competentibus. 2.° Mutatio domicilii vel acquisitio fori privilegiati non eximit citatione praeventum a jurisdictione judicis praevenientis. 3.° Si plures sunt correi, praeventio quoad unum inducit praeventionem quoad alios, ne continentia causarum dividatur.

III. **Quaestiones competentiae inter diversa tribunalia.**—Quae hic in jure civili praescribuntur, servari etiam solent in tribunalibus ecclesiasticis hispanis, et normam directivam constituere possunt pro judicibus ecclesiasticis, iis exceptis quae ex dicendis patebunt.

Dupliciter hae quaestiones promoveri possunt: vel per recursum ad tribunal, quod competens censetur, eo fine ut officium

(1) Quoad continentiam causarum fere idem jus currit in Lege civili. Vide art. 55, 64 n.° 1.° et 3.°, 156, et praecipue art. 161 et 162 *Leg. proc. civ.*; necnon art. 16, 17 et 18 *Leg. proces. criminalis.*

(2) Idem in Lege civili. Vide art. 62 n.° 4.°, *Leg. proc. civ.*

ad alium mittat ei inhibendo cognitionem causae et acta judicialia ab eo reclamando, quo casu *per inhibitoriam* dicitur, vel per exceptionem *declinatoriam* fori, eam opponendo coram tribunali, quod incompetens creditur, remittat. Tum *inhibitoria* tum *declinatoria*, in negotiis civilibus, tantum a partibus citatis ad respondendum actioni actoris, promoveri potest, et quidem alterutra tantum, non ambae simul nec successive, et dummodo expresse vel tacite non se subjecerint tribunali, neque de causis agatur judicialiter finitis per sententiam definitivam aut interlocutoriam, quae transierit in rem judicatam. Judex tamen, qui sese putet incompetens, potest, audito prius ministerio fiscali, se inhibere, monendo partes ut coram judice competenti suo jure utantur; sed contra hunc actum judicis partes possunt appellare. In negotiis criminalibus, praeter accusatorem et reum aliosque interesse habentes, competentiam promovere et sustinere possunt judices vel tribunalia ipsa et Ministerium fiscale (1).

Competentia promoveri potest: 1.° inter duo tribunalia ecclesiastica ejusdem gradus; 2.° inter tribunal ecclesiasticum superius et inferius; 3.° inter tribunalia ecclesiastica et civilia; 4.° inter jurisdictionem ordinariam ecclesiasticam et privilegiatam, vel inter jurisdictionem ordinariam unius territorii cum ordinaria alterius.

1.° *Competentia inter duo tribunalia ecclesiastica ejusdem gradus.*—Duplici modo supradicto proponi potest.

Si fiat *per declinatoriam*, judex notificare debet, tum parti adversae, tum Fiscali ecclesiastico, scriptum, in quo exceptio declinatoria proponitur, et dein decidet exceptionem admittendo vel denegando. In primo casu judex remittet acta omnia judici competenti, ut judicium prosequatur; in secundo vero, pars cujus interest appellare poterit ad superiorem immediatum, qui quaestionem solvet modo pro *inhibitoria* adhibendo.

Si per *inhibitoriam* procedatur, scriptum in quo inhibitoria petitur, ab advocato, ut decet, subscriptum, coram judice, qui aestimatur competens, proponet, et judex, audito prius Fiscali, cui ad hoc aliquis terminus, v. g., trium dierum concedatur, decidet an sit vel non locus *inhibitoriae*. In secundo casu, pars, cujus interest, poterit appellare quoad utrumque effectum. In primo casu officium inhibitorium una cum scripto petitionis inhibitionis, Fiscalis consilio, decisione et omnibus,

(1) Haec eadem substantialiter habentur in *Lege Proc. Civ.* Art. 72 ad 79 et *Leg. Proc. Crim.*, Art. 19 et 25.

quae ad suam competentiam fundandam pertineant, priori judici mittet. Hic, officio accepto, processum in causa principali suspendere debet, et auditis partibus requisitoque Fiscalis consilio, infra terminum, e. g., trium dierum, sententiam proferet sese inhibendo vel inhibitionem negando.

Si se inhibeat, pars praejudicata appellare poterit apud Superiorem immediatum; quod si non appellet, vel appellatio sententiam inhibitionis confirmet, acta, ut supra, ad judicem, qui inhibitoriam promovit, remittenda sunt, et hic partes citabit ut intra terminum, v. g., 15 dierum compareant.

Si vero sententia fuerit negatoria inhibitionis, judex inhibitus ad inhibentem actum denegatorium una cum partium allegationibus et scripto Fiscalis remittet, mediante officio; quo accepto judex inhibens intra breve tempus, v. g., tres dies inhibitionem confirmabit vel ab ea recedet, et resolutio judici inhibito communicabitur. Ab hac resolutione, quaecumque tandem sit, datur appellatio apud Superiorem immediatum, qui, si quaestio inter duos Provisores agitetur, Metropolita, et in aliis casibus Sedes Apostolica et in Hispania Supremum Rotae Tribunal erit. Remissis ipsi omnibus actis originalibus cum partium citatione ut infra terminum 10, v. g., dierum coram Superiore compareant, a Fiscali Tribunalis Superioris intra quatuor dies, e. g., examinabuntur; quod si partes non compareant, intra alios quatuor dies oportet. ut Judex superior sententiam proferat; si vero partes compareant vel una ipsarum, acta eis communicabuntur ut instrui valeant per aliquos dies (tres e. g.), quibus transactis, acta colliguntur ex officio et praefigitur dies ad allegandum in jure et in facto (*para la vista*).

Haec allegatio fieri potest praesentibus advocatis, sed intra octo, v. g., dies ab actorum devolutione vel recollectione. Infra quatuor alios allegationem sequentes proferatur oportet sententia, a qua datur appellatio, si prolata sit a Tribunali metropolitano, minime vero si a Tribunali Rotae. In hoc sequitur idem processus, et post sententiam, acta cum authenticae sententiae notificatione remittuntur ad judicem, qui declaratus fuit competens, et alter de eodem certioratur. Si quaestio inter duos judices oriretur ex eo quod ambo a cognitione causae sese inhiberent, apud Superiorem immediatum eodem processu servato decidetur. Talis est praxis forensis nostris in tribunalibus, ex art. 79 ad 114 *Legis proc. civ.* desumpta. Si quaestio vero Sedi Apostolicae proponeretur standum esset praxi Curiae Romanae.

2.° *Competentia inter tribunal ecclesiasticum superius et inferius.*—Etiam in hoc casu praxis forensis ecclesiastica in Hispania desumpta fuit ex jure civili, et inservire pot-

est ut norma directiva omnibus tribunalibus ecclesiasticis, cum nihil determinatum hac in re a jure canonico habeamus.

Judex inferior non potest proprie veram competentiam contra suum superiorem promovere, sed tantum exponere debet ipsi, ad instantiam partis interesse habentis et audito prius Fiscali, rationes quas habet, ut se competentem existimet in negotio, quod Superior cognoscere coepit. Hic, accepta expositione, illam Fiscali tradet, et tertia die resolvet atque decisionem notam faciet inferiori ut eam exequatur. Si decisio fuit negatoria, judex inferior vel partes interesse habentes, intra decem dies a notificatione interponere possunt recursum apud Superiorem amborum judicum, Rotae nempe Tribunal (extra Hispaniam Sedem Apostolicam). Rotae autem informationem justificatam petet, vel acta reclamabit a Tribunali metropolitano, et audito Fiscali, quaestionem decidet, quin detur contra suam decisionem de iis ulterior recursus.

Si judex vel tribunal inferius cognoscere incipiat, quae competentiae sunt superioris, hic, ad instantiam partis et audito Fiscali, illi per praeceptum intimabit ut ab ulteriori processu se abstineat, et praeacta remittat. Contra hoc praeceptum inferior judex habet recursum ad Rotae Tribunal (extra Hispaniam apud S. Sedem), quod eodem modo ac antea quaestionem finiet (Art. 81, 82 et 83 *Leg. proc. civ.*).

3.° *Competentia inter tribunal civile et ecclesiasticum.*— Juxta principia tradita in jure publico ecclesiastico, quaestio haec apud tribunal ecclesiasticum superius pertractanda foret, sed ex abusu laicae potestatis aliter in praxi se res habet. En quae jure civili hispano circa hanc materiam disponuntur.

Si Tribunal civile de causa cognoscat, quae ad forum ecclesiasticum pertinere credatur, Judex ecclesiasticus ad instantiam partis vel Fiscalis ecclesiastici, officium inhibitorium judici saeculari mittet, qui, si inhibitionem admittat, acta omnia ad tribunal ecclesiasticum remittere debet; si vero illam deneget, notum id faciet judici ecclesiastico, qui querelam interponere potest apud Superiorem immediatum judicis laici. Hic superior sine ulteriori recursu quaestionem finiet. Acta coram judice laico, pendente competentia, valida declarantur, quin rata debeant haberi apud tribunal, quod declaratum fuerit competens (Art. 113 et 114 *Leg. proc. civ.*).

Si tribunal ecclesiasticum cognoscat de causa, quae ad forum saeculare spectare censeatur sive ratione materiae, sive quia proceditur per annotationem bonorum, non implorato

auxilio jurisdictionis laicae, pars cujus intersit, declinatoriam proponere potest sub comminatione impetrandi regalem protectionem contra vim in cognoscendo, nisi judex ecclesiasticus a cognoscendo recedat et acta ad judicem laicum remittat. Haec exceptio declinatoria necessaria est ut pars legitima *recursum* dictum *vis in cognoscendo* interponere possit, sed non est necessaria,si immediate interponatur a Fiscali Audientiae respectivae vel Tribunalis Supremi. Recursus hic contra Tribunal Rotae apud Tribunal Supremum, contra alia tribunalia ecclesiastica apud Audientiam respectivam proponi debet, et neutro in casu datur ulterior recursus contra decisiones Audientiarum vel Tribunalis Supremi. Admisso recursu, acta remittenda jubentur intra tres dies ad Tribunal laicum et per idem officium judex ecclesiasticus jubetur partes citare, ut se sistant intra decem dies coram Tribunali laico. Si judex ecclesiasticus renuat acta remittere, denuo per secundam provisionem idem ei intimatur sub comminatione poenae statutae pro hoc casu in Codice poenali vigente; et, si huic provisioni etiam obedire renuat, judex primae instantiae loci, in quo residet judex ecclesiasticus, jubetur acta colligere et ad tribunal remittere, necnon simul ut statim ad instructionem causae criminalis respondentis procedat (1). Deinde absolvitur processus secundum normam statutam in Leg. proc. civ. pro appellatione causarum incidentium, admissis tamen tamquam partibus ad suam tuendam competentiam fiscalibus vel ipsis judicibus ecclesiasticis, cum Fiscali Tribunalis laici. Si sententia sit negatoria recursus, acta judici ecclesiastico reduntur; si vero contrarium declaretur, acta ad judicem competentem remittuntur, partibus coram ipso citatis, et judex ecclesiasticus per officium certioratur, eique intimatur ut censuras tollat, si quas imposuit. Expensas judicii in Ministerium fiscale numquam refundere licet, utique vero in partes notorie temere litigantes vel in judicem ecclesiasticum, qui notorie temere competentiam sibi adrogavit (Art. 125 ad 152 Leg. Proc. Civ.).

Haec omnia, ut innui, abusu auctoritatis saecularis saepe ab Ecclesia reprobato statuta unice sunt.

4.° *Competentia inter jurisdictionem ordinariam ecclesiasticam et privilegiatam vel inter ordinarias diversi territorii.* —Proceditur eodem modo ac in casu numeri 1.[i], sed utriusque Superior in hoc casu erit in Hispania Tribunal

(1) Idem observatur cum judex ecclesiasticus denegavit parti testimonium scriptum non admissionis declinatoriae post duplicem Provisionem regiam Audientiae vel Tribunalis Supremi.

Rotae, nisi de judicibus Regularibus agatur, tunc enim Superior immediatus est S. C. EE. et RR., quae suum modum procedendi servabit.

ARTICULUS III.

DE CAUSARUM CUMULATIONE ET DE ORDINE COGNITIONUM

I. Quid sit, et quas ob causas peti possit causarum cumulatio. II. Processus in petitione cumulationis servandus. III. Quid sit ordo cognitionum, et quaenam regulae in eo servandae.

I. **Quid sit, et ob quas causas peti possit causarum cumulatio.**— Causarum cumulatio est processus simultaneus duarum vel plurium causarum, ita ut unico judicio hae cognoscantur atque una sententia finiantur.

Fieri potest: 1.° cum sententia, quae in una causa feratur, exceptionem rei judicatae in altera operetur. 2.° Cum in tribunali competenti pendeat lis super eadem re, quae objectum etiam sit litis postea promotae. 3.° Si ex non facta cumulatione, continentia causarum divideretur (C. 5 *de Off. et pot. Jud. Del.*; c. 3 de *Ord. cognit.*; *Lex proc. civ.* art 161). Nequeunt tamen cumulari causae, quae in diversis instantiis sint.

II. **Processus in petitione cumulationis servandus.**— Hac in re servari possunt dispositiones Legis civilis, quae continentur in articulis 163 ad 187. Juxta hos cumulatio peti potest in omni statu judicii, et si concedatur, suspenditur processus in causis proximioribus sententiae donec processus causarum cumulatarum ad eumdem statum perveniat, ut simul cognosci possint. Si causae cumulandae apud eumdem judicem pendeant, partes citantur, et, octavo die post citationem, audiuntur, necnon ipsarum defensores, et post biduum profertur sententia admittens vel denegans cumulationem, a qua sententia quoad utrumque effectum appellari potest. Si vero causae cumulandae pendeant apud diversa tribunalia, cognoscetur petitio cumulationis a Tribunali de causa antiquiore cognoscente. Hoc tribunal, citatis partibus per copiam libelli petitorii ut intra terminum perentorium, trium e. g. dierum, petitionem impugnent si velint, sive compareant sive non, post alium breve terminum, puta trium dierum, sententiam feret, quae si negatoria sit, ab ea appellari poterit in devolutivo tantum. Si cumulationem admittat, officium dirigendum est judici, qui de causa cumulanda cognoscit una cum probationibus, ut hic

acta remittat. Accepto officio, judex requisitus illud actori ostendet, et post terminum peremptorium ei concessum (esse solet trium dierum), tertia die, actis ab actore ex officio collectis si opus fuerit, sententiam proferet, a qua, si admissiva sit cumulationis, datur appellatio in devolutivo; si vero negatoria, nullus datur recursus; sed judex requisitus per officium requirenti communicat suam decisionem et rationem ipsius. Tunc judex requirens, si rationes requisiti judicis fundatas inveniat, a sua intentione recedet, et id judici requisito communicabit, ut ad ulteriora procedere possit. Ab hoc actu datur appellatio in devolutivo. Si vero judex requirens persistat, tunc acta remittuntur Superiori utriusque judicis, et exinde sequitur processus pro competentiis determinatus, si excipias quod non audiatur Ministerium fiscale.

III. **Quid sit ordo cognitionum et regulae in eo servandae.**—1.° *Ordo cognitionum.*—Est modus seu ordo servandus a judice in examine plurium quaestionum, quae in eodem judicio ac inter easdem personas concurrere possunt.

2.° *Regulae in ordine cognitionum servandae* ad has quatuor possunt apte reduci: **a)** Ubi inter easdem personas plures causae concurrunt, quarum una pendeat ab alia, prius discutienda et finienda est causa a qua alia pendet, quam haec altera expendatur et definiatur; ratio siquidem judiciorum postulat, ut uniformitas in sententiis obtineatur, et consequentia cum antecedentibus componantur. Hinc alia fluit regula subalterna, nempe: quando contra intentatam actionem opponatur quaestio praejudicialis vel exceptio peremptoria, prius agendum est de quaestione praejudiciali, vel de exceptione peremptoria. Praejudicialis dicitur illa causa, ex qua, ita pendet alia, ut ex illius definitione haec praejudicium seu jacturam pati possit. Peremptoria exceptio ea est, quae, si probetur, cadit omnino causa principalis cui objicitur. Praejudicialis quaestio inducitur vel ex facto ipsius actoris et contra ipsum actorem; cum, scilicet, binas habens actiones ex eodem titulo, unam eligit et experitur; tunc, enim, si causa cadat, ad aliam regredi non potest (C. 25 *de Elect.* in 6.°, etc. *de Post. Prael.* in 6.°); vel ex facto adversarii, qui quaestionem proponat, qua probata, perimatur jus actoris; quo in casu confunditur cum exceptione peremptoria.

b) Ante cognitionem causae principalis, cognoscen-

dae sunt quaestiones incidentes, quibus non solutis, non potest principale negotium expediri. Tales sunt exceptiones dilatoriae et declinatoriae fori.

c) Si causae sint aequales, nec una alteri praejudicialis, simul regulariter tractandae sunt, servato inter eas temporis ordine quo incoeperunt. At, si pro aliqua periculum sit in mora, eidem praelatio concedenda est. Pariter, si una ex propositis sit altera major ratione materiae vel finis, major praeferenda est. Sic causa spiritualis temporali, et criminalis civili praeponitur.

d) Si, pendente judicio penes unum tribunal, exurgat quaestio influens in definitionem ejusdem judicii, quae tractari debeat apud aliud tribunal, judex qui tractat causam principalem, tenetur ejus prosecutionem suspendere, quousque alter judex causam incidentem decreverit; sed ni praecesserit inhibitio, valida essent interim acta usque ad sententiam definitivam judicii exclusive (Ita DD. ex interpr. c. 3. *de Ord. cognit.*).

ARTICULUS IV.

DE RECUSATIONIBUS

I. Recusationis natura. II. Causae legitimae recusationis. III. Quinam recusare et recusari possunt. IV. Modus procedendi in recusatione.

I. **Natura recusationis.**—Recusatio est judicis vel ejus auxiliarii suspecti declinatio, ex probata suspicionis causa, concessa litiganti. Unde per eam receditur a jurisdictione et foro judicis, vel interventus auxiliarii ipsius impeditur.

II. **Causae legitimae recusationis.**—Ad tres reduntur: 1.° Consanguinitas vel affinitas recusati cum adversario recusatoris (C. 4, tit. VI, lib. I Decr.). Jure canonico non determinantur gradus consanguinitatis vel affinitatis, sed potest suppleri jure civili, in quo intra quartum gradum civilem seu secundum canonicum justa recusandi causa invenitur.

2.° Intima amicitia vel familiaritas, ut si recusatus sit adversae partis dominus, socius, familiaris aut pa-

tronus (C. 17, 25 et 35 *de Off. Jud. deleg.*) vel contra, inimicicia manifesta cum recusatore, quae praesumitur: **a)** si cum ipso litem habeat; **b)** si notabile sit ei minatus gravamen; **c)** si ei signa benevolentiae deneget, quae aliis ejusdem conditionis et status exhibere solet, et **d)** cum sit ex partibus (*del bando*) ipsi recusanti contrariis.

3.° Speciale interesse habere in judicio quod proponitur, ut si recusatus in eodem negotio fuerit advocatus aut procurator, vel similem parti adversae in alio tribunali causam habeat (c. 18 *de Judicis*), vel tandem aliquod emolumentum ex victoria partis adversae percipere possit (1).

III. **Quinam recusare et recusari possunt.**—1.° *Recusare* tantum potest ipsa pars vel ejus procurator, dummodo ad id habeat mandatum speciale.

2.° *Recusari* possunt judices sive delegati sive ordinarii (C. 17, 25 et 35 *de Off. Jud. del.* et 41 et 61 *de Apell. Recus. Relat.*) et auxiliarii tribunalis, ut sunt notarii seu actuarii, assessores, etc., (2) sed non Fiscalis; contra quem tamen, si se spontanee non excuset, cum in eo concurrat aliqua ex justis recusationis causis, datur recursus querelae penes Superiorem ipsius, id est, judicem qui, audito ipso Fiscali, eum substituet vel non, prout fundatam vel minime, querelam invenerit. Contra hanc judicis decisionem non datur ulterior recursus. Ita praxis forensis ex art. 845, 846, et 849 *Leg. org.*

IV. **Modus procedendi in recusatione.**—Recusatio judicis fieri debet in scriptis cum causae allegatione (3), et ante contestationem litis, nisi durante lite nova recusationis causa supervenerit, vel antiquae notitia tunc tantum habita fuerit. Semel praesentato libello recusationis, judex ad ulteriora in causa principali procedere nequit, donec quaestio recusationis decidatur. An, si procedat, valida sint acta, disputatur; alii affirmant, alii

(1) Eaedem sunt justae recusationis causae jure civili hispano (Art. 189 *Leg. proc. civ.*).

(2) Idem viget jure civili hispano. Vid art. 188, 191 et 194 *Leg. proc. civ.*

(3) Jure civili hispano scriptum subscribi debet ab advocato, procuratore (si mandatum habet speciale ad recusandum), et a recusante, si praesens sit in loco judicii, qui in hoc casu etiam scriptum ratum habere debet juramento (Art. 194 et 195 *Leg. proc. civ.*). Eadem est praxis in tribunalibus ecclesiasticis regni.

ex causae eventu dijudicandum esse ajunt, alii tenent valida esse, nisi perfecta sint post appellationem legitime a recusante interpositam. Si, porrecto libello recusationis vel etiam antea, judex justam adesse existimet recusandi causam, ut recusatum se geret, et certiorem faciet suum Superiorem ordinarium ut provideat, actaque remittet ei qui ejus defectu cognoscere debeat causam. Hujus resolutionis vel contrariae notitia procuratori recusantis communicabitur; et, si decisio judicis fuit negativa recusationis, eliguntur arbitri ex communi partium consensu, et si non adsit pars adversa, ex consensu recusantis et judicis; sed, si convenire nequeant, recusans eliget unum, et altera pars, vel, si haec desit, judex alterum, qui judicare debent de existentia et justitia causae recusationis intra terminum a judice praefixum; secus enim judex recusatus ad ulteriora procedere poterit. Si arbitri discordes sint, tertius ab ipsis arbitris eligendus est, si antea a partibus non fuit electus, et omnino standum est judicio duorum arbitrorum (C. 20 *de Sent. et re jud.*; c. 41 et 61 *de Appell. Recus. et Relat.*) (1).

Eodem modo fit recusatio auxiliarium tribunalis, si excipias quod judex ipse vel tribunal, remoto recusati interventu, est, qui hanc causam incidentem decidit, et quidem absque appellatione si agatur de Tribunali Supremo (2), vel quamvis de aliis, si sententia sit recusationi favorabilis, secus enim datur appellatio quoad utrumque effectum. Processus tamen causae principalis non suspenditur, sed tantum recusatus ab antiquiori ejusdem classis substituitur. Si causa recusationis con-

(1) Eadem vigent in tribunalibus laicis Hispaniae (Vid. art. 190, 192, 197 et 198 *Leg. Proc. Civ.*); sed loco arbitrorum recusationis, causam instruunt qui determinantur in articulo 203, eamque decidunt nominati in articulo 206 (L. P. C.). Causa insuper principalis suum tramitem sequitur usque ad citationem pro sententia exclusive; verum acta, loco judicis recusati instruuntur ab eo qui recusationis causam instruit (Art. 201 et 202 ibid.). Si denegetur recusatio, recusans praeter expensas causae, mulctam 50 ad 180, 100 ad 200, vel 200 ad 400 libellarum solvet, prout recusatus fuerit judex primae instantiae, praeses aut magistratus Audientiae, vel praeses aut magistratus Tribunalis Supremi (Art. 211 et 212 ibid.).

(2) Datur tamen recursus supplicationis apud sectionem (*sala*) ejusdem Tribunalis, quae de recusatione cognovit; quod in jure civili procedit etiam in resolutionibus negatoriis quae procedunt ex Audientiis (Art. 237 L. P. C.).

tra recusantem definitive decidatur, hic, praeter expensas causae, jura, quae percipere debuisset auxiliarius et ea, quae ex jam actis respondent substituto, solvere debet. Ita praxis forensis desumpta ex art. 234 ad 247 inclusive *Legis Proc. Civ.*

ARTICULUS V.

DE ACTIS ET TERMINIS JUDICIALIBUS

I. Acta judicialia in genere. II. Notificationes, citationes, diei indictiones et admonitiones. III. Litterae supplicatoriae, hortatoriae et edictales, et mandata judicialia. IV. Dilationes judiciales. V. Actorum ordinaria expeditio. VI. Resolutiones judiciales.

I. **De actis judicialibus in genere.**—Acta judicialia jure communi scribi possunt in quacumque papyro (1), coram Notario ecclesiastico, qui ea subscribere debet sub poena nullitatis actorum, diebus non feriatis sub eadem poena, et horis aptis, quae sunt ab ortu solis usque ad occasum, nisi ob causam urgentem, qualis esset si dilatio grave damnum partibus aut rectae justitiae administrationi afferret vel illusoriam aliquam provisionem judicialem redderet, quaeque arbitrio judicis aestimanda relinquitur, dies feriatae vel horae inhabiles, habiles declaratae fuerint (C. 11 *de Probationibus;* c. 1, 4 et 5 *de Feriis*; *Lex proc. civ.* art. 248, 249, 256, 257, 258 et 259).

Praxis etiam omnibus tribunalibus ecclesiasticis commendanda est quae desumatur ex *Leg. proc. civ.* (Art. 250, 251, 252 et 254), ut nempe Notarius diem et horam in qua sibi scripta praesentata sunt, annotet casu quo terminus peremptorius adfuerit ad praesentandum, necnon ut, cum eadem diei et horae indictione, parti petenti syngraphum *(recibo)* accepti scripti vel documenti consignet in papyro communi. Item judices integre subscribunt primam provisionem, quam dictant in quolibet negotio, necnon in sententiis interlocutoriis vel definitivis; sed dimidiate in aliis provisionibus, declaratoni-

(1) Lex vigens 26 Mart. 1900, pro tribunalibus ecclesiasticis Hispaniae papyrum sigillatam unius libellae exigit. Papyrus insuper debet esse ex filo, sed linearum numerus fixus non est. (R. O. 18 Nov. 1846 et 15 Mart. 1862). Haec ex abusu potestatis civilis.

bus vel actis, quibus interesse debeant. Notarii vero integre subscribunt, praecedentibus verbis «*coram me*» omnia acta, in quibus judex personaliter intervenit necnon omnes litteras, quae fidem faciant; sed dimidiate (id est, solo cognomine) notificationes, aliasque diligentias.

§ II. **Notificationes, citationes, diei indictiones et admonitiones.**—1.° *Notificatio* est communicatio actorum in judicio, quae eadem die, qua conficiuntur vel eduntur, laudabiliter fiet partibus aliisque quorum interest, nisi, ob nimiam diffusionem provisionis, copiae omnes fieri nequeant illa die, tunc enim tempus prorogari poterit, sed non expedit ut fiat prorogatio ultra quinque dies.

Notificationes fieri solent legendo provisionem personae cui fit, eique copiam ipsius litteralem elargiendo, de quo fidem facit actuarius per documentum ab ipso et a parte, cui facta fuit notificatio, subscriptum, vel ab alio hujus rogatu, si haec subscribere nesciat, vel a duobus testibus ab actuario requisitis, si pars renuat. Quoad *locum*, praxis est ut notificationes apud Notarii officinam fiant, si illic partes compareant; secus in domicilio ipsarum, vel procuratorum, sed horum expensis, si tempore opportuno in officina Notarii non comparuerint. Si vero pars aut procurator in domicilio non reperiatur, ei fit notificatio per schedulam, quae propinquiori familiae, vel famulo (qui 14 annos excesserit) in domicilio invento, tradetur, vel eorum defectu proximiori viciniae, et de omnibus fidem faciet actuarius, subscribendo ut supra. Schedula notificationis comprehendere debet: 1.° nomina et cognomina litigantium, et naturam et objectum litis; 2.° copiam litteralem provisionis vel resolutionis, quae notificari debeat; 3.° nomen personae, cui notificatio facienda est et causam ob quam hoc modo fit, et 4.° horam, in qua persona praedicta quaesita et non inventa fuit, datam et subscriptionem actuarii. Si personae notificandae domicilium ignoretur, notificatio ex mandato judicis fit per edictum, quod figitur in locis assuetis, quodque inseritur in ephemeride officiali dioecesis, provinciae et etiam ipsius Gubernii, si opus sit. Contumacibus vero declaratis notificationes fiunt in ipso Tribunali coram judice et duobus testibus ad id requisitis provisionem legendo, et per subscriptionem actus ab actuario et testibus factam; sententiae vero eduntur praeterea per edictum ad valvas tribunalis affixum, et si definitivae sint, inseruntur quoad partem dispositivam in ephemeridibus supradictis (Art. 262 ad 266 inclus. et 281, 282 et 283 *Leg. proc. civ.*).

2.° *Citationes et diei indictiones.*—Citatio in genere est actus legitimus quo quis, judicis mandato, in judicium vocatur. Si fiat juris experiendi causa dicitur indictio seu vadimonium (*emplazamiento*). Multipliciter dividitur: **a)** alia est *simplex*, qua citatus citra notam contumaciae potest non comparere donec veniat ulterior terminus usque ad tertiam vicem; alia *peremptoria*, quae pro tribus simplicibus interponitur, et absolutam comparendi necessitatem citato imponit. **b)** Alia est *realis*, quae fit per actualem rei capturam de mandato judicis factam; alia *verbalis*, quae fit oretenus vel scripto, quaeque subdividitur in *privatam*, quae fit per apparitorem, et *publicam*, quae fit voce praeconis, vel per edictum in locis publicis affixum.

Ut citatio sit legitima necesse est: 1.° Ut fiat ad instantiam partis, si causa utilitatem privatam respiciat; secus in causis, quae publicam concernunt utilitatem. 2.° Ut fiat mandato judicis competentis sive ordinarii sive delegati. 3.° Ut, si in scriptis fiat, contineat nomen et cognomen judicis a quo quis citatur, ipsius citati et ejus ad cujus instantiam fit citatio, nisi ex officio procedatur, causam citationis, praesertim dum quis ex loco remoto citatur, locum judicii, terminum, intra quem comparere debeat, datam et subscriptionem actuarii. 4.° Ut citatio revera sit executa per personam ad id legitime deputatam. 5.° Ut in actis constet citationem legitime factam fuisse per relationem ab actuario subscriptam. Ita communiter ex auctoribus et diversis capitibus juris canonici (1).

Praxis forensis pluribus in locis est ut partium citationes fiant per schedulam in papyro communi, quae traditur citato, loco copiae provisionis, citatio vero testium aliarumque personarum fit per apparitorem curiae (*Fiscal de vara, alguacil*), cui schedula duplicata traditur, quarum una citato porrigitur, altera vero a citato in signum citationis acceptae subscripta, actis inseritur. Quoad alia applicantur citationi, quae de notificationibus dicta sunt (Art. 270, 271, 273, 274 et 278 *Leg. Proc. civ.*).

3.° *Admonitiones* (*requerimientos*) sunt provisiones judiciales, quibus aliquis monetur ut aliquid faciat vel

(1) Idem praescribitur in art. 272, 273 et 274 *Leg. Proc. Civil.*

non. Fiunt eadem forma ac notificationes (Art. 274 *Leg. Proc. civ.*), uti fert praxis forensis (1).

¶III. **Litterae supplicatoriae, hortatoriae et edictales, et mandata judicialia.**—Recta justitiae administratio postulat ut sese invicem judices et tribunalia opem ferant, cum extra locum judicii vel in territorio alienae jurisdictionis nonnulla acta judicialia perficienda sunt. Modus tamen, quo auxilium petitur, diversus est pro diversitate personarum vel tribunalium, a quibus implorandum est. Nam si quis ad judicem vel tribunal ipsi superius dirigatur, *litteris supplicibus*; si ad judicem vel tribunal ejusdem gradus, *litteris hortatoriis*; et si ad sibi subordinatum, *litteris edictalibus* uti debet. Si vero aliquid ordinari contingat Notariis, auxiliariis vel subalternis tribunalis, forma *mandati* adhibenda est (2).

Litterae supradictae traduntur parti, quae eas postulavit ut ejusdem expensis, praesententur intra terminum eidem praefixum, ni velit ut directe a judice remittantur, ad quod in Hispania papyrum sigillatam, quae necessaria putetur ad acta evacuanda, tradere debet. Ab hoc onere eximuntur, uti diximus, qui litigant beneficio paupertatis. Tribunal, cui litterae supplices (*suplicatorios*), hortatoriae (*exhortos*) vel edictales (*carta-orden*) praesentantur vel mittuntur eas exequi debet tempore eidem praefixo vel quantocius res patiatur, et, si nequeat per se, aliquem sibi subordinatum delegare poterit, et omnibus evacuatis, acta per eamdem viam primo judici remittet. Hujusmodi acta non communicantur litterarum gestatori, nisi in ipsis litteris exprimatur, ut aliqua ex actis, citato gestatore, vel cum ejusdem concursu aut interventu exequantur, vel nisi necessarium sit ad carpendas ab ipso notitias, quae litterarum executionem adjuvent. Si executio demoretur, ad instantiam partis medio officio litterae recordantur, et si, recordatione non obstante, adhuc demoretur, recurritur ad superiorem, qui adhortatum correptione disciplinari admonebit, et, si agatur de litteris edictalibus, ab ipso judice, qui eas

(1) Notificationes, citationes et diei indictiones illegitime factae sunt nullius valoris; verum, si pars citata personaliter comparuerit vel per procuratorem, et ut citationis compotem se gesserit, vitium ipso facto subsanatur (Art. 279 *Leg. Proc. Civ.*).

(2) Ita fert praxis universalis tribunalium ecclesiasticorum; quamvis in jure canonico hujusmodi litterae *commissoriales* et *remissoriales* vocari solent, et pro civilibus Hispaniae praescriptae sunt in art. 284 ad 289 inclusive *Leg. Proc. Civ.*

misit, immediate fit correptio. Ita optima praxis forensis, confirmata art. 290 ad 299 inclusive *Leg. Proc. Civ.*

IV. **Dilationes judiciales.**—1.° *Natura.*—Dilatio judicialis communiter definitur: justum temporis intervallum, quod a jure vel a judice actori vel reo ex justa causa conceditur ad actum aliquem judicialem melius expediendum. Dilationes cum assignatione termini inductae sunt ad conciliandam aequitatem cum brevitate in expeditione judiciorum.

2.° *Divisio.*—a) *Dilationes* ex parte causae *efficientis* dividuntur in *legales, conventionales* et *arbitrarias*, prout conceduntur a lege, vel ex mutua conventione partium, vel ex arbitrio judicis attentis circumstantiis. b) Ex parte causae *materialis*, aliae deserviunt *principio* judicii, ut sunt *citatoriae, deliberatoriae* et *recusatoriae*, et pro unaquaque earum *decem* saltem dies assignantur, nisi aliud necessitas suadeat; aliae respondent *secundo* judicii *stadio*, ut sunt dilationes *probatoriae* et *allegatoriae*, quaeque hodie judicis arbitrio remittuntur, ut intra limites convenientes, et servata aequalitate inter actorem et reum majores vel minores dilationes concedat juxta diversam rationem temporum, distantiarum, qualitatum negotiorum atque personarum litigantium; aliae *fini* judicii inserviunt, ut sunt *definitoriae* datae ad causam ope sententiae finiendam; *appellatoriae* concessae ad appellandum, et *executoriae* concessae parti litiganti, quae causa cecidit ad satisfaciendum sententiae. Demum adest etiam tempus assignatum, intra quod causae canonicae finiendae sunt, biennium nempe in prima instantia, et integer annus in secunda (Conc. Trid. sess. 24, c. 20 de ref.; c. 3, t. XII lib. II *Clement.*).

3.° *Quoad modum computandi* tempus dilationum, prima dies datae dilationis non computatur, ultima vero cedit impetranti ut sufficiat ultimo momento hujus diei comparere (C. 1 *de res spoliat.* in 6.°). Dies inhabiles non computantur in dilationibus dierum, utique vero in dilationibus mensium; excepta ultima die, si inhabilis sit (1).

4.° *Effectus dilationum* sunt: a) Dilatio uni parti

(1) Idem disponitur jure civili hispano (Art. 303, 304 et 305 *Leg. Prov. Civ.*).

concessa prodest etiam alteri, ut, ea invita, renuntiari non possit datae dilationi. **b)** Pendente dilatione, conquiescit officium judicis, ac proinde nihil innovandum super eo articulo, super quo dilatio impetrata est. **c)** Finito dilationis tempore, si pars non compareat, perimitur actus, qui in dato termino fieri debuit, quin necessaria sit compulsio (*apremio*) nec accusatio contumaciae. Excipitur dilatio citatoria ad standum in judicio, pro qua requiritur triplex citatio simplex, et triplex accusatio contumaciae, vel una citatio peremptoria et una accusatio ut citatus contumax declaretur (C. 3 *de Dolo et contumacia*; c. 1. eod. tit. in 6.°) (1), et casus quo dilationis prorogatio obtenta fuerit; judex enim ecclesiasticus dilationem prorogare potest ob arduitatem rei, distantiam locorum, et impedimenta temporum et personarum (Cap. fin. *de Dilationibus*) (2).

V. **Actorum ordinaria expeditio.**—Probationes, allegationes orales in jure et in facto (*vistas*) et alia quae ad ordinariam negotiorum expeditionem sese referunt, si alicujus partis instantia praecedat, fient horis publicae audientiae Tribunalis; quamvis, ad instantiam partis, vel etiam ex officio, januis clausis procedi possit, si ita honestate exigatur. In ordinaria negotiorum expeditione, Notarius refert eadem die qua praesentantur, vel sequenti, si id fieri nequeat, scripta et acta, super quibus resolutio judicialis jam cadere potest, et eodem actu, vel saltem intra duos dies sequentes, judex provisiones dictabit, quae sint merae expeditionis (3). Ita praecedens praxis maxime commendanda.

---

(1) Idem jure civili hispano (Art. 309 et 312 L. P. C.), in quo insuper pro ceteris casibus disponitur ut unum tamtum scriptum compulsionis admittatur ad acta colligenda, si forte apud partem negligentem inveniantur, quo admisso, compulsus jubetur ea devolvere intra 24 horas sub mulcta 10 ad 25 libellarum pro qualibet die inutiliter elapsa, et tribus transactis, absque alia provisione ab actuario colliguntur (Art. 308 et 309).

(2) In art. 310 numerantur dilationes, quae jure civ. hispano prorogari nequeunt, quaeque fere sunt omnes praeter probatorias et allegatorias. Contra judices, auxiliares et subalternos tribunalium dilationes judiciales indebite praetergredientes datur correctio disciplinae (Art. 301 et 302 *Leg. Proc. Civ.*).

(3) Notarii Tribunalium collegiatorum Secretarii vocantur, et procedunt per annotationes (*apuntamientos*), semel ac Magistratus vel Auditor ponens annotationem decrevit. In fine annotationis debet Secretarius exprimere num in instantia vel instantiis praecedentibus omnia de jure servata fuerint, et vitia, si qua sint,

Ad ferendas vero sententias sive interlocutorias sive definitivas, judex processum per seipsum videre debet. In tribunali, vero, Rotae, ad similitudinem Tribunalis Audientiarum et Supremi laici nominatur Auditor Ponens per Abbreviatorem Nuntiaturae, qui Auditor, deliberationi aliorum duorum, qui *corresponsales* vocantur, allegationes in jure et in facto atque decisionem, quam sententia continere debet, proponit. Deinde, discussione peracta, emittunt suffragia primo *corresponsales* et deinde Auditor *Ponens*, et ut sententia habetur pars, in quam duo suffragia uniformia concurrunt. Discordiae dirimuntur aliis Auditoribus arcessitis ut causam cognoscant. Tum discussio causae, tum suffragiorum emissio fit januis clausis ante vel post horas publicae audientiae destinatas. Ita praxis excerpta ex art. 339, 343 et 344, *Leg. Proc. Civ.* et ex Leg. I, tit. V, lib. II *Novis. Recop.*

§ VI. **Resolutiones judiciales.**—Resolutiones, quae a tribunalibus feruntur in negotiis judicialibus, diversa nomina accipiunt. Vocantur: 1.° *provisiones* (*providencias*), cum sunt merae expeditionis; 2.° *sententiae interlocutoriae* (*autos*), cum decidunt incidentia, quae ex causa principali oriuntur; 3.° *sententiae definitivae*, cum litem principalem dirimunt; 4.° *sententiae stabiles* (*firmes*) seu *quae transeunt in rem judicatam*, cum nullus suppetit contra eas nec recursus ordinarius, neque extraordinarius; 5.° *executoriae* (*ejecutorias*) vero dicuntur documenta publica et solemnia, in quibus *sententiae stabiles* consignantur. Ita communiter ex praxi generaliter recepta, quae etiam continetur in art. 369 *Leg. Proc. Civ.*

Etiam *formulae* resolutionum judicialium desumptae sunt pro tribunalibus ecclesiasticis Hispaniae juxta praxim hodiernam ex articulis 370 ad 374 *Leg. Proc. Civ. Provisiones* simpliciter expediuntur, additis tantum nomine judicis et data. Sententiae *interlocutoriae* et *definitivae* per «*resultandos* et *considerandos*», adjectis quoque nominibus judicis vel tribunalis, loco, data, et pro definitiva pluribus aliis. *Executoriae* quae a Rota expediuntur, nomine Tribunalis conscribuntur et ab Auditoribus qui tribunal constituerunt, subscribuntur. Alia decreta Rotae tantum a Secretario subscribuntur, sed si nomine Rotae expediantur, ea Auditores insuper rubricant.

---

adnotabit. Haec nota nonnisi postquam partes instructae sint quoad acta, ponenda est (Art. 316, 318, et 319 *Leg. Proc. Civ.*).

ARTICULUS VI

DE REMEDIIS JURIDICIS CONTRA DECISIONES JUDICIS

I. Quaenam sint haec remedia. II. De appellationibus. III. Querela nullitatis. IV. Restitutio in integrum. V. Actio civilis contra judices.

I. **Quaenam sint haec remedia.**—Quadruplex adest remedium juridicum contra decisiones judicis. Ordinarius est appellatio; extraordinarii sunt querela nullitatis, restitutio in integrum et actio civilis contra ipsos judices.

II. **De appellationibus.**—1.° *Natura.*—Appellatio est ab inferiore ad Superiorem judicem facta provocatio, ratione illati vel inferendi gravaminis.

2.° *Divisio.*—Duplex est: *judicialis*, quae interponitur ab actibus judicialibus, et *extrajudicialis*, quae potius provocatio, querela vel recursus dicitur, quaeque fit ab actibus vel decretis extrajudicialibus, quibus aliquis gravatur, vel se gravatum arbitratur. Prima suspendit praeterita, eaque pendente, acta sunt invalida et per viam attentati revocantur, non vero secunda. Utraque subdividitur in *justam* seu rationabilem, si ex justa causa fiat; *frustraneam*, si solummodo morandae solutionis et judicii protrahendi causa, et *frivolam*, si ex levi causa interjiciatur.

3.° *Effectus* appellationis judicialis duplex est: *devolutivus*, vi cujus, causa, super qua appellatum est, devolvitur cum omnibus accessoriis ab inferiori judice ad superiorem, et huic tribuit jus de causa cognoscendi, et *suspensivus*, vi cujus suspenditur jurisdictio judicis *a quo*, ita ut sententiam a se latam, pendente appellatione, executioni mandare non possit, sed omnia relinquere debeat in statu quo erant tempore appellationis interpositae. Effectus *devolutivus* sequitur ex omni et rationabili appellatione; sed *suspensivus* tantum quando appellatio conceditur quoad utrumque effectum.

III. **Querela nullitatis.**—Est recursus extraordinarius, qui conceditur quando processus fuit nullus, quod evenire potest quadrupliciter: 1.° Ex defectu jurisdictionis

in judice. 2.° Si extra territorium suae delegationis lata sit sententia a judice delegato, postquam judex suspectus recusatus fuit, vel contra reum indefensum, aut sententiam anteriorem, quae transierit in rem judicatam. 3.° Si substantialia processus non fuerint observata. 4.° Si feratur sententia contra jus scriptum, vel errorem manifestum aut quidquam impossibile contineat (C. 9 *de Judiciis*; c. 5 *de Appellat.* in 6.°; C. 2 de *Sent. et re judic. Clement.*) (1).

Datur querela nullitatis tantum contra sententias definitivas vel interlocutorias, vim definitivarum habentes et contra sententias, quae feruntur in exercitio jurisdictionis voluntariae, a quocumque judice prolatas, etiam a judicibus *arbitratoribus* (*amigables componedores*), si sententiam tulerint ultra tempus in compromisso determinatum, vel circa materiam ipsorum decisioni non subjectam. Tantum excipitur Tribunal Supremum; contra ipsius enim sententias non datur directe querela nullitatis (2).

Querela nullitatis tantum proponi potest apud Superiorem immediatum vel apud S. Sedem (3); actio vero querelae non expirat nisi triginta annorum spatio.

Proceditur in querela nullitatis sicut in appellationibus; sed, si querela sit contra arbitratorum sententiam, juxta praxim ex jure civili desumptam (Art. 1774, 1775 et 1779 L. P. C.), una cum libello petitorio praesentari debet compromissi scriptura, ejusdemque prorogationis si adfuerit, scriptum sententiae hujusque notificationis testimonium. In libello etiam exprimi debet causa, in qua querela nititur, et rationes ob quas sententia annullari debeat distinctis paragraphis et numeratione annotabuntur. In hoc casu speciali recursus in Hispania fieri debet apud Tribunal Rotae et quidem intra 20 dies enume-

(1) Jure civili hispano vocatur recursus abrogationis (*casación*) qui conceditur vel *ob infractionem legis aut doctrinae legalis*, quod plus determinatur in art. 1692 *Leg. Proc. Civ.*, vel ob non servatam formam essentialem judicii, quod determinatur in art. 1693 ejusdem Legis. Adsunt tamen nonnullae exceptiones in art. 1694.

(2) Id. jure civili hispano. Vid. art. 1689, 1690 et 1691 *Leg. Proc. Civ.*

(3) Jure civili hispano tantum Tribunal Supremum cognoscere potest de querela nullitatis (Art. 1686 L. P. C.).

randos a sequenti in quo sententia notificata fuit querenti (*al querellante*) (1).

IV. **Restitutio in integrum.**—Est remedium extraordinarium, quod conceditur contra quoslibet actus civiles, validos et rescindibles, quibus aliquis laesus est.

Conceditur: 1.° Minorennibus, dummodo laesio sit notabilis, actum juramento non firmaverint nec huic beneficio juramento renuntiaverit, neque majores se esse simulaverint ut alios ad contrahendum inducerent. 2.° Ecclesiis, locis piis et personis moralibus, quae in jure minoribus aequiparantur. 3.° Majorennibus, modo constet eos fuisse notabiliter laesos, non ex propria culpa, et cum ipsis non pateat via remediorum ordinariorum.

In exercitio hujus juris servantur eaedem *solemnitates* ac in judiciis ordinariis, et eo pendente suspenditur sententia, quae ipsi occasio fuit. Minores et qui illis aequiparantur ex officio judicis, nemine etiam petente, in integrum restitui debent; majores vero ad suam instantiam. Minor insuper restituitur quamvis tutore vel curatore interveniente laesus sit; major e contra etiam absens non restituitur si procuratorem reliquerit.

Ad restitutionem *petendam* quadriennium a jure conceditur, computandum a die quo minor factus est major, vel quo Ecclesia laesionem passa est, vel quo cessavit, quoad majorem, causa absentiae vel alterius impedimenti ob quod ei conceditur.

V. **Actio civilis contra judices.**—Haec actio conceditur tantum parti laesae vel ab ea causam habentibus contra judices, qui in suis provisionibus vel sententiis ob negligentiam vel ignorantiam juridice culpabilem, legem violarunt cum alterius praejudicio, dummodo laesus tempore opportuno, si potuit, in judicio reclamaverit. Inter nos haec actio nonnisi finita lite proponi potest et intra sex menses subsequentes illi in quo per sententiam lis finita est. Petitio debet esse justificata, et proceditur ut in judiciis ordinariis, et contra sententiam latam datur appellatio. Si sententia sit absolutoria, actor debet damnari in omnes expensas judicii, si vero sit condemnato-

(1) Jure civili hispano recurrens facere insuper debet in omni casu depositum pecuniarium, de quo loquuntur articuli 1698 et 1699, et insuper probare se vitii processalis subsanationem petiisse, quando id fieri potuit (Art. 1696 et 1697).

ria saltem in parte, omnes expensae imponendae erunt convento, et semel ac sententia transierit in rem judicatam, acta Fiscali communicanda sunt, et sponsio (*responsabilidad*) criminalis, si ei locus sit, etiam exigatur. Numquam tamen sententia lata in judicio civili contra judices mutabit sententiam stabilem super causa, quae laesionem induxit (*Leg. proc. civ.* art. 903 ad 918).

ARTICULUS VII.

DE NONNULLIS ALIIS DISPOSITIONIBUS.

I. Caducitas instantiae. II. Taxa expensarum judicii. III. Distributio negotiorum judicialium.

I. **Caducitas instantiae.**—Instantiam cadere (*caducar*) idem est ac desertam censeri. *Prima* instantia pro deserta habetur, si intra biennium a praesentatione libelli enumerandum non prosequatur; *secunda* vero et *tertia*, si non prosequatur intra annum, et ex causa justa et evidenti intra biennium enumerandum a die interpositae appellationis, si agatur de appellatione judiciali, vel a die gravaminis reapse illati, si de extrajudiciali sermo sit (C. 5. et 8 *de Appell.*; c. 3 eod. tit. *Clement.*; Conc. Trid. sess. 24, c. 20 de ref.). Tempus tamen non currit legitimo impedimento detentis, dum eis, citra causam ipsis imputabilem, impossibile est instantiam prosequi, vel si per compromissum, aut alias de partium expresso consensu, tempus ad prosequendum differatur, dummodo in postremo casu judex advertens ex dilatione periculum imminere, non praecipiat in causa procedere (C. 4 *de Appell. Clement.*). Caducitas instantiae non perimit actionem, si aliunde praescripta non sit, sed tantum judicium actuale; unde in alio judicio potest proponi (1).

(1) Idem jus valet pro lege civili, si tempus ad caducitatem requisitum excipias, quod est quadriennium pro prima instantia, biennium pro secunda, et annus pro recursu nullitatis. Tempus computatur ab ultima notitia litigantibus facta (L. P. C. art. 411, 412 et 419). Modus procedendi ad declarandam caducitatem praescribitur in art. 413 ad 418, qui inservire etiam possunt pro Tribunalibus ecclesiasticis, et revera vigent in praxi articuli 414 et 415.

II. **Taxa expensarum judicii.**—Videamus: 1.° cujusnam sumptibus expensae judicii solvendae sint, et 2.° quomodo fiat taxatio expensarum.

1.° *Cujus sumptibus expensae judicii sunt solvendae.* —Si in sententia nulla fiat damnatio expensarum, quaelibet pars solvere debet eas, quarum ipsa fuerit occasio, sed communes pro medietate. Si in sententia expensarum condemnatio fiat, pars damnata omnes solvere tenetur, voluntariis et quae ex decentia tantum sunt exceptis; jam vero in genere judex expensis necessariis et legitimis judicii damnare debet (*condenar en costas*) litigantem temerarium illum nempe, qui dolo vel malitia vel inconsulto et sine gravibus rationibus litem promovit vel contestavit, quod quidem prudenti judicis arbitrio relinquitur (C. 5 et 6 *de dolo et cont.*; c. 1 eod. tit. in 6.°; c. 4 *de poenis*).

2.° *Quomodo fiat taxatio expensarum.*—Tempore executionis sententiae adveniente, proceditur ad illas urgendas, praevia taxatione, si pars damnata prius eas non solvisset. Taxatio fit vel ab ipso judice, quo casu non datur appellatio a taxatione, quia haec etiam consideratur ceu pars executionis sententiae, vel (quod quidem communius est), ab actuario, qui ad normam taxarum judicialium vigentium eam determinare debet. A taxatione excipiendae sunt expensae jam solutae atque etiam respondentes scriptis actisve inutilibus, superfluis aut illegitimis vel causis incidentibus in quibus pars adversa expensis damnata fuerit, vel mercedi advocatorum, peritorum, aliorumque qui taxae fixae subjecti non sunt, nisi nominatim exprimantur. Taxatione finita, per aliquot dies (tres ex. g.) partibus nota fiet, et primo quidem quae expensas solvere tenetur quaeque intra tempus ei praefixum (biduum esse solet) impugnare poterit salaria (*honorarios*) quae sibi excessiva videbuntur, post illos autem, exquisito consilio advocatorum vel peritorum collegii, Academiae etc. vel horum defectu, consilio duorum ejusdem officii vel artis, judex decidet absque ulteriori recursu. Ita praxis forensis desumpta praesertim ex *Leg. Proc. Civ.*, art. 421 ad 429.

3.° **Divisio negotiorum judicialium.**—Rectus ordo exigit ut negotia tum civilia tum criminalia, sive jurisdictionis contentiosae sive voluntariae, dividantur inter diversos Notarios, qui in qualibet Curia ecclesiastica solent adesse et ita fert praxis, quamvis non eodem modo negotia dividantur (1). Ju-

(1) Praxis communior est ut alternatim Notarii de negotiis cognoscant.

re civili haec divisio omnino necessaria est nisi de actibus adeo urgentioribus agatur, ut sine gravi damno dilationem non patiantur, et donec facta fuerint, judex aliam provisionem ferre nequit nisi ut negotium divisioni subjiciatur; secus disciplinae via a suo superiore corrigi potest, et Notarius officium in illo exercens quin ad se respondeat, muletam incurrit dupli jurium jam acquisitorum (*Lex Processalis Civilis* art. 430 ad 435).

TITULUS II.

DE PROCESSU SERVANDO IN JUDICIIS CIVILIBUS ECCLESIASTICIS

Hujusmodi titulum in duas sectiones partiemur; quarum in prima de judiciis in genere, in altera vero de judiciis in specie disserendum est.

SECTIO PRIMA

DE JUDICIIS CIVILIBUS ECCLESIASTICIS IN GENERE

Totidem articulis videnda sunt quae spectant: I. Ad judicium ordinarium. II. Ad judicium in contumacia. III. Ad judicium summarium. IV. Ad judicium arbitrorum et arbitratorum.

ARTICULUS I.

DE JUDICIO CIVILI ECCLESIASTICO ORDINARIO (1)

Cum triplex sit judicii stadium et triplex insuper instantia, agemus: I. De praeparatione judicii. II. De primo stadio judicii in prima instantia, seu de stadio juridico. III. De stadio historico. IV. De stadio critico. V. De secunda instantia, seu de appellationibus et executione sententiae. VI. De tertia instantia apud tribunal Rotae.

§ I.—DE PRAEPARATIONE JUDICII

I. Judicii praeventio. II. Judicii praeparatio.

I. **Judicii praeventio.**—Judicium ordinarium prae-

(1) Jure civili hispano judicium ordinarium dicitur declarativum et amplectitur judicium ordinarium majoris quantitatis, mi-

veniri potest: 1.° procurando partium conciliationem priusquam ad litem deveniatur; quod maxime curare debet judex ecclesiasticus (1); 2.° per delationem et praestationem juramenti voluntarii illius nempe, quod ex conventione pars parti extra judicium defert, sub conditione a processu sese abstinendi et juramento standi, si pars, cui delatum est, illud praestiterit. Hoc juramentum potest deferre quicumque potest pacisci de re controversa et libere de ea disponere, et quidem in omni causa, excepta matrimoniali, si ad vinculum dissolvendum deferatur, professionis religiosae, si contra ipsam, et criminali criminaliter acta, quamvis nonnulli autumant posse a reo deferri accusatori.

II. **Judicii praeparatio.**—Judicium praeparatur: 1.° Per inutiliter tentatam conciliationem aut delationem juramenti voluntarii. 2.° Si praesumptus actor declarationem juratam petat a futuro convento circa aliquod hujus factum, cujus cognitio necessaria sit ad judicium inchoandum. 3.° Si exhibitionem petat titulorum aut documentorum, quae apud futurum conventum sint, in casibus a jure permissis. 4.° Si petat ut recipiatur declaratio alicujus vel aliquorum testium ad suam intentionem probandam.

Judex indulgebit, vel non, petitioni, prout causam ipsius invenerit fundatam, vel non; at contra ejus provisionem denegatoriam datur appellatio. Si indulgeat in secundo casu, procedet in recipienda declaratione jurata, juxta normam praescriptam pro obtinendis confessionibus judicialibus. In tertio casu, exhibitionem titulorum vel documentorum urgebit, sed ab illa exonerabit eum, qui in actu quo convenitur assignat protocollum vel archivum in quo scriptura originalis inveniatur. In

---

noris quantitatis et verbale. Etsi omnia ordinaria appellentur, non easdem servant solemnitates, quamobrem distinctis capitibus in *Jure Processali Civili* pertractantur. De duobus illis prioribus in prima instantia cognoscunt judices primae instantiae, de verbalibus vero nonnisi judices municipales.

(1) In judiciis saecularibus Hispaniae tentatio conciliationis apud judicem municipalem respectivum omnino necessaria est ad judicium inchoandum, si casus in art. 460 et 461 enumerati excipiantur. Modus tentandae conciliationis et effectus ipsius determinantur in sequentibus articulis Leg. Proc. Civ. usque ad 480 inclusive.

quarto casu, tantum recipiet declarationem testium, qui ob senectutem, infirmitatem aut longam absentiam in remotis agant, aut ob alias causas facile deficere possunt, ita ut immineat actori periculum ut perimat suum jus ob defectum probationum (C. 5 tit. VI, lib. II *Decret.*). Hae declarationes uniendae sunt actis statim ac libellum petitorium judici offeratur (1).

§ II.—DE PRIMO STADIO JUDICII ORDINARII, SEU DE STADIO JURIDICO

I. Quid amplectatur. II. Libelli oblatio. III. Rei citatio, seu diei indictio. IV. Exceptiones. V. Contestatio litis. VI. Reconventiones et positiones.

I. **Quid amplectatur.**—Hoc stadium amplectitur ea omnia, quae ad rite judicium inchoandum praescribuntur, usque ad litis contestationem inclusive; quaeque ad libelli oblationem, citationem rei, exceptiones ab hoc propositas, contestationem litis, reconventiones et positiones reducuntur.

II. **Libelli oblatio.**—Videnda sunt: 1.° natura libelli; 2.° requisita ipsius, et 3.° oblatio ipsius.

1.° *Natura libelli.*—Libellus dicitur brevis scriptura, claram et explicitam continens intentionem actoris, vel accusatoris. Dicitur *scriptura*, quia, ut valeat, scripto confici debet (C. 2 *de lib. oblat.*); *brevis*, quia non est defensio juris, sed tantum index facti et tituli petitionis propositae contra reum; *clara*, quia est fundamentum pro determinando statu quaestionis, unde judex rejicere debet ex officio obscuram, vel quae sibi non constet (C. 2 *De libelli oblat.*); *continens intentionem actoris*, quae intentio tria continere debet: 1.° facti narrationem; 2.° fundamentum juris seu rationes, titulum vel causas petendi, et 3.° conclusionem vel petitionem, id est, quid et quantum petat; unde rejicienda est a judice petitio

(1) Idem jus viget jure civili hispano (Vid. art. 497 ad 502 *Leg. Proc. Civ.*), juxta quod, si conventus renuat titulos vel documenta exhibere, fieri debet processus ad tramites causarum incidentium, et, si ex sententia lata pateat eum sine causa justa renuisse, damna et praejudicia, quae inde actori exoriantur, reparare tenebitur (Art. 501).

incerta, vel generica aut alternativa (C. 2 et *de libell. oblat.*).

2.° *Requisita libelli.*—Praeter ea, quae fluunt ex ipsius natura, modo explicata, sunt haec: **a)** ut in eo nomen et cognomen actoris et procuratoris ipsius exprimatur; **b)** item nomen judicis vel tribunalis, apud quod actio instituitur, et **c)** ut subscriptum sit a procuratore et advocato quando id a jure requiritur.

Praxis etiam est in pluribus tribunalibus hispanis, desumpta ex art. 503 ad 523 *Leg. Proc. Civ.*, ut una cum libello, judici praesententur: 1.° scriptura mandati, qua procurator constituitur, si hic interveniat; 2.° documentum, quod fidem faciat de repraesentatione legali, quam quis habeat ad standum in judicio, si nomine personae moralis agat, vel si ab alio in jure, quod petit, causam habeat; 3.° documenta, quibus suum jus nitatur, vel si apud ipsum non sint, designetur archivum vel locus, in quo scriptura originalis inveniatur; sed, si documenta sint publica, sufficit pro tunc ut simplex copia praesentetur, quamvis non authentica; 4.° tot copiae libelli in papyro communi exaratae, quot sint partes litigantes, subscriptae a procuratore vel a parte ipsa sub ipsius subscribentis imputabilitate. Idem fit quoad omnia scripta, quae in decursu judicii a partibus praesentantur (1).

3.° *Oblatio libelli.*—Per libelli oblationem, judici legitime factam, incipit judicium ordinarium, quamvis non censeatur constitutum usque ad litis contestationem: unde priusquam lis contestetur, actori conceditur facultas libellum corrigendi in defectibus accidentalibus vel circa quantitatem rei petitae, vel circa extensionem obligationis, vel circa obscuritatem petitionis.

III. **Rei citatio seu diei indictio.**—Admisso libello

(1) Jure civili hispano sunt praeterea praesentanda, testimonium authenticum conciliationis intentatae, quando haec requiritur, et tot copiae documentorum, in quibus jus actoris nitatur, quot sint partes litigantes; sed velut unica pars considerantur, qui sub eadem repraesentatione et directione litigant. Idem dicendum de documentis, quae in decursu judicii, quando id expedit, praesententur, sed neutro in casu erunt copiae necessariae, quamvis admitti possint, si documenta 25 chartas *(pliegos)* excedant. Omissio vero copiarum, si libellus petitorius cum suis documentis excipiatur, non obstat scriptorum admissioni, sed tunc judex praecipere debet sub termino peremptorio, ut praedictae copiae fiant, et, termino inutiliter elapso, ab actuario ipso conficientur expensis procuratoris vel partis negligentis (Art. 503 n. 3.° 513, 516, et 528).

petitorio, copia ipsius ex mandato judicis reo transmittitur, abjecta citatione ad standum in judicio juris experiendi causâ, intra decem dies, si citatio sit simplex, vel intra triginta, si peremptoria. Si vero reus extra locum domicilii moretur, amplior terminus ei concedi potest proportionatus distantiae. Si reus lateat, aut sit incertum domicilium, citatur edictaliter modo supra descripto. Legitime citatus comparere tenetur coram tribunali intra tempus affixum, quod si negligat, accusatur contumaciae; si vero citatio fuit simplex, iterum citatur usque ad tertiam citationem, eodem adjecto termino, et post tertiam accusationem contumaciae, vel post primam, si citatio fuit peremptoria, habetur lis ut contestata, et exinde prosequitur judicium in contumacia, aliaeque notificationes fiunt tantum in ipsis tribunalibus (C. 19 *de Foro compet.*; c. 1, et 4 *de Dilation.*; c. 3 et 6, *de Dolo et contum.*; c. un. *de Dilat. Extrav. Comm.*; c. un. *de Dolo et cont. Extr. Comm.*) (1). Si reus comparuerit, conceditur ipsi dilatio deliberatoria 20 dierum, nisi rationabilem ob causam tempus ad brevius intervallum arctetur vel protrahatur, ut deliberet an petitioni actoris vel saltem alicui articulo assentire vel resistere debeat; sed haec dilatio jure canonico non est necessaria quoties reus per citationem potuit plene instrui et cognoscere quaestionem contra se propositam (C. 2 *de Dilat.*).

Cum plures sunt citati, terminus non currit nisi a die sequenti illius in quo ultimus citatus fuit. Dilatio pariter deliberatoria est communis omnibus citatis, nisi ipsis scripta originalia tradi debeant, et nequeant simul litigare, quod eveniet, si diversas opponant exceptiones. Ita praxis in utroque foro ex art. 530 et 541 *Leg. Proc. Civ.* desumpta.

IV. **Exceptiones.**—Videnda sunt: 1.° earum natura et divisio; 2.° contra quem dirigatur exceptio; 3.° quis possit excipere; 4.° quando proponenda est exceptio.

1.° *Natura et divisio exceptionis.*—Exceptio est asser-

(1) Idem jure civili hispano cum his differentis: 1.ª citationis terminus durat per novem dies; 2.ª haec citatio est peremptoria et tantum admittitur secunda cum medietate primi termini, si ci, tatio fuit per edictum, vel tradita fuit schedula citationis vicinis- aut famulis citati; 3.ª terminus citationis prorogari nequit ultra unum diem pro qualibet distantia a loco judicii 30 km. (Art. 524 ad 531 *Leg. Proc. Civ.*)

tio rei contra factum vel jus actoris ad hujus intentionem retardandam vel elidendam. Hinc aliae sunt *peremptoriae*, quae prorsus elidunt intentionem actoris et afficiunt meritum causae; aliae *temporaneae*, seu *dilatoriae*, quae solummodo tendunt ad impediendum praesens judicium, et suspendere conantur vim juris, quod pars adversa hic et nunc experitur. Cum reus, excipiendo, fiat actor, probare tenetur suam exceptionem.

2.° *Contra quem dirigatur exceptio.*—Peremptoria contra ipsum meritum causae; sed dilatoria dirigi potest: **a)** contra ipsam personam judicis, quo casu, cum tendat ad declinandum forum, dicitur *declinatoria fori*; **b)** contra ipsum actorem, vel ejus procuratorem; v. g.: si ob censuras, quibus innodantur, ab agendo repellantur; **c)** contra ipsam causam, ut, si id quod debebatur sub conditione aut ex die, absolute aut illico postuletur, et **d)** contra ipsum ordinem judicialem non observatum, ut si libellus male sit confectus, vel citatio sit facta tempore feriato (1).

3.° *Quis possit excipere.*—Cum exceptio sit species defensionis, omnis qui actione percellitur; unde, si legitima exceptio a judice spernatur, reus merito censetur gravatus, et ab hoc gravamine appellare poterit (c. 67 *de Appellat.*), quin obstet dispositio Concilii Trid. (Sess. 24, c. 20 de ref.) prohibens a tribunali judicis inferioris ad tribunal superius appellari, nisi in casu sententiae definitivae aut vim habentis definitivae; nam Tridentinum nonnisi eam prohibet appellationem, qua totum negotium de uno ad aliud tribunal transfertur, quod non evenit in casu nostro.

Reus non tantum potest excipere, sed etiam potest pluribus exceptionibus uti, sive ex intervallo sive simultanee, quamvis contrariae sint, dummodo contrarietas non ferat ad contradictoria, sed tantum ad opposita (C. 15 *de praescript.*). Ratio est, quia exceptio est defensio, et quilibet uti potest pluribus defensionibus, dummodo ad contradictoria non ferant (2).

4.° *Quando proponenda est exceptio.*—Exceptiones

(1) Idem jure civili hispano (Art. 533 *Leg. Proc. Civ.*). Tempus vel dies feriata in jure idem est ac dies festus.

(2) Id. jure civ. hisp. (Art. 536 et 542 L. P. C.).

dilatoriae regulariter proponendae sunt ante litis contestationem, tendunt enim ad impediendum judicium praesens, et inter eas regulariter primo loco proponenda est *declinatoria fori*. Dixi regulariter; quia etiam post litis contestationem proponi possunt: 1.° si fiat statim et incontinenti, 2.° si, ex postfacto, exceptio de novo exorta fuerit; 3.° si antea cognita non fuerit; qui autem opponit exceptionem, hanc sub juramenti fide affirmet oportet tunc primum eamdem exceptionem sibi innotuisse; 4.° si exceptio talis sit, quae reddat nullos causae actus antecedentes; quod praesertim contingit, quando agitur de exceptionibus contra judicem, cujus jurisdictio prorogari nequeat, et 5.° exceptio excommunicationis majoris (C. 4 et 12 *de Except.*).

Exceptiones *peremptoriae* regulariter proponi tantum possunt post litis contestationem usque ad conclusionem in causa (C. 1 *de litis contest.* in 6.°); nam tales exceptiones proprie excludunt seu perimunt actionem: actio autem excludi et perimi nequit, nisi ut deducta in judicium. Exceptiones vero *impropriae* seu *facti*, uti exceptio soluti, usucapti, non donati; *litis finitae*, ut judicati, transacti, jurisjurandi decisorii litis, et *notoriae* opponi possunt ante litem contestatam; nam frustra fieret contestatio litis dum actori, vel nulla actio de jure competit, vel notorium est actionem instantiae inutiliter et sine effectu proponi. Quaedam exceptiones etiam post sententiam proponi valent quando principaliter respiciunt executionem sententiae, ut exceptio competentiae, compensationis et falsi (C. 6 *de Except.*) (1).

V. **Contestatio litis.**—Videnda sunt: 1.° natura contestationis litis, et 2.° effectus contestationis litis.

1.° *Natura contestationis litis.*—Litis contestatio est judicii constitutio per petitionem actoris in jure propositam et congruam rei responsionem animo litigandi.

(1) Jure civili hispano omnes exceptiones sive dilatoriae sive peremptoriae proponi debent in eodem scripto, dilatoriae quidem ante litis contestationem vel in ipso actu contestationis litis, peremptoriae vero in scripto contestationis litis, quod valet etiam pro reconventionibus (Art. 536 et 452 L. P. C.). Ad proponendum dilatorias ante litis contestationem, sex dies tantum conceduntur numerandi a sequenti in quo ei notificatum fuit ut litem contestaret, et alii tres actori conceduntur ad scriptum exceptionis examinandum (Art. 535 et 537 L. P. C.).

Ex quo sequitur non dari proprie in causis criminalibus, quando proceditur ex officio; nec induci si reus protestetur se alio quam litigandi animo respondere; nec per exceptiones declinatorias, aut peremptorias, si per eas quis opponat nullam umquam actionem ortam fuisse, vel jam extinctam esse; neque per confessionem rei in judicio sive ante sive post libelli oblationem, nisi simul adsit aliqua resistentia, nam inter consentientes minime lis datur; sed tantum per petitionem actoris et negationem oppositam a reo (C. un. *de litis contest.*).

Litis contestatio in judiciis ordinariis omnino necessaria est, ita ut ante ipsam nulla sint acta, et in scriptis fieri solet; in judiciis vero summariis, primus actus, qui fieri solet post litem contestatam, vim habet contestationis litis (1).

2.° *Effectus contestationis litis.*—Praecipui sunt: **a)** Constitutio judicii, quia per eam status quaestionis figitur, ac determinatur judicii natura. **b)** Partes litigantes quasi-contractum ineunt, vi cujus obligantur ad tale judicium prosequendum juxta stilum fori, in quo litigant, et ad praestandum id quod per sententiam judicatum fuerit. **c)** Verificatur quod explicatum est circa exceptiones dilatorias et peremptorias.

Alii etiam sunt effectus, scilicet: 1.° perpetuatur judicis delegati jurisdictio; 2.° interrumpitur praescriptio; 3.° possessor bonae fidei in mala fide juridica quoad fructuum perceptionem constituitur, et 4.° verificatur illud, *ut lite pendente nihil innovetur*; sed hi effectus jam implentur per *vocationem in jus* seu citationem statim ac pervenit ad citatum.

VI. **Reconventiones et positiones.**—1.° *Reconventio* est reciproca petitio, seu actio qua reus vicissim quidquam ab actore petit coram eodem judice ex eadem vel diversa causa. Proponi debet in ipso actu quo lis contestatur. Cum sit vera *actio*, nequit proponi ab iis, qui agere prohibentur, ut sunt excommunicati, et ne lites justo diuturniores evadant, ordinario non datur actori reconventio contra rei reconventionem. *Finis* reconventionis est compensatio; unde non datur in causis criminalibus, neque in civilibus, si executoriae aut appella-

(1) Jure civili hispano contestatio litis facienda est forma ac modo congruenti libello petitorio (Art. 540 *Leg. Proc. Civ.*).

tionis sint, neque si ob disparitatem materiae, vel processus, vel competentiae judicis, fieri nequeat compensatio, neque demum in causis spolii, in quibus ante omnia restitui debet spoliatus (C. 7 *de Judiciis*; c. 5 *de Except.*; c. 3 et 4 *de Ord. cognit.*; c. ult. *de Deposit.*; c. 2 *de Rescrip.* in 6.°). *Effectus* reconventionis duo sunt: 1.° prorogat jurisdictionem judicis in causa, quam promovit reus contra actorem; 2.° inducit causarum adaequationem, ita ut, eodem processu et sententia, actio et reconventio finiendae sint, juris aequalitate in omnibus et per omnia servata (C. 2 de *Ord. Cognit.*; c. 2 *de mutuis Petit.*).

2.° *Positiones.*—Ad litis contestationem magis determinandam, inductae sunt *positiones*, id est, assertiones quaedam breves alicujus facti ad controversiam pertinentis, medio juramento, in scriptis adhibitae, super quibus petitur ut adversarius respondeat, eo fine ut ponens ab onere probandi per adversarii confessionem relevetur. Hujusmodi *positiones*, quae in causis criminalibus *capitula* vocantur, *articuli* quoque dicuntur, quamvis proprius hoc nomine vocentur positiones, quas negat reus, quasque proinde probare debet actor. Etiam reo concessum est jus positiones proferendi adversus actorem, quibus actor tenetur satisfacere. Absolute loquendo positiones in ipso libello petitorio fieri possunt, quo casu, lis contestata censebitur, cum reus respondeat, omnes vel aliquos saltem articulos negando; et etiam in secundo stadio judicii, ut videbimus, proponi possunt.

Positionum locum gerere potest praxis in foro civili Hispaniae praescripta, qua copia scripti contestationis litis actori traditur, ut intra decem dies scriptum *replicationis* (*réplica*) conficiat, post cujus copiam reo traditam alii decem ei conceduntur dies, ut per *duplicationem* (*dúplica*) replicationi respondeat. Tum in replicatione, tum in duplicatione distinctis paragraphis definitive determinari debent facta et jura controversa, clare fatendo vel negando facta allata a parte adversa, ita ut silentium vel responsio evasiva uti confessio in sententia aestimari valeat. Non datur *duplicatio*, cum actor replicare non vult (*Lex Proc. Civ.*, Art. 545 ad 549 inclusive). Sed praeter has positiones, etiam aliae in decursu judicii ad confessionem judicialem obtinendam proponi possunt (Art. 581 L. P. C.).

§ III.—DE SECUNDO STADIO JUDICII, HISTORICO SCILICET, SEU PROBATORIO

Hoc stadium judicii est illud, in quo fiunt probationes, et amplectitur a litis contestatione usque ad conclusionem in causa exclusive. Sed, cum nimis ampla sit materia, eam, perspicuitatis ergo, in septem puncta dispertiemur. Agemus in I. de probationibus in genere; in II. de testibus; in III. de fide instrumentorum; IV. de indiciis et praesumptionibus; in V. de juramento litis decisorio et suppletorio; in VI. de confessione judiciali et in VII. de peritorum judicio et inspectione judiciali.

PUNCT. I.—DE PROBATIONIBUS IN GENERE

I. Natura et species probationis. II. Admissio ad probandum. III. Termini probatorii. IV. Principia omnibus probationibus communia.

I. **Natura et species probationis.**—1.° *Natura.*—Probatio est actus judicialis, quo per instrumenta, vel testes aut idonea argumenta, judici de re aut facto dubio et controverso, fit fides. Dividitur in *plenam*, quae perfectam fidem facit judici de re in judicium deducta, et ita eumdem in causa instruit ut sententiam ferre valeat; et *semiplenam*, qua aliqua, non tamen plena, fides judici fit, quae non sufficit ad ferendam sententiam pro hac vel illa parte; sed tamen, aliquando onus probandi in adversarium rejicit, et sufficiens est in quibusdam casibus, in quibus agitur de periculo animae vitando aut valorem sacramenti non exponendo, ad ferendam sententiam.

2.° *Species praecipuae probationis plenae* sunt: **a)** Evidentia seu notorietas facti, et quidem ita plena est, ut, si agatur de notorietate facti permanentis, sufficiat eam allegare ad ferendam sine appellatione sententiam, quamvis, si sit facti transeuntis, probatione indigeat (C. 10, t. II, c. 3 t. XXI, c. 14 et 16 t. XXVIII, lib. II Decret; c. 9, t. I et c. 24, t. XL lib. V *Decret.*; c. 3, t. XV, lib. II in 6.°) **b)** Ipsius rei confessio judicialis. **c)** Testimonium seu depositio duorum testium omni ex-

ceptione majorum super uno eodemque articulo. **d)** Instrumentum publicum vel alia scriptura authentica huic quoad probandi vim aequiparata. **e)** Praesumptio juris et de jure. **f)** Juramentum decisorium.

3.° *Species probationis semiplenae* sunt: **a)** Depositio unius testis, vel plurium singularium, aut duorum etiam concordantium, sed non legitimorum aut non omni exceptione majorum. **b)** Instrumentum seu scriptura privata. **c)** Comparatio litterarum, quando de scripto dubitatur. **d)** Juramentum suppletorium. **e)** Praesumptio verisimilis seu probabilis. **f)** Fama publica.

II. **Admissio ad probandum.**—Hac in re in nostris tribunalibus admittitur praxis tribunalium saecularium, juxta quam partes ad probandum admittuntur ex mutuo ipsarum consensu seu petitione, quamvis etiam probationibus renuntiare possunt, quo casu judex statim partes citare poterit ad sententiam; imo, si agatur de quaestione mere juridica seu juris, probationes necessariae non sunt. Si una ex partibus sese opponat ut probationes incipiant, judex diem designabit ad cognoscendum hoc incidens, et auditis, si compareant, defensoribus utriusque partis, sententiam super eo feret, quae, si negativa admissionis ad probandum sit, ab ea appellari poterit quoad utrumque effectum, secus non (Art. 550, 551 et 552 *Leg. Proc. Civ.*).

III. **Termini probatorii.**—Terminus probatorius, seu dilatio probatoria est trium mensium, quoties testes et probationes sumendae sunt ex eadem provincia, ubi lis pendet; sex mensium, si ex aliena provincia, continentis tamen; et novem mensium, si ex ultramarina provincia; sed haec lex a jure romano desumpta, tantum inservire poterit judici ad criterium juridicum concipiendum hac in materia; nam, ut alibi diximus, hodie designatio temporis relinquitur prudenti judicis arbitrio, qui tamen servare debet aequalitatem inter litigantes. Sed ne lites in infinitum protrahantur, regulariter una tantum dilatio probatoria est concedenda. Dixi *regulariter;* nam auctores ex benigna interpretatione cc. 15 et 55 de *testibus*, quae proprie loquuntur de testibus, excipiunt hunc duplicem casum, in quo secunda et tertia dilatio probatoria concedi potest, immo et quarta, seu potius tertiae prorogatio, si is, qui eam petit, cum juramento protestetur se ob necessitatem, non vero in fraudem, judicii novam

dilationem expostulasse. Hi casus sunt: 1.° cum ob legitimum impedimentum probatio, durante prima dilatione, parari non potuit, quod tamen impedimentum demonstrandum est. 2.° Cum nova documenta emerserint et novae cognitae fuerint probationes, quae adhuc enucleandae et ordinandae sint, sed de hujus rei veritate juramentum praestare debet, qui dilationem postulat (C. 4 *de Except.*) (1).

IV. **Principia omnibus probationibus communia.**— 1.° *Quoad obligationem probandi*, hoc onus incumbit in genere illi, qui aliquod factum allegat in propriam utilitatem et alienum praejudicium; unde incumbit actori quoad suam intentionem, nisi fundata haec sit in ipso jure, et reo quoad exemptiones ab ipso propositas ad infirmandam intentionem actoris (C. 36 *de Jurejur.*; c. 3 *de Probat.*). 2.° *Quoad tempus*, jure canonico, pendente dilatione probatoria, proponi et exequi possunt omnia probationum genera, dummodo pertinentia sint ad rem de qua agitur, sed non admittuntur ordinario post conclusionem in causa. 3.° *Quoad modum*, omnes probationes fieri debent coram Notario, ejusque defectu, coram duabus personis idoneis, praevia partium citatione cum praelatione 24 saltem horarum; litigantes enim cum suis advocatis, si velint, possunt ipsis concurrere. Probationes exequendae sunt ordine quo praesentantur, ad quod judex, si opus fuerit, mandata compulsorialia, vel litteras supplices, hortatorias aut edictales consignabit, si extra locum judicii probationes fieri debeant (2).

---

(1) Jure civili hispano judex excedere non potest terminos a lege praescriptos nisi ob vim majorem inutiles evaserint. Dilatio ordinaria *ad probationes proponendas* est 20 dierum, ad *eas exequendas* seu producendas 30 dierum. Dilatio extraordinaria, si exequendae sint probationes extra Peninsulam, insulas abjacentes et possessiones septemtrionales Africae, vel, si ab illis regionibus vocandi sint testes, est quatuor, sex vel octo mensium pro ratione distantiarum. (*Lex Proc. Civ.* Art. 553 ad 561 inclusive).

(2) Id. jure civili hispano (SS. Trib. Supr 14 Mart. 1870, 18 Nov. 1887 et 18 April. 1877; art. 566, 569 et 570), sed cum hac differentia: quod jure civili non licet probationem proponere, quae allegata non sit in scriptis *replicationis* vel *duplicationis* cum punctum litis definitive determinatum est, nisi postea factum in litem influens occurrerit, vel tunc primum ipsius notitiam partes habuerint, quod juramenti fide confirmare tenentur, tunc enim illud in scripto *ampliationis* dicto allegare per articulos poterunt.

Punct. II.—de testibus (1)

Circa testes sunt videnda eorum: I. Natura, divisio et qualitates II. Productio. III. Juramentum. IV. Examen. V. Probatio. VI. Attestationum publicatio. VII. Exceptiones contratestes.

I. **Natura, divisio et qualitates testium.**—1.° *Natura.* Testium nomine veniunt personae ad fidem alicujus rei faciendam adhibitae.

2.° *Divisio.*—**a)** Ratione causae pro qua adhibentur, in *testamentarios*, *instrumentarios* et *judiciales*, prout in testamento, instrumento vel judicio adhibentur.

b) Ratione fontis seu scientiae in testes de *scientia*, si factum ex se cognoverunt, id est mediante aliquo corporeo sensu proprio et apto ad facti experientiam et notitiam habendam; *de credulitate*, si ex conjecturis et praesumptionibus arbitrantur ita et non aliter rem se habere; *de auditu*, si deponunt facti narrationem se accepisse ab hominibus fide dignis; *de fama*, si referunt et deponunt aliquam opinionem et credulitatem in populo vigere.

c) Ratione qualitatum, in testes *omni exceptione majores*, contra quos, scilicet, et contra quorum dicta vel deponendi modum nulla legitima exceptio allegari potest, et *non majores* qui minorem nempe fidem merentur, sed quorum defectus aliis adminiculis suppleri possunt, unde in certis casibus testificari queunt. Juxta communem sententiam omnis testis idoneus est omni exceptione major, at alii contrarium tenent, eo quod hic comparative dicatur, ille positive, quod quidem minorem qualitatem importat.

3.° *Qualitates.*—Testes debent esse *idonei*, id est, ut a testimonio ferendo in judicio a jure non repellantur,

---

intra primum terminum probatorium, et hujus scripti copia per tres dies parti adversae tradenda est ut fateatur vel impugnet, facta, etiam aliis factis tunc primo allegatis. Post haec, probationes limitantur ad probationes allegatas in scriptis petitionis et contestationis litis, replicationis, duplicationis et ampliationis (Art. 563, 564 et 565 L. P. C.).

(1) De testibus et attestationibus inscribitur titulus XX lib. II *Decret.*

fideles, et *jejuni*, sed postremum de congruo tantum, nam praeceptum illud per desuetudinem ablatum est.

A testimonio vero ferendo in judicio repelluntur: **a)** *Ex defectu sufficientis usus rationis*, infantes, perpetuo fatui, minores, praecipue impuberes, mulieres in criminalibus, aliique inexperti et similes dum interrogantur de iis, quae illorum captum excedunt.

b) *Ex defectu externi sensus*, caeci in iis, quae a visu pendent; surdi in iis, quae ab auditu; sed non muti tantum, qui testes esse possunt de visu et auditu.

c) *Ob reverentiam*, parentes ordinario cogendi non sunt testificari contra filios, neque filii contra parentes, nisi de crimine haereseos agatur.

d) *Ob culpam*: 1.° Infames tum infamia juris, tum infamia facti; sed postremi admitti possunt ad testificandum post emendationem, et etiam ante eam valet eorum testimonium, nisi a judice vel parte adversa repellantur, et omnes denique infames testificare possunt in criminibus exceptis, si veritas aliter obtinere nequeat, vel si infamia sit occulta, aut si restituta fama sit a potestatem habente. 2.° Criminosi, quibus grave crimen ab adversa parte objicitur et in judicio probatur. Excipe causas summarias, vel si pars contraria nihil opponat, aut si testis vocetur ad probandam rei innocentiam, vel si alii testes nequeant adduci. 3.° Accusati de gravi crimine infamiam irrogante dum pendet accusatio, praeterquam in criminibus exceptis. 4.° Perjuri, licet emendati, excepto in haeresis crimine. 5.° Excommunicati, nisi in favorem fidei contra haereticos; in aliis casibus, si tolerati non sint, repelli debent a judice; secus repellere quidem illos potest judex, si excommunicatio sit publice nota; ad id tamen non tenetur, nisi pars adversa exceptionem excommunicationis opponat.

e) *Ob praesumptionem, suscipionem et timorem falsitatis.* —Inimici capitales, parentes, consanguinei, affines, conjuges pro se invicem, domestici, subditi, familiares, amici intimi, quamvis non omnino, personae valde pauperes aut viles, nisi sint vitae honestae et bonae famae, et omnes qui interesse habent in testimonio ferendo vel non ferendo. Sed, ii omnes admitti possunt quando non adest praejudicium tertii, et in genere quando cessat, ob aliquam circumstantiam, motivum suspicionis, vel in negotiis in quibus aliter nequeat veritas obtineri (1).

(1) Jure civili hispano a testificando repelluntur ob incapacitatatem naturalem comprehensi art. 1246 Cod. Civ., nempe: «1.° Fatui vel amentes. 2.° Caeci surdique, iis in rebus quarum cogni-

II. **Productio testium.**—Testis ultroneus, hoc est, non citatus nec a parte productus, tamquam suspectus repellendus est; unde necessaria est testium productio. Videamus ergo: 1.° quid sit; 2.° quando facienda; 3.° quomodo, et 4.° cujusnam sumptibus.

1.° *Quid sit.*—Productio testium est petitio alicujus ex collitigantibus judici oblata, ut ad propriam actionem, vel propriam exceptionem probandam audiat unum vel plures testes, quos nominatim designat. Produci nequeunt ultra quadraginta testes, ne lites perpetuentur (C. 33 *de Test. et attest.*).

2.° *Quando.*—Testes regulariter producendi sunt post litem contestatam intra terminum a judice praefixum, et tantum ter; quarta enim productio non admittitur, nisi ex justa causa et praestito juramento super his tribus punctis: 1.° quod petens testificata non suppresserit vel celaverit; 2.° quod priores depositiones non exploraverit, et 3.° quod malitiose istam quartam productionem non petat, sed quia testes istos antea producere non potuit (C. 15 et 55 *de Test. et attest.*). Testes iidem semel producti, possunt in eodem judicio super iisdem articulis iterato produci, dummodo producens alteri productioni non renuntiaverit, vel priora testificata non didicerit (C. 46 *de Test. et attest.*).

3.° *Quomodo.*—Ad testium receptionem citari debet pars adversa, nisi agatur de causis summariis aut haeresis, vel de peccato vitando vel periculum sit in mora (C. 20 h. t. et c. 20 t. II. lib. V in 6.°). Partes vero citatae admitti quidem debent, ut videant testes recipi et jurare; non vero, ut eorumdem audiant testimonia; nam judex secreto illos examinare debet. Si pars citata non compareat ex culpa sua, testes recipiendi sunt et exa-

---

tio a visu vel auditu dependeat. 3.° Minores 14 annis». Ob dispositionem legis inhabiles sunt: «1.° Omnes quorum directe interest lis seu causa. 2.° Ascendentes in causis descendentium et vicissim. 3.° Socer vel socrus in causis generi vel nurûs aut vicissim. 4.° Maritus in causis uxoris, et vicissim. 5.° Qui ratione status vel muneris, secretum servare tenentur, quoad res ad munus vel statum spectantes. 6.° Specialiter inhabiles declarati ad testandum super quibusdam actibus. Disposita in n. 2.°, 3.° et 4.° minime applicanda sunt causis, in quibus agatur de probando filiorum ortum vel obitum, aut quodvis familiae factum per alia media probatu imposibile». (C. C. Art. 1247)

minandi, etiam absente parte, modo lis sit contestata. Si non compareat ob legitimum impedimentum, quod judici constet, receptio testium et omnia acta sunt ipso jure nulla, et, si impedimentum ignoretur, rescindi poterunt ad petitionem partis, saltem per restitutionem in integrum, si legitimi impedimenti probetur existentia (C. 2. h. t.).

4.° *Cujusnam sumptibus.*—Productio facienda est sumptibus producentis, quos tamen victori refundere tenetur victus, nisi expensarum compensatio utrimque sit facta (C. 11 *de Rescriptis* in 6.° (1).

III. **Juramentum testium.**—Juramentum de veritate dicenda praestandum est ante omnem testimonii actum, etiam a clericis, Episcopis, Cardinalibus et religiosis (CC. 17, 29, 39 et 51 huj. tit.), et quidem *praesente utraque parte*, si quidem pars vocata contumaciter non abfuerit, *coram judice* causae vel instantiae, aut hujus commissario, *in loco judicii*, nisi testes sint personae valetudinariae, senes aut debilitate confectae (C. 8 *de Test. et attest.*), vel personae *egregiae*, quae domi suae jurare et deponere valent, et *tactis* evangeliis, nisi alius modus consuetudine introductus sit (2).

Testes jurant se nec odio, nec amicitia aut favore, vel aliquo commodo habito aut habendo inductos fuisse ad testificandum, sed solo veritatis amore motos, seque veritatem juxta suam conscientiam ad articulos et interrogatoria sibi proponenda fideliter esse dicturos. Hoc juramentum iterandum est quoties idem testis in eadem causa et instantia examinatur, secus fit, si testis repetatur tantum ad declarationem eorum, quae dixit in primo examine, nec quidquam addens vel minuens.

IV. **Examen testium.**—Examen instituitur a judice vel ejus delegato in loco judicii, nisi qualitas personarum aliud postulet, die non feriatâ, post praestitum juramentum, quamvis aliqua mora intercedere potest. Non simul, sed separatim et secreto examinandi sunt

(1) Idem jure civili hispano (Art. 644 L. P. C.); sed, si numerus testium productorum excedat sextum, quoad excessum, expensae semper erunt producentis (Ibid. Art. 645).

(2) Id. jure civili hispano (Art. 647 et 655).

testes a judice coram solo notario; alias nullum foret testis examen (1).

Quoad modum, judex proponit testibus interrogatoria super articulis, primum generalia, deinde specialia, numquam autem suggestiva. Hujusmodi interrogatoria praesentari possunt a partibus in ipsis scriptis in quibus productionem testium petunt et eorum album praesentant. Clausa sint oportet, et adaperienda tantum in actu examinis: si vero, aperta tradantur, a judice custodiri debent sub sua sponsione. In primis, judex interrogare debet circa nomen, aetatem, conditionem, habilitatem, conjunctionem cum collitigantibus, an commodum habeat in causa, vel aliam habeat causam assimilem. Deinde ei proponuntur singuli articuli interrogatoriorum, qui ad causam pertinentes sint, primo partis producentis, deinde partis adversae, quibus et alias interrogationes ex officio addere potest ipsemet judex, inter quas, causa scientiae, testis credulitas vel certitudo, et rei circumstantiae, ut locus, tempus, etc. omittendae non sunt. Testis vero respondebit clare, certe, conformiter articulo et interrogationi, et viva voce, sibique constans esse debet. Has omnes depositiones, servatis, quantum possibile est, ipsis testium verbis, actuarius annotat, et ex protocollo testi praelegit, si ipse testis nesciat aut nolit eas legere, ut perpendat hic, an recte responderit vel intellectus fuerit, quia tunc adhuc dicta corrigere potest. Tandem, imponitur testi silentium de sua depositione, etiam sub juramento, si ita est consuetudo, et subscribunt testis si sciat, Judex et Actuarius (2).

V. **Probatio testium.**—Videamus: 1.° quot requirantur ad probandum; 2.° quantum probent testes singulares, et 3.° quantum probent testes sibimetipsis contrarii.

1.° *Quot requirantur ad probandum.*—Ad probandum *plene, regulariter* sufficiunt duo testes idonei *contestes*, qui sint *testes de scientia*, id est, deponentes se rem

(1) Id. jure civili hispano, sed testes quamvis separatim, at non secreto examinantur; partes enim possunt esse praesentes (Art. 646 et 642 L. P. C.).

(2) Haec omnia etiam jure civili hispano servantur (Art. 638 ad 641, et 648 ad 650 inclusive), exceptis quae referuntur, uti diximus, ad secretum examen testium. Praesentata petitione productionis testium una cum interrogatoriis, et admissis a judice interrogationibus pertinentibus, decem dies producenti conceduntur ad album testium exhibendum, annotatis ipsorum nominibus, officiis et residentia; copia albi testium tradenda est collitiganti, et judex saltem ante tres dies, examinis diem et horam definiet (Art. 638, 639, 640 et 642 L. P. C.).

gestam scire, quia per sensum aptum corporeum eam perceperunt; si, vero, testentur se ab aliis fidedignis ita audivisse, tantum aliquam praesumptionem faciunt contra partem adversam; nisi simul alia indicia et conjecturae concurrant, vel agatur de iis, quae sunt difficilis probationis, aut de factis antiquis aetatem et memoriam hominum, qui modo vivunt, excedentibus, vel ad rei innocentiam probandam; multo minus probant testes de *credulitate*, tantum enim valet eorum testimonium quantum probabilis sit causa credulitatis, quam afferant.

Dixi *regulariter* sufficere duos testes; quia ad probandam culpabilitatem clericorum in causis criminalibus, praesertim Episcoporum, Cardinalium aliorumque in ecclesiastica dignitate constitutorum; in causis *impotentiae* matrimonii et in aliis, plures requiruntur (C. 24 *de Accus.*; c. 5 et 7 *de frig. et malef.*); et quia unus sufficit in his casibus: **a)** Si causa in nullius praejudicium cedat, sed in alicujus favorem. **b)** Si de matrimonio impediendo agatur propter impedimentum dirimens. **c)** Si de rei defensione et probanda ejus innocentia, dummodo in contrarium non exstent alii testes. **d)** Si officialis aut minister publicus testetur de actu ad suum officium pertinente, a se posito.

Dixi *contestes*, ob testes *singulares* et *contrarios*, de quibus loquemur. Ad probandum *semiplene* requiritur et sufficit unicus testis omni exceptione major.

2.° *Quantum probent testes singulares.*—Singulares *singularitate adversativa*, id est, contrarium ad invicem deponentes, *nihil* probant: *singularitate cumulativa*, id est, deponentes de actibus diversis, sed ad eumdem finem tendentibus, seseque mutuo adjuvantibus, in *civilibus* aliquando *semiplene*, ita ut locus sit juramento suppletorio, aliquando etiam *plene*; et in *criminalibus* viam pandunt inquisitioni *speciali*, et aliquando sufficiunt ad poenam extraordinariam infligendam: *singularitate diversificativa*, id est, in factis sibi invicem nec contrariis nec juvantibus, tantum *semiplene* probant.

3.° *Quantum probent testes sibi contrarii.*—Si contrarietas sit in diversis testibus ab *eodem* productis, judex ad numerum et dignitatem testium et ad probabilitatem dictorum attendet, et, ceteris paribus, iis fidem faciet, qui rationabilius et verisimilius deponant; alios

vero, quorum testimonium reprobat, perjurii poena multabit. Si contrarietas sit in diversis testibus a *diversis* partibus productis, ceteris paribus, fides adhibenda est pro reo deponentibus, nisi causa actoris sit specialiter favorabilis, ut causa pia, matrimonii, libertatis ecclesiasticae, pauperum, etc.; si testes hinc et inde producti fuerint impares, praefertur pluralitas, dummodo aliunde sint ejusdem honestatis et existimationis et aeque verisimilia deponentes; quae omnia prudenti judicis arbitrio relinquuntur.

Si contrarietas sit in eodem teste, videndum est an dictum revocet *incontinenti*, antequam a judice recedat, quo casu declarationi posteriori adhibenda est fides; vel post *intervallum*, seu post recessum a judice, quo casu, si unum dictum judiciale sit et alterum extrajudiciale, judiciali standum est; si vero utrumque dictum sit judiciale, priori standum; nisi: **a)** testis causam probabilem erroris afferat et aliunde non sit suspectus; vel **b)** dictum posterius aliis conjecturis et praesumptionibus adminiculatum sit; aut **c)** primum judicium invalidum fuerit (1).

VI. **Publicatio attestationum.**—Publicatio attestationum habetur, cum, citatis collitigantibus jamque praesentibus, vel alterutro ex eis contumaciter absente, judex per se vel per notarium suum legit aut in scriptis communicat, quidquid singuli testes ad singula puncta quaestionis responderint. Hujusmodi publicatio est de *justitia*, sed non de *substantia* processus; unde valida erit sententia, si omittatur, quamvis possit ab ea appellari; et nonnisi consentientibus partibus fieri potest (C. 2 et 30 *de Test. et attes.*).

Effectus hujus publicationis sunt: 1.° Ut generatim deinde neque adducti testes neque novi possint supra iisdem articulis produci (CC. 17, 18 et 19 h. t.), nec in

(1) Jure civili hispano hoc tantum statuitur: «Judices et tribunalia appretiabunt vim probatoriam declarationum testium juxta regulas sanae criseos, ad quod prae oculis habere debent causam quam dederint scientiae, aliasque circumstantias in ipsis concurrentes. Attamen, quum testium numerum vel qualitatem lex determinat tamquam solemnitatem, vel specialem circumstantiam actus cui refertur, servari debet dispositum illo casu» (L. P. C. Art. 659).

gradu appellationis (Clem. 2. h. t.); produci vero possunt super diversis articulis vel capitulis (CC. 17 et 25 h. t.).

Etiam super iisdem articulis possunt veteres et novi produci: **a)** si propter malitiam aut negligentiam judicis aut ejus commissarii, testes non fuerint sufficienter excussi (C. 48 h. tit.). **b)** Si nulla fuit ob juridicum defectum ipsa testium receptio, aut amissae fuerint priores attestationes absque culpa producentis (C. *ult. de Probat.*). **c)** In causis, in quibus, ob periculum animae vel vitae hominis, sententia numquam transit in rem judicatam. **d)** Quando judex ad dubia exorta solvenda reputat necessarium novum testium experimentum (C. 10 de *Fide Instr.*).

2.° Secundus effectus est, ut attestationes receptae et publicatae in uno judicio, vim habeant etiam in alio inter easdem personas, si contra testes nulla facta sit et probata exceptio (C. 11 h. t.).

3.° Tertius, qui ex dicendis patebit, est, quod facta publicatione, regulariter non admittantur exceptiones contra personas testium.

VII. **Exceptiones contra testes.**—Possunt esse *contra personas testium*, opponendo eos non esse idoneos; *contra eorum examen*, si forma praescripta peractum non sit, et *contra dicta testium*, revelando ipsorum testimoniorum defectus, vel allegationes testium repellendo per contraria testimonia. Duae postremae proponuntur post publicationem attestationum, ideoque, facta publicatione attestationum, eisque praefigitur terminus ad has exceptiones opponendas. Prima, ante dictam publicationem facienda est, non post illam, nisi: 1.° quis juramento affirmet quod malitiose non excipiat, vel 2.° sibi reservaverit jus excipiendi, vel 3.° probet causam excipiendi primo post publicationem innotuisse (C. 31 h. t.). Sed hujus exceptionis discussio rejicienda est ad finem litis (C. 7 h. t.), nisi exceptio fundata sit in praesumptione juris, aut sit notoria, ita ut incontinenti possit probari, vel testis sit excommunicatus vitandus (C. 7 h. t. et c. 2 *de Excep.* in 6.°). Ad hujusmodi exceptionem probandam admittuntur alii testes ab excipiente producti, qui dicuntur testes *reprobatorii*, et insuper, ad elidendam vim istorum et probandam idoneitatem priorum testium, alii admittuntur dicti *reprobatoriorum reprobatorii*; sed

omnino prohibentur ulteriores reprobationes (C. 49, h. tit.) (1).

Punct. III.—De fide instrumentorum (2)

I. Natura et divisio instrumentorum. II. Probatio instrumentorum. III. Productio instrumentorum. IV. Ipsorum impugnatio.

I. **Natura et divisio instrumentorum.**—1.° *Natura.*—Instrumentum *proprie* est scriptura ad probationem alicujus rei confecta; *improprie* sumitur pro omni eo, quod causam instruit.

2.° *Divisio.*—Instrumentum dividitur in *publicum*, quod manu publica seu per Notarium publicum cum legitimis solemnitatibus confectum est; et *privatum*, quod manu privata seu absque Notario publico confectum est, sive deinde sit *authentico*, id est, testium subscriptione, munitum sigillo vel alio modo legitimo ad fidem faciendam sufficiente, sive non; quamvis enim instrumentum publicum et authenticum saepe confundantur, immo in effectu fere nihil differant, in se tamen differunt sicut genus et species, quia omne instrumentum publicum est authenticum; sed non e contra. *Publicum* subdividitur in *protocollum*, quod est scriptura prima et brevis summatim continens capita substantialia rei gestae, et *transumptum*, quod est scriptura plena et fusa, quae superiore totâ gestâ conficitur; sic dicta, quia est ex protocollo transumpta.

II. **Probatio instrumentorum.**—Instrumenta quoad probationem possumus considerare: 1.° in seipsis; 2.° in concursu cum instrumentis contrariis; 3.° casu quo perierint.

(1) Jure civili hispano exceptiones contra personas testium fieri possunt intra quatuor dies insequentes conclusioni depositionum testium alterutrius partis, et in ipso scripto incipiente per verbum *Item (Otrosi)* indicari debet probatio exceptionis. Etiam pars adversa impugnare poterit exceptionem praedictam intra tres dies sequentes illi, quo tradita ipsi fuerit copia scripti exceptionis, et eodem modo per *Item* suas probationes indicabit. Admissis a judice, quae pertinentes sunt, exequuntur probationes intra secundum terminum probatorium, qui, si necessarium fuerit, ad hunc tantum effectum prorogari poterit a judice, sed non ultra decem dies (Art. 660 ad 665 inclusive *Leg. Proc. Civ.*).

(2) Ita inscribitur titulus XXII Decretalium.

1.° *Instrumenta seorsim considerata*, si sint publica, vel quamvis privata, authentica tamen, plene probant. Excipe *protocollum*, si partes contrahendo non aliter sese velint obligare, nisi confecto pleno instrumento. *Privata non authentica* regulariter nihil probant in favorem scribentis vel ejus haeredum, nec pro vel contra tertium. Excipe: **a)** litteras missivas acceptatas ab eo, cui scriptae sunt, et non remissas; **b)** litteras cambii acceptatas. Probant vero contra scribentem, si recognitae sint et causam debiti exprimant.

Pro authenticis habentur: 1.° Acta publica judicialia protocollata. 2.° Acta publica extrajudicialia, seu monumenta gesta coram judice jurisdictionem voluntariam exercente. 3.° Scripturae productae ex archivo publico, auctoritate summi Principis erecto; at scripturae productae ex archivis privatis religiosorum, nobilium et minorum communitatum, cum hujusmodi archiva non erigantur pro scripturis asservandis ad probationem, sed ad posterorum instructionem, plerumque tantum probant, si a subdito contra subditum producantur. 4.° Scripturae a privatis confectae, munitae sigillo authentico Principis, Episcopi, Civitatis vel alterius Communitatis (C. 23 *de fid. instrum.*); non tamen probant pro sigillante, nisi esset summus Princeps. 5.° Libri parochiales, in quibus notantur baptismata, matrimonia et funera parochianorum et transumptiones ex illis a parocho exceptae, plenam fidem faciunt, etiam in foro saeculari hispano, nisi evidenter probetur contrarium (Conc. Trid. CC. 1 et 2 sess. 24 de Ref.; art. 596 n.° 6.° L. P. C.). 6.° Libri publicorum officialium in iis, quae ad eorum officium spectant. 7.° Scriptura privata subscripta saltem a duobus testibus, qui subscriptionem et sigillum recognoscant (1).

---

(1) Mutatis mutandis eadem principia statuuntur art. 596 *Leg. Proc. Civ.*, et in *Codice civili* haec principia expressius explicantur. En tibi ea: 1.° Instrumenta publica plene probant, etiam contra tertium, circa factum, quod scripturae occasionem dedit et circa diem confectionis. Ipsis fides adhibenda est hoc ordine: **a)** scripturae originali seu transumpto; **b)** protocollo; **c)** primis copiis a Notario, qui scripturam perfecit, confectis; **d)** copiis, ex mandato judicis, et citatis interesse habentibus confectis; **e)** copiis sine mandato judicis, sed praesentia et conformitate partium exaratis; **f)** aliis copiis a 30 vel amplius annis confectis, si ab originali translatae sint a Notario *auctorizante*, vel ab alio, cui scripturae originalis custodia commissa fuerit. Copiae minoris antiquitatis vel a Notario confectae, praedicta requisita non habentes, fidem plenam non faciunt. Juxta postremam regulam judicandum est de

2.° *Si concurrant instrumenta contraria* et ab eadem parte producantur, vel, si idem instrumentum contineat in se vere contraria et inconciliabilia, rejici debent, quia nihil probant. Si actoris et rei sint instrumenta contraria, praefertur dignius, ut publicum privato; si vero aequalis sint auctoritatis, neutri creditur, et reus absolvitur, ni actor habeat causam favorabilem.

3.° *Si instrumentum periit* casu fortuito, actor probare debet casum fortuitum et simul tenorem instrumenti per testes, qui dicant se vidisse et legisse instrumentum nullo vitio laborans, et tunc, si testes sint ipsimet testes instrumentarii plene probabunt; secus, tantum semiplene. Si instrumentum periit proprio actoris facto, praesumptio liberationis stat pro reo, donec probetur contrarium; at si facto rei instrumentum laceratum, corruptum vel subtractum sit, hoc probato, sufficit ut actor solo juramento probet instrumenti tenorem.

III. **Productio instrumentorum.**—*Producere* instrumenta est illa in judicio exhibere ad probandam suam intentionem; *edere* vero, est illa ad describendum communicare adversae parti coram judice. Videamus: 1.° quando; 2.° quomodo producenda sint instrumenta, et 3.° editionem instrumentorum.

1.° *Quando sunt producenda.*—Regulariter post litem contestatam usque ad conclusionem in causa (c. 9 h. t.), nam sunt species probationis (1).

---

instrumentis deperditis in publico archivo inscriptis. 2.° Scriptum vitio substantiali laborans vim instrumenti privati habet, si subscriptum sit a partibus. 3.° Instrumentum privatum legitime recognitum publico instrumento aequiparatur quoad eos, qui illud subscripserunt et ab iisdem causam habentes. 4.° Aliae scripturae privatae fidem faciunt tantum contra scribentem, sed, qui illis uti velint, eas acceptare debent tum pro se cum contra se. 5.° Cui in judicio aliqua obligatio a se subscripta opponitur, declarare debet, num sua sit subscriptio; et ab eo causam habentes, num sciant illius esse vel non, et hoc sub poena ut pro confessis habeantur. 6.° *Data* privati instrumenti quoad extraneos non computatur, nisi a die inscriptionis in publico archivo, aut mortis alterutrius subscribentium, aut ex quo traditum fuit publico officiali. 7.° Instrumenta privata ad modificandum pactum per scripturam publicam confectum, tertio non nocent, immo nec ipsae publicae scripturae nisi in ipsis contentum in archivo publico notetur, vel in margine transumpti et copiae (C. C. Art. 1216 ad 1230).

(1) Vid. notam oppositam § II art. I hujus tit. p. 530. Instru-

2.° *Quomodo producenda sint instrumenta.*—Instrumentum, habens plura capitula non connexa, totum integraliter coram judice et parte adversa praelegendum est, ut plene illius tenor percipiatur, quo sensu procedit c. 6 *de Privil.* in 6.°; sed totum non est edendum adversae parti, bene vero, quoad capitulum de quo controvertitur, et hoc sensu procedit c. 5 h. t.

3.° *Editio instrumentorum.*—Reus sua instrumenta, quibus in judicio non est usurus, non tenetur edere actori (C. 1 *de Probat.*), nam actor debet venire paratus ad judicium, neque arma mendicare debet e domo adversarii. Excipe: **a)** instrumenta communia utrique parti, sive ratione proprietatis, sive materiae, ut testamenta inter cohaeredes et legatarios, sive ex natura *negotii*, dum quis omnia negotia adnotat; **b)** causas privilegiatas usurarum, si usurarius neget se exercuisse usuras; **c)** si actor intentionem suam jam fundatam habeat (C. 12 h. t., Clement. un. *de Usuris.* 1.°).

IV. **Impugnatio instrumentorum.**—Instrumenta impugnari possunt: 1.° negando ipsorum authenticitatem ex defectu eorum, quae necessaria sunt ad confectionem instrumenti. 2.° Ex defectu sigilli, v. g.: quia est ignotum, fractum, noviter agglutinatum, adulteratum. 3.° Ex rasione et cancellatione in loco substantiali. 4.° Si testes instrumentarii omnes vel plerique dicant se non interfuisse actui, vel aliter esse scriptum quam gestum.

Instrumenta publica, quae in judicio producuntur, si a parte adversa impugnentur, ut fidem plenam faciant, necesse est, ut cum suis originalibus compulsentur, ad quod judex ad instantiam partis mandatum compulsoriale vel litteras compulsoriales concedet, et, vel per notarium vel per seipsum, citatis partibus ipsisque praesentibus, statuto die compulsationem faciet. Sed compulsatione non indigent: 1.° executoriae et testimonia sententiarum stabilium a tribunali, quod illas tulit, legitime expedita. 2.° Scripturae publicae, quarum protocolla disparuerunt, vel quae ob suam naturam protocollo careant, vel

---

menta privata sicut et litterae quaecumque in suo originali judicio praesentari debent jure civili hispano; sed, si efforment partem alicujus libri, processus vel litterarum fasciculorum, aut apud tertium sint qui illa relinquere nolit, sufficiet ea per exhibitionem praesentare, ut testimonium ponatur eorum, quae interesse habentes indicaverint (Art. 602 L. P. C.)

inscriptioni in publico archivo subjectae non sint. Tamen in hoc casu potest peti litterarum compulsatio, sicuti in documentis privatis, quae a praejudicato non recognoscantur. Ad hanc compulsationem faciendam, pars, quae eam petit, designare debet indubitata documenta, quibus comparatio institui potest. Indubitata vero sunt: **a)** quae ex conformitate partium alia considerantur; **b)** scripturae publicae et solemnes; **c)** documenta privata, quorum subscriptio in judicio recognita sit ab eo, cui dubia subscriptio tribuitur; **d)** ipsa scriptura impugnata quoad partem recognitam ab eo, cui praejudicium fert. Horum mediorum defectu, pars cui tribuitur, ad petitionem alterius, obligari poterit ad scribendum, quod in actu ei judex dictet, sub poena ut pro confessa habeatur. Haec est praxis, quae viget etiam in foro saeculari hispano ex articulis 597 ad 608 inclusive *Leg. Proc. Civ.*

Punct. IV.—de indiciis et praesumptionibus

I. **De indiciis.**—Videbimus: 1.° naturam et divisionem, et 2.° quantum probent indicia.

1.° *Natura et divisio indiciorum.*—**a)** *Indicium* est factum aliquod sensibile vel res sensibilis, ex qua per consequentiam verisimilem deducitur veritas rei principaliter intentae; unde differt a praesumptione tamquam causa ab effectu, indicium enim est signum seu medium, ex quo tamquam ex causa oritur praesumptio.

b) Dividitur: 1.° in *plenum* seu *indubitatum*, quod aptum est animum movere ad plenum assensum, seu quod moralem inducit certitudinem, et *semiplenum*, quod aptum est suspicionem aliquam aut opinionem tantum gignere; 2.° in *proximum*, quod magis aptum est ad rem demonstrandam, et *remotum*, quod minus idoneum est ad idem; 3.° in *leve*, quod suspicionem; *grave*, quod opinionem, et *gravissimum*, seu indubitatum, quod certitudinem moralem gignit.

Uti *levia* habentur: 1.° mala fama in genere, dummodo orta sit ex aliqua verisimili causa, ratione vel conjectura, et ortum habeat a personis honestis et fidedignis et ante rei inquisitionem viguerit, sitque eadem in toto populo; 2.° manifestatio complicis a reo facta, necnon dictum socii criminis, nisi accedant alia adminicula; 3.° testimonium unici testis inhabilis; 4.° testimonium inimici capitalis contra reum, nisi accedant alia adminicula; 5.° rei inconstantia, variatio, mendacium, turbatio, mala physiognomia, nisi concurrant alia admini-

cula; 6.° rei fuga, nisi reus justam discedendi causam habeat, vel nisi postea se sponte praesentet.

Ut *gravia* habentur: 1.° minae, secuto delicto, respectu personae contra quam illatae sunt; 2.° res furata apud reum reperta, vel inventio rerum ipsius rei in loco delicti; 3.° cadaver occisi in alicujus domo repertum, vel in loco domui contiguo.

Uti *gravissima* plura assignantur in materia haeresis et generatim in materia criminali, ut est deprehensio rei in actu, qui proximus est delicto; et in materia civili innumera esse possunt, juxta diversitatem causarum.

2.° *Quantum probent indicia.*—Supposita plena probatione vel evidentia facti indicium constituentis, *levia* parum vel nihil probant; unde in causis criminalibus regulariter tantum sufficiunt ad inquisitionem generalem; *gravia* semiplene probant; unde in civilibus deserviunt ad juramentum suppletorium deferendum et in criminalibus ad citandum aliquem, eumque uti reum examinandum; *gravissima* plene probant in civilibus, at in criminalibus tantum sufficiunt ad condemnandum poena extraordinaria.

II. **De praesumptionibus** (1).—Videbimus: 1.° naturam et divisionem; 2.° quantum probet praesumptio, et 3.° regulas praesumptionis

1.° *Natura et divisio praesumptionis.*—Praesumptio est judicium ex aliquo signo seu indicio verisimili ortum, et probationis loco allegatum, aut a judice assumptum ad adstruendam rei dubiae fidem. Dividitur in praesumptionem *juris*, quae legibus est expressa, et *hominis*, quae nullo jure est expressa, sed quam concipit homo ex facti qualitate et circumstantiis, aliquid judicando et assumendo pro vero, donec contrarium demonstretur.

Praesumptio juris alia est *juris tantum*, quae pro veritate habetur donec contraria probatione, vel fortiori praesumptione elidatur, alia *juris et de jure*, quae regulariter probationem in contrarium non admittit, saltem directam. Praesumptio hominis triplex est: *levis* seu *temeraria*, quae ex levibus variisque indiciis oritur; *probabilis*, quae ex verisimilibus et frequenter conjunctis cum eo quod praesumitur, et *vehemens* seu *violenta*, quae ex multis indiciis vel ex uno valde efficaci et veritati proximo formatur.

(1) Ita inscribitur titulus XXIV Decretalium.

2.° *Quantum probet praesumptio.—Levis* nihil, sed a jure reprobatur; *probabilis* semiplene; *vehemens* plene in causis civilibus. An idem dicendum in criminalibus, alii simpliciter negant, sed absolvendum reum docent; alii simpliciter affirmant, et ideo posse damnari poena ordinaria; alii autumant ex illis posse reum damnari tantum poena mitiori seu extraordinaria; alii negant, si agatur de causa capitali, et affirmant, si de minori causa sermo sit; alii demum negant nisi praesumptiones sint vehementissimae, cum hae potius sint cognitiones certae. Praesumptio *juris tantum* liberat eum, in cujus favorem stat, a probandi necessitate, illamque in adversarium transfert. Praesumptio *juris et de jure* ita pro veritate habetur, ut non admittat probationem directam in contrarium, dummodo revera adsint omnes qualitates et circumstantiae ad hanc praesumptionem constituendam; unde juxta praesumptionem hujusmodi ferri potest sententia, nec contra eam datur appellatio.

3.° *Regulae praesumptionis.*—Aliae sunt pro praesumptionibus in seipsis consideratis; aliae pro concursu plurium praesumptionum.

a) *Primi generis* sunt: 1.ª Praesumptiones non violentae ducuntur ex communiter contingentibus; violentae vero nonnisi ex violentis ac vehementissimis conjecturis. 2.ª Qualitas, quae homini naturaliter inest, semper adesse praesumitur, non ita qualitas extrinseca. 3.ª Qualis res est, si talis manere possit, praesumitur adhuc talis esse, et talis mansura, nisi probetur mutatio. 4.ª Facta, de quibus dubium est, quonam animo acta sint, in meliorem partem interpretari debent. 5.ª Quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus.

b) *Concurrentibus pluribus praesumptionibus*, quae inter se pugnant, fortiores debilioribus praevalent. Ut autem cognoscatur, quaenam sit fortior, hae regulae sunt in praesto: 1.ª Ceteris paribus fortior est, quae stat pro valore actus. 2.ª Praesumptio pro parte benigniore praevalet contrariae. 3.ª Praesumptio, peccatum excludens, vincit praesumptionem, quae illud supponit. 4.ª Praesumptio, per quam magis animae consulitur, fortior est contraria. 5.ª Fundata in illis, quae sunt de substantia actus, praevalet illi, quae in solemnitatis defectu fundatur. 6.ª Fundata in naturali impotentia praevalet

fundatae in conjecturis humanis. 7.ª Specialior praevalet magis generali. 8.ª Praesumptio quod quis voluerit operari secundum jus commune, praevalet praesumptioni quod voluerit operari secundum jus speciale.

PUNCT. V.—DE JURAMENTO LITIS DECISORIO ET SUPPLETORIO

I. Natura et divisio juramenti. II. Juramentum litis decisorium. III. Juramentum suppletorium.

I. **Natura et divisio juramenti.**—In ordine ad judicium triplex adest juramentum: *voluntarium*, nempe, *judiciale*, seu *litis decisorium*, et *necessarium* seu *suppletorium*. Omnia autem conveniunt in eo, quod praestentur a parte litigante, *litis finiendae* causâ; nam adest etiam juramentum *litis aestimatorium* seu *in litem*, quo res controversa aestimatur.

Voluntarium est, quod ex conventione, pars parti extra judicium defert, sub conditione ab ulteriori processu abstinendi, si pars, cui delatum est, illud praestiterit; sed de hoc juramento jam loquuti sumus pag. 528. *Litis decisorium* est, quod, approbante judice, pars parti in judicio defert ea lege, ut, si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat. *Suppletorium* est, quod judex, cognitâ causâ, et plenae probationis inopiâ uni ex litigantibus defert.

II. **Juramentum litis decisorium.**—Videbimus: 1.° quis possit illud deferre; 2.° in quibus causis; 3.° quomodo deferatur, et 4.° effectus hujus juramenti.

1.° *Quis possit illud deferre.*—Quicumque potest pacisci et libere de re controversa disponere, actor reo et actori reus (1). Si, tamen, actor nihil omnino probaverit, nec aliqua praesumptione gravi juvatur, reo non potest juramentum decisorium deferre, sed hic absolvendus est.

2.° *In quibus causis.*—In omni causa, quae in judicio proponi potest, et in qua licet transigere; unde non potest in causis criminalibus (2), matrimonialibus, nec profesionis religiosae, si agatur de vinculo dissolvendo.

3.° *Quomodo.*—Debet deferri coram judice compe-

(1) Idem jure civ. hisp. (*Lex Proc. Civ.* art. 579 et 580).
(2) Idem jure civ. hisp. (*Cod. Civ.* art. 1237).

tente, cum ipsius approbatione, atque adversa parte vel hujus procuratore praesente (1). Modus procedendi est idem ac pro obtinenda confessione judiciali, de qua postea.

4.° *Effectus.*—Juramenti *delati* effectus est, quod debeat praestari vel referri, nisi is, cui delatum est, pro confesso haberi velit. Si referatur, ille, cui refertur, tenetur illud praestare sub eadem poena. Excipe, si petatur super facto alieno, seu quod non sit personale illius cui defertur. Juramenti *praestiti* effectus sunt: a) ejus praestatio cedit pro probatione et quidem plena, ita ut infirmet quascumque alias probationes in contrarium; et exinde jam sequitur sententia condemnatoria vel absolutoria. b) Causa jure ipso sic decisa non retractatur per instrumenta publica postea denuo reperta, nisi specialiter excipiatur in lege, vel nisi consensu ipsorum litigantium, occasione instrumentorum denuo repertorum, efficiatur, ut alia feratur sententia, per quam prior, quae in rem judicatam transierat, rescindatur (2).

III. **Juramentum suppletorium.**—Hoc juramentum defertur a solo judice, sive ad instantiam partis, sive ex officio illi parti, cui ipse judex aequius esse opinetur ad veritatem detegendam; quae delatio, si legitimis conditionibus sit munita, operatur omnimodam necessitatem illud praestandi, quin possit referri vel recusari sine justa causa; secus enim, pro confesso habetur; sed, si praestetur, imperfectam probationem integrat et perficit, ita ut sententia ferri debeat pro eo, qui juramentum praestitit.

Conditiones ut legitime praestetur, sunt: 1.ª Ut a judice deferatur, et quidem praevia causae cognitione. 2.ª Ut non agatur de causis criminalibus criminaliter actis, neque de civilibus valde arduis magnique momenti, aut de iis, super quibus transigi nequit. 3.ª Ut adsit semiplena negotii probatio, per contrarias probationes non elisa. 4.ª Ut ille, cui defertur, sit persona

(1) Idem jure civ. hisp. (*Lex Proc. Civ.* art. 581 ad 586).

(2) Idem jure civ. hisp. (*Cod. Civ.* art. 1237, et 1238 *Lex Proc. Civ.* art. 587). Sed notandum quod juramentum decisorium non facit jus nisi inter partes, quae se illi subjecerunt earumque haeredes et causam habentes. *Cod. Civ.* art. 1238.

honesta et bonae vitae, et quae veram scientiam per sensum corporeum habeat (1).

Punct. VI.—de confessione judiciali

I. Natura et divisio confessionis. II. Effectus confessionis extrajudicialis. III. Effectus confessionis judicialis. IV. Quomodo procedatur ad confessionem judicialem obtinendam.

I. **Natura et divisio confessionis.**—*Confessio* in genere est agnitio ejus quod ab adversario intenditur. Est vel *simplex*, vel *qualificata*; *judicialis*, vel *extrajudicialis*. *Simplex*, quando sine adjecta qualitate restringente reus delictum vel crimen confitetur; *qualificata*, si adjiciat conditionem vel qualitatem, per quam confessio restringatur. *Judicialis*, quae in judicio; *extrajudicialis*, quae extra judicium.

II. **Effectus confessionis extrajudicialis.**—Principium generale est, quod confessio non nocet nisi confitenti et iis, qui ab eo causam habent. Contra confitentem vero, confessio *extrajudicialis* tantum *semiplene* probat in causis *criminalibus*, dummodo per duos testes sit probata, neque sit exorta metu, minis aut persuasionibus fraudulentis; in *civilibus* vero *plene* probat, si facta sit praesente adversario vel ejus procuratore cum expressione causae, v. g.; mutui, et legitime per testes duos probetur. Si *desit* expressio causae, *non plene* probat, sed facit aliquam praesumptionem; si absente adversario, quamvis cum expressione causae, parum vel nihil probat, quia praesumitur fieri ex inconsiderantia; nisi sit jurata, vel in favorem causae piae (C. 10 *de Probat.*; c. 14 *de fid. instrum.*).

III. **Effectus confessionis judicialis.**—Confessio *judicialis*, dummodo debitas habeat conditiones, nempe: quod confitens sit habilis ad confitendum, et confessio sit libera et spontanea, clara, et facta coram judice competente, sedente pro tribunali, si de judicio ordinario agatur, sequentes producit effectus: 1.° Plenissime probat, ita ut omnes alias in contrarium probationes infir-

(1) Etiam jure civili hispano admittitur juramentum supletorium eodem modo et forma, in n.° 2.° articuli 340 L. P. C., quamvis non appelletur hoc nomine.

met, etiam praesumptionem *juris* et *de jure*. 2.° Omnes sanat ordinis judiciarii defectus, excepto defectu jurisdictionis in judice. 3.° Vim habet sententiae et rei judicatae, quamvis in criminalibus, juxta probabiliorem sententiam, adhuc necessaria est sententia definitiva. Si confessio sit *qualificata*, et qualitati annexae confessioni obstet aliqua juris praesumptio, vel quamvis non obstet, illa qualitas non sit intime connexa negotio principali, confessio admitti potest quoad substantiam, et rejici quoad qualitatem, donec illa qualitas a confitente probetur; secus nequit dividi confessio contra confitentem (1).

IV. **Quomodo procedatur ad confessionem judicialem obtinendam.**—In utroque foro procedi solet mediantibus positionibus, quas litigantes jus habent praesentandi, durante stadio probatorio, ut ab alia parte absolvantur sub fide juramenti, quod *indecisorium* dicitur, si illud deferens non renuntiet juri suo ex eo quod ab adversa parte praestetur.

Positiones in scriptis redactae, clausae judici tradi possunt, et adaperiuntur in ipso actu, quo pars adversa legitime citata comparuerit ad declarandum. Admisis tantum interrogationibus, quae pertinentes sint, judex examen perficiet. Declarans per seipsum respondere debet oretenus et coram parte adversa ejusque advocato, si adsit, et tantum uti poterit notulis ad juvandum memoriam necessariis. Responsiones affirmativae vel negativae sint oportet, quamvis explicari possint; at, si interrogationes ad facta aliena referantur, non tenebitur respondere, sed illas absolvere tunc poterit, qui personaliter facta cognoscit, dummodo declarans id postulet sub sua sponsione. Partes ipsae, si praesentes sint, possunt ad invicem interrogari sine procuratorum vel advocatorum interventu, medio tamen judice. Quoad alia proceditur ut in examine testium. Si citatus ad declarandum non compareat post secundam citationem, quin detentus sit justa de causa, vel abnuat declarare,

(1) Jure civili hispano confessio tum judicialis tum extrajudicialis probat contra confitentem; sed judicialis fieri debet coram judice competente, sub fide juramenti et praesente illo, cui proficere debet. Pariter confessio qualificata dividi nequit contra confitentem, nisi ad facta diversa referatur, vel pars ipsius aliunde probata sit, vel quoad aliquid contraria sit naturae aut legi. Quantum probet confessio extrajudicialis relinquitur prudenti tribunalium judicio. Confessio non infirmatur, nisi in ea adfuisse errorem facti demonstretur (*Cod. Civ.* Art. 1239 et 1231 ad 1235).

aut contumaciter evasive respondeat, poterit ut confessus haberi sententiâ definitivâ, sed hoc est potestativum in judice. Si justo impedimento detineatur, domi declaratio perficienda est sine concursu partis adversae, cui tamen declarationes ostendendae sunt, ut intra tres dies novam declarationem ad dubia solvenda petere possit; si vero extra territorium resideat, per litteras hortatorias, quae interrogatoria clausa comitari debent, a judice loci examinandus est (Art. 579 ad 594 *Leg. Proc. Civ.*)

PUNCT. VII.—DE PERITORUM JUDICIO ET INSPECTIONE JUDICIALI

I. **Peritorum judicium.**—Ad illud litigantes recurrere possunt cum, ad aestimandum aliquod factum influens in litem, necessaria sit peritia specialis quoad scientiam, artem aut praxim.

Periti ad hoc debent titulum legalem habere, si in loco sint, secus partes eos sine titulo eligere possunt, si nolint extra locum eos eligere; nominantur unus vel tres ex partium consensu, et, si non conveniant, judex in urnam mittet nomina trium peritorum territorii pro unoquoque eligendo, et sorte designabuntur. Postremo modo electi recusari possunt ob causas generales justae recusationis, et proceditur in hoc ut in recusatione auxiliarium tribunalis. Litigantes cum suis advocatis concurrere possunt peritorum recognitioni, eisque opportunas observationes facere. Periti, postquam seorsim inter se collati fuerint, dictamen cum rationibus ipsius oretenus vel scripto proferent, prout rei magnitudo postulaverit. Primo casu proceditur in forma declarationis; in secundo vero, si dictamen unanime sit, uno scripto ab omnibus subscripto; secus, diversis scriptis emittitur, et dein sub juramento coram judice in eo ratificantur. Judicium peritiale non iteratur, nisi judici id necessarium visum fuerit ad melius causam cognoscendam, et tantum probat semiplene, quod quidem judici aestimandum relinquitur. Haec est praxis, quae expresse in foro civili hispano praecipitur art. 610 ad 632 L. P. C.

II. **Inspectio judicialis.**—Locum habet ad instantiam partis, cum ad facti aestimationem vel dilucidationem necessarium sit ut judex personaliter inspiciat aliquem locum vel rem litigiosam.

Huic inspectioni interesse possunt litigantes eorumque defensores una cum persona ab unoquoque litigante electa, quae locum plane agnoscat. Litigantes et eorum advocati facere possunt judici observationes, quas opportunas credant; a per-

sonis vero practicis declarationes juratas exigere potest judex, et de omnibus fidem faciet actuarius, actumque omnes concurrentes subscribent. Si, inspectione judiciali, testium depositio clarescere possit, ea peracta, in eodem loco testes recipere fas erit. Hujus probationis efficacia etiam judicis arbitrio decernenda relinquitur. Ita praxis in utroque foro (Art. 633 ad 636 inclus. *Leg. Proc. Civ*).

§ IV.—DE STADIO CRITICO JUDICII

Hoc stadium amplectitur: I. Conclusionem in causa. II. Allegationem in jure et in facto. III. Provisionem ad melius causam cognoscendam. IV. Sententiam definitivam.

I. **Conclusio in causa.**—Consummatis omnibus probationibus, vel termino probatorio elapso, fit conclusio in causa, seu judex declarat causam conclusam, ex quo evenit, ut non possit ultra fieri probatio; sed, antequam plene concludatur, ita ut causa conclusa dicatur ad ferendam sententiam, fit allegatio in jure et in facto; sive scripto, sive oretenus.

II. **Allegatio in jure et in facto.**—Sic dicitur compendium probationum, quod partes per se vel per suos advocatos peragunt, allegando quidquid est in favorem causae. Potest fieri vel oretenus coram judice in publica audientia (*vista pública*), vel in scriptis per scripta *conclusionis* dicta.

In primo casu necesse est ut id a judice petatur (jure civili intra tres dies), postquam partibus notificata fuerit provisio jubens probationes omnes actis uniri, et judex tantum allegationem oralem concedere poterit de communi partium consensu, vel si natura causae non obstet, hujusque momentum id expostulare videatur. Ad allegandum terminus prudens a judice determinatur (1) et interim acta omnia inscipienda partibus relinquuntur. Termino elapso, acta colliguntur, si sponte devoluta non fuerint; et, si allegatio scripta sit, causa conclusa declaratur, et judex acta omnia sibi exhiberi jubet partesque ad sententiam citari. Si allegatio sit oralis et publica, elapso termino ad illam praeparandam, judex citari jubet partes ad sententiam, et praefigit diem pro publica allegatio,

(1) Jure civili hispano hic terminus nequit esse minor 10 nec major 20 diebus, quamvis in allegatione scripta ad 30 extendi possit, si actorum volumen id exigat (Art. 669 L. P. C.).

ne. Facta summaria relatione causae ab actuario, audiuntur partium advocati, et ipsis partibus, si petant, fandi licentia conceditur. Si horae ordinariae audientiae non sufficiant, poterunt a judice prorogari, vel suspendi allegatio, ut die sequenti prosequatur. Finitur publica allegatio hoc verbo a judice prolato: *visa* (*Visto*). Ita praxis forensis ab art. 668 ad 677 et 322, 330 et 331 L. P. C.

III. **Provisio ad melius causam cognoscendam.**—Priusquam sententia definitiva statuta die proferatur, potest judex ad melius causam cognoscendam (*para mejor proveer*) provisionem dictare jubendo: 1.° Ut exhibeatur quodlibet documentum, quod causam instruere valeat. 2.° Confessionem judicialem exigere a quolibet ex litigantibus circa facta pertinentia, quae probata non sint. 3.° Ut exequatur quaelibet recognitio vel aestimatio, aut prius facta amplificetur, si id necessarium judicetur. 4.° Ut exhibeantur quaelibet acta ad causam illam pertinentia. Dum haec exequuntur, suspenditur terminus ad sententiam ferendam praefixus. Ita praxis in utroque foro consignata in art. 340 ad 342 L. P. C.

IV. **Sententia definitiva.**—Post allegationem in jure et in facto quantocius (1) sententia definitiva proferenda est. Videamus: 1.° solemnitates sententiae; 2.° quomodo evadat firma, et 3.° effectus sententiae et rei judicatae.

1.° *Solemnitates sententiae.—Extrinsecae* sunt: **a)** Ut proferatur utraque parte citata et praesente; contumax tamen ut praesens habetur (C. 2 *de Sent. et re judic.*). **b)** Sedente judice pro tribunali (C. fin *de Sent. et re judic.*). **c)** Die non feriato (C. 24 *de Off. Ord.* et c. 1 *de fer.*). **d)** In scriptis. Hae conditiones adeo necessariae sunt ut, si omittantur, nulla reddatur sententia (C. ult. *de Sent. et re judic.* in 6.°).

Solemnitates vero *intrinsecae* sunt: **a)** Ut priusquam sententia proferatur examinet judex processum, et si defectum aliquem substantialem inveniat, illum reparet (C. 10 de *fid. instrum.*). **b)** Ut sententia sit certa et pura, non conditionata conditione de futuro. **c)** Ut sit conformis libello in re quae petitur, in causa ex qua petitur et in actione quae intentatur (C. 24 *de accus.; Clem.* 2 de V. S.). **d)** Ut sit conformis juri, si clarum sit, etsi rigorosum (C. 1 *de Sent. et re judic.*). Si feratur sententia

(1) Jure civili hispano hic terminus nequit excedere 12 dies, et 15 si processus ultra mille folia habeat, enumerandos a die qua publica vel privata allegatio finita fuit. (Art. 678 L. P. C.).

contra jus clarum merita causae respiciens, et error juris exprimatur in sententia, haec nulla erit; si vero feratur contra legem dubiam vel obscuram, valida erit, et firma evadet, nisi intra decemdium ab ea appelletur (C. 12 *de Sent. et re judic.*), idemque dicendum, si feratur contra jus litigantis, dummodo injustitia non sit notoria (Ibid. et c. 21 ejusd. tit.) (1).>

<2.° *Quomodo sententia evadat firma.*—Evadit firma seu transit in rem judicatam cum pars victa acquiescit sententiae sive expresse, sive tacite non appellando intra decem dies (C. 15 *de Sent. et re judic.*). Sed numquam transit in rem judicatam: **a)** in causa matrimoniali, si deinde pro vel contra dissolutionem matrimonii probationes afferantur (C. 7, 10 et 11 ejusd. tit.); **b)** in causa beneficiali, si contra victorem probetur nullitas tituli (c. 36 C. 46 *de Appell.*); **c)** in causa censurarum, nam petens absolutionem et probare volens sententiam esse injustam, semper auditur (C. 36 *de Off. deleg.*; c. fin. *de Poen.*; c 48 *de Sent. excom.*); **d)** quando constet judicem

(1) En modus proferendi sententiam definitivam consignatus in art. 372 L. P. C., qui in pluribus curiis ecclesiasticis in praxim deducitur: »Las sentencias definitivas se formularán expresando: 1.° El lugar, fecha y Juez ó tribunal, que las pronuncie; los nombres, domicilio y profesión de las partes contendientes y el carácter con que litiguen; los nombres de sus Abogados y Procuradores, y el objeto del pleito. 2.° En párrafos separados, que principiarán con la palabra *resultando*, se consignarán, con claridad y con la concisión posible las pretensiones de las partes y los hechos en que las funden, que hubieren sido alegados oportunamente, y que estén enlazados con las cuestiones, que hayan de resolverse. En el último *resultando* se consignará si se han observado las prescripciones legales en la substanciación del juicio, expresándose en su caso los defectos ú omisiones que se hubieren cometido. También en párrafos separados, que principiarán con la palabra *considerando*, se apreciarán los puntos de derecho fijados por las partes, dando las razones y fundamentos legales que se estimen procedentes para el fallo que haya de dictarse, y citando las leyes ó doctrinas que se consideren aplicables al caso. Si en la substanciación del juicio se hubieran cometido defectos ú omisiones que merezcan corrección, se apreciarán en el último *considerando*, exponiendo en su caso la doctrina que conduzca á la recta inteligencia y aplicación de esta ley. Se pronunciará por último el fallo en los términos prevenidos en los artículos 359, y 360, haciendo también en su caso las prevenciones necesarias para corregir las faltas que se hubieren cometido en el procedimiento».

sententiam tulisse vel ex causa falsa, vel ex falsis instrumentis aut testimoniis, aut ex juramento necessario postea falso reperto.

3.° *Efectus sententiae et rei judicatae.*—a) *Ex parte judicis*, efficit ut judex delegatus officio suo functus censeatur, ita ut sententiam a se latam revocare aut corrigere nequeat, quamvis illam manifeste iniquam agnoscat, quod procedit etiam in judice ordinario, excepto supremo. b) *Ex parte litigantium*, si sententia sit valida, inter ipsos jus facit et ad parendum obligat, nisi ab ea intra 10 dies appellatum fuerit. c) *Ex parte causae*, per sententiam definitivam finitur lis seu controversia statim ac firma evadit. d) *Res judicata* aliis regulariter neque nocet neque prodest. Excipe: I si jus vel actio tertii a litigantium jure pendeat; II si omnium vice et jure litigatum sit; III si causa individua sit pluribus communis seu connexa, et IV si aliorum interest.

§ V.—DE SECUNDA INSTANTIA, SEU DE APPELLATIONIBUS ET EXECUTIONE SENTENTIAE

Vidimus jam naturam, divisionem et effectus appellationum; sed nunc examinanda remanent: I. Quis possit appellare. II. A quibus actibus non detur appellatio. III. Judex a quo, coram quo et ad quem appellandum est. IV. Quomodo facienda est appellatio. V. Fatalia appellationum. VI. Attentata eorumque remedium. VII. Sententiae executio.

I. **Quis possit appellare.**—In genere omnes, qui gravamen aliquod extra vel intra judicium patiuntur, aut se passuros esse timent, nisi in jure aliter expresse cautum sit. Unde appellare possunt etiam excommunicati et tertii quorum interest. Si eadem sententia plures graventur, licet unus solus appellet, audiri debet, et ejus appellatio omnibus prodest, si eadem sit ratio et causa pro omnibus, et dummodo isti sententiam primae instantiae expresse vel tacite non approbaverint.

Nequit tamen appellare, qui sententiam contra se latam expresse vel tacite approbavit, aut criminis notorii reus est, vel qui sponte et ore proprio in judicio confessus est, simulque plena probatione, si de crimine agatur, convictus est (C. 13 et

14 *de Appellat.*), vel qui in eadem causa non detulit legitimae appellationi sui adversarii (C. 42 *ejus. tit.*), vel qui tribus conformibus sententiis condemnatus est (c. 65 *ejus. tit.*), vel condemnatus ob veram contumaciam, nec regulariter excommunicatus extrajudicialiter gravatus.

II. **A quibus actibus non detur appellatio.**—Jure antiquo et Decretalium, appellari poterat in omnibus causis et ab omni sententia valida, sive definitiva, sive interlocutoria; sed Concilium Tridentinum (sess. 13, c. 1, et sess. 24, c. 20 de ref.) hoc jus restrinxit quoad sententias interlocutorias, quas recipi prohibuit, nisi gravamen per definitivam sententiam reparari nequeat (1). Insuper in Const. Benedicti XIV *Ad militantis* (30 Mart. 1742) 31 casus referuntur, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur. Hi casus praecipue spectant ad executionem decretorum Concilii Tridentini, quae Ordinariis locorum ab ipso Concilio commissa est, vel ad decreta Visitationis Apostolicae, vel quando Episcopi virtute ejusdem Concilii procedunt uti Sedis Apostolicae delegati in causis, quae sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur.

Non datur insuper appellatio in suspensivo: 1.° in *causa correctionis*, si Praelatus ut pater procedat juxta sacros canones aut propriam regulam ad observantiam disciplinae ecclesiasticae vel regularis, dummodo in correctione modum non excedat (C. 3 et 26 *de Appell.*; c. 18 de *Off. Ord.*; Trid. sess. 13, c. 1 et sess. 24, c. 10 *de ref.*) (2); 2.° *in causa censurarum*,

(1) Etiam jure civili hispano generaliter non licet appellare quoad utrumque effectum, nisi a sententia definitiva vel vim definitivae habentis vel ab interlocutoriis, quarum gravamen per definitivam reparari nequeat (Art 384 L. P. C.). Contra judicis provisionem non datur, nisi facultas petendi intra tres dies ab eodem judice revocationem provisionis (*reposición*), quae si denegetur, nulla datur appellatio; contra alias vero sententias interlocutorias, quae vim definitivae non habeant, conceditur eadem facultas intra quinque dies; et si petitio negetur, appellatio quoad unum vel utrumque effectum juxta diversitatem casuum (L. P. C. Art. 376, 377, 380 et 381).

(2) In Institutis votorum simplicium, nisi exempta sint, cum careant jurisdictione in foro externo, et multo magis contentiosa, non datur proprie dicta appellatio intra ordinem; at ex decreto *Auctis admodum*, excipiendus est casus dimissionis alumni votis perpetuis adstricti, vel temporalibus quidem, sed in sacris ordini-

si latae sint ante appellationem, quia statim ligant animam (C. 37 *de Appell.*); 3.° *in causa electionis*, ad impediendam ejus executionem, nisi appellans valde gravem et rationabilem causam allegaret (C. 46 *de Appell.*); 4.° generatim in omni decreto extrajudiciali, nisi alias, damnum per ipsum illatum irreparabile sit, et 5.° cum Papa causam delegat cum clausula *quavis appellatione remota*; sed in hoc casu, uti notant auctores, non prohibentur appellationes rationabiles; saltem, si specialiter et expresse permissae sint in jure.

<III. **Judex a quo, coram quo et ad quem appellandum.**—1.° *Judex a quo.*—Appellare licet regulariter a quocumque judice, qui superiorem habet. Unde **a)** non licet appellare a S. Pontifice ad Concilium generale: quod quidem prohibitum est sub poena excommunicationis latae sententiae *specialiter* ipsi S. Pontifici reservatae, vel interdicti eodem modo reservati, si appellans sit Universitas, Collegium aut Capitulum; neque **b)** a Congregationibus Romanis, quia sunt Suprema Tribunalia pontificia; sed ab ipsis obtineri potest beneficium *novae audientiae* vel *aperitio oris*, aut *restitutio in integrum*, juxta diversitatem casuum.>

<2.° *Coram quo.*—Appellandum est coram judice, qui sententiam tulit; et hoc sub poena nullitatis appellationis; sed, si impossibile sit>coram judice *ad quem*, qui appellationem intimare debebit judici *a quo*, ne amplius tali causae sese immisceat, et, si judex *ad quem* haberi nequeat<appellatio fieri poterit coram viris honestis,

bus insuper constituti: in hoc enim casu efformandum est verum judicium, et datur appellatio etiam in suspensivo ad S. Congr. EE. et RR. A correctionibus vero disciplinaribus et punitionibus paternis, datur querela apud superiorem immediatum intra Ordinem ei, qui ex ipsis sentiat se injuste gravatum; sed instituine potest hujusmodi querela apud tribunal Episcopi seu ordinarium? Distinguendum est: si Superior in punitione, quamvis injusta, limites paternos non excedat, negative; quia hujusmodi Instituta in regimine interno non subsunt Ordinariis; si vero excedat, infligendo poenas pro quibus infligendis necessaria est jurisdictio contentiosa, affirmative; quia tunc Superior delinquit contra jus commune ecclesiasticum, usurpando sibi jurisdictionem indebitam, et ut talis delinquens judicari et puniri potest ab Ordinario, cum non sit exemptus, sicut quilibet alius religiosus non exemptus, delinquens contra jus commune ecclesiasticum tam extra quam intra claustra: et in hoc differunt non exempti ab exemptis; nam hi tantum puniri possunt ab Episcopo si delinquant degentes extra claustra.

aut saltem coram uno honesto viro, adhibitis ei testibus, vel melius coram notario, qui, testibus etiam adhibitis, super ea conficiat instrumentum (C. fin. *de Appell.*).

3.° *Ad quem.*—A judice inferiori ad superiorem appellandum est; unde non valet appellatio a Vicario Generali Episcopi ad ipsum Episcopum, quia de jure unum idemque tribunal sunt; si vero Episcopus alicui causam deleget, ab hoc appellari potest ad Vicarium Generalem.

Appellatio regulariter facienda est gradatim, id est, ab inferiore ad Superiorem proximum et immediatum. Sunt tamen casus excepti, in quibus valet appellatio, omisso medio: **a)** Si contra eam pars adversa nullam alleget exceptionem (C. 66 *de Appell.*). **b)** Si appelletur ad Papam, quia Papa est etiam Ordinarius concurrens cum omnibus aliis Ordinariis locorum; a subdelegato tamen Delegati pontificii, qui totum non delegavit, appellari debet ad ipsum Delegatum, quia hic Papae personam repraesentat (C. 27 *de Off. Legati*). **c)** Si appelletur ad Legatum pontificium in provincia suae legationis existentem, quia vices Papae gerit (C. 1 *de Off. Legati*). Excipe Nuntium hispanum, ad cujus tribunal a Rota efformatum, appellare non licet omissis intermediis.

Notetur demum, quod *ratione exemptionis*, ad Papam appellandum est ab Episcopo immediate ipsi subjecto, et a sententia arbitrorum, qui elegi debent, cum Episcopus litigat cum suo subdito.

IV. **Quomodo facienda est appellatio.**—Si appelletur a sententia definitiva, et fiat judice adhuc pro tribunali sedente, vel eo nondum ad actus extraneos divertente, sufficit viva voce dicere: *appello* vel *provoco*, quod mox in actis a Notario referri debet, et haec dicitur *appellatio apud acta*; secus, fieri debet in scriptis, porrecto libello appellatorio, qui continere debet quisnam appellet, contra quem, et a qua sententia. Si appelletur a sententia interlocutoria, appellatio fieri debet in scriptis, continere causam appellationis, et nequit novis causis justificari, nisi post appellationem oriantur vel cognoscantur, vel gravamen per sententiam definitivam irreperabile sit (1).

V. **Fatalia appellationum.**—Hoc nomine veniunt

(1) Id. jure civili hispano (L. P. C. art. 862).

tempora illa, intra quae appellationis causa inchoari et terminari debet. Haec vero tempora seu fatalia, sunt quadruplicia, nempe: 1.° tempus appellationis interponendae; 2.° apostolos petendi; 3.° apostolos praesentandi, et 4.° appellationis finiendae.

1.° *Tempus appellationis interponendae.*—Tum judicialis tum extrajudicialis appellatio interponi debet intra decem dies enumerandos in illa a momento latae sententiae, si haec adversus praesentem lata sit; et a momento notificationis ipsius, si sit contra absentem lata; in ista a die, quo appellans novit actum cum suo gravamine celebratum fuisse; sed, si gravamen est successivum, quamdiu durat, appellari potest (1).

2.° *Tempus apostolos petendi.*—*Apostoli* dicuntur litterae dimissoriae, quas judex *a quo*, ad instantiam appellantis, transmittit ad judicem *ad quem*, in testimonium et fidem interpositae appellationis. Petendi sunt instanter, instantius et instantissime, quod tamen fieri potest unico contextu, intra 30 dies, a die appellationis, vel a die, qua interponi potuit appellatio, enumerandos; secus, appellans censetur appellationi renuntiasse, quae praesumptio est juris et de jure. Judex *a quo* debet apostolos intra idem tempus appellanti tribuere, alias quidquid ulterius faciat contra appellantem nullius est valoris; sed in hoc casu debet appellans protestari contra judicem, ad quod prudenter testimonium petet a probis et honestis viris (adhibito etiam Notario, si fieri possit), qui testentur illum tempore et modo debito apostolos petiisse et hos ipsi denegatos fuisse.

Praxis apostolos petendi exolevit in tribunalibus ecclesiasticis Hispaniae, et loco ipsius viget praxis consignata in *Leg. Proc. Civ.* (art. 387 ad 400 inclusive), nempe: Admissa appellatione quoad utrumque effectum, judex *a quo* acta remittit ad judicem *ad quem*, expensis appellantis, et partium procu-

(1) Quoad jus civile hispanum, tempus est quinque dierum quum appellatur a sententia judicum primae instantiae, et decem dierum cum a sententia Audientiae interponitur recursus *casationis* apud Tribunal Supremum. Interposita appellatione intra tempus habile per scriptum non subscriptum ab advocato, quamvis non procedat appellatio donec subsanetur defectus, suspenditur tamen tempus interponendae appellationis (Sent. Trib. Supr. 26 Dec. 1883).

ratores citat, ut intra 30 dies (jure civili 20) coram judice *ad quem* compareant. Interim suspensa manet jurisdictio judicis *a quo* quoad illam causam, exceptis incidentibus, quae separatim pertractantur et iis, quae ad administrationem aut custodiam bonorum judicialiter notatorum se referunt, dummodo appellatio non circa haec versetur, et iis, quae spectant ad securitatem et depositum personarum. Si vero admissa sit appellatio quoad unum tantum effectum, non suspenditur executio sententiae; unde, si haec sit definitiva, quamvis acta remittenda sint ad tribunal superius, remanere debet apud judicem *a quo* testimonium eorum, quae necessaria sint ad executionem sententiae; si vero sit interlocutoria, appellanti, ipsius expensis, testimonium traditur eorum, quae ab illo indicentur, additis iis, quae collitigans determinet, quaeque judex arbitretur necessaria. Hoc testimonium peti debet sub poena caducitatis appellationis intra terminum a judice praefixum, qui potest esse quinque dierum, et tunc intra alios 25 (jure civili 15) praesentandum est judici *ad quem*. Appellans potest petere a judice *ad quem*, ut admittat appellationem quoad utrumque effectum, si admissa tantum sit a judice inferiori quoad unum, citans dispositionem canonicam in qua sua petitio fundatur; si pars appellata comparuerit coram tribunali superiori, petitionis copia ei traditur, ut intra tres e. g. dies illam impugnet, si velit, quibus transactis absque ulteriori recursu sententiam fert judex, et, si pro petitione sit, litteras edictales judici inferiori mittet, ut executionem sententiae suspendat, vel acta originalia remittat juxta diversitatem casuum; si contra petitionem sit, appellans damnatur ad expensas hujus incidentis. Etiam appellatus hac eadem forma postulare potest, ut appellatio admissa quoad utrumque, quoad unum tantum effectum admittatur. Contra decisionem judicis non admittentis appellationem, etiam datur querela apud judicem superiorem, sed, si praxis civilis admittatur, prius decisionis revocatio intra quinque dies ab ipso judice inferiori petenda est, et, si revocatio non concedatur, intra sex alios dies judex *a quo* utriusque actus negatorii testimonium tradet appellanti, qui illo intra alios 25 (jure civili 15) apud judicem superiorem uti debebit.

3.° *Tempus apostolos praesentandi.*—Jure canonico, nullum ad id determinatur tempus, sed ejus determinatio arbitrio judicis *a quo* relinquitur; quod si appellans intra illud apostolos non praesentaverit, censetur appellationi renuntiasse, et damnatur ad expensas in appellatione factas.

4.° *Tempus appellationis finiendae.*—A jure codicd-

ditur annus, et ex justa causa et evidenti biennium ad appellationem prosequendam et finiendam, enumerandum a die interpositae appellationis, si agatur de appellatione judiciali, vel a die gravaminis reapse illati, si de extrajudiciali (C. 5 et 8, et *Clem.* c. 3 *de Appell.*).

Appellans potest semper desistere ab appellatione, dummodo solvat expensas, quas hac occasione fecit pars adversa, sed recessus, si personaliter non fiat ab appellante, debet fieri a procuratore cum mandato speciali, secus appellans debet, medio juramento, ratum habere scriptum, ab ejus procuratore ad hunc effectum praesentatum. Hujus copia parti adversae traditur, ut illud impugnare valeat, si non sit validum ob defectum mandati vel capacitatis in litigante. Si defectus reapse existat, judex illum subsanare praecipit intra breve tempus, quo inutiliter elapso, appellatio prosequitur. Si subsanetur, vel si nullus exstet, appellatio pro deserta habetur, nisi appellatus ipsi appellationi ab initio adhaeserit, et velit nunc sua sorte prosequi appellationem; in hoc enim casu, appellationem deserens damnabitur ad expensas praeteritas, et ex tunc pars adversa uti vere appellans considerabitur. Ita praxis optima in utroque foro (L. P. C. Art. 846 ad 849).

In secunda instantia, si appellatio sit a sententia definitiva, potest fieri probationum receptio ex communi partium consensu; secus illam judex concedet vel negabit prout aequius sibi videatur (1); semper tamen, priusquam partes ad sententiam citentur, petere semel poterunt confessionem judicialem super factis, quae in prima instantia non fuerunt objectum positionum. Demum, in probationibus, si fiant, proceditur ut in prima instantia. Haec est praxis in utroque foro (Art. 863 ad 868).

VI. **Attentata eorumque remedium.**—Ita appellantur quae contra jus innovata sunt pendente lite seu appellatione. Facta appellatione, judex *ad quem* ante omnia revocare debet non solum quae post interpositam appellationem innovata sunt, sed etiam quae medio tempore inter sententiam et appellationem innovata et immutata fuere. Si vero appelletur a sententia interlocutoria, attentata non debent ante omnia revocari, sed debet prius justificari appellationis causa, qua justificata, revocantur attentata.

VII. **Sententiae executio.**—Cum sententia evadit fir-

(1) Id. accidit in processu causarum incidentium (Art. 752 L. P. C.).

ma, vel, si ab ea appellatum fuerit, cum hujus rei testimonium a superiori judice recipiatur, exequi potest a judice ordinario, qui eam in prima instantia cognovit; et quidem statim intra terminum ab ipso judice designatum, si agatur de actionibus realibus; intra quadrimestre vero, si de actionibus personalibus (C. 15 *de Sent. et re judic.)*; tamen executio in causis civilibus non debet fieri nisi ad instantiam partis.>

Si pars damnata intra terminum ei praefixum non solvat id ad quod damnatur, procedi debet per comminationem annotationis bonorum, et, si opus fuerit, per realem ipsorum annotationem; sed ad hoc in Hispania, judex ecclesiasticus debet impetrare auxilium judicis saecularis ordinarii et competentis (L. P. C. Art. 125) per litteras hortatorias, in quibus pars dispositiva sententiae et quantitas expensarum litis transcribenda sunt. Ab executione sententiae non datur ullus recursus, nisi modus in ea excedatur (C. 15 *de Sent. et re judic.*).

§ VI.—DE TERTIA INSTANTIA APUD TRIBUNAL ROTAE HISPANAE (1)

<En breviter expositum quidquid ad hoc spectat. Admissa appellatione apud tribunal Rotae, huic judex *a quo* remittit processum originalem expensis appellantis, et partibus diem indicit ad comparendum coram Rotae tribunali. Intra hunc terminum appellans, vel etiam appellatus, si ejus interest, per simplicem libellum a procuratore tantum subscriptum ad Nuntium recurrit petens, ut lis Rotae subjiciatur. Huic scripto respondet decretum nomine Nuntii ab Auditore ipsius redactum et subscriptum, quo jubetur ut Abbreviatori tradatur. Hic rem committit Auditori Rotae, cui juxta vicem (*turno*) strictam respondeat, et ad hoc latine expedit litteras commissorias, quae subscriptione Abbreviatoris inchoantur, et nomine Judicis ponentis terminantur. Hae litterae, postquam a Nuntio, vel, eo absente, ab ejus Auditore subscriptae sint, appellanti traduntur, et hic eas una cum petitione ut acceptentur, Rotae tradet.>

Admissionis decreto ab Auditore ponente redacto, et con-

(1) Hic non loquimur de appellationibus apud Sacras Romanas Congregationes, quia jam satis explicatus fuit modus procedendi ipsarum in libro I, ubi de SS. Congr. Romanis.

stituto tribunali per ipsum Ponentem duosque Auditores corresponsales, qui sunt Auditores ejusdem sectionis, acta traduntur appellanti, ut intra terminum ei praefixum scriptum querelarum praesentet. Dein, hujus copia parti adversae traditur ut intra eumdem terminum respondeat. Responsionis copia iterum traditur appellanti et similiter appellato nova responsio appellantis, ita ut hinc et inde duo scripta habeantur. Secundum scriptum cujusque partis est scriptum conclusionis, nam in tertia instantia non admittitur, probationum receptio, et in eo petere possunt ut celebretur allegatio publica oralis. Deinde, Ponens causam conclusam declarat, et, citatis partibus, fit a Secretario annotatio (*apuntamiento*), post quam dies publicae allegationis a Ponente praefigitur. Publica allegatio potest fieri praesentibus vel absentibus partium advocatis. In primo casu, lecta a Secretario annotatione, audiuntur defensiones orales advocatorum, in secundo vero, vice allegationis oralis Secretarius legit allegationes scriptas vel allegationem illius partis, quae oretenus non allegavit. Post publicam allegationem, fertur sententia, quam omnes Auditores sectionis subscribunt, a qua, si firma non sit, appellare iterum atque iterum licebit intra 10 dies ad aliam sectionem ejusdem tribunalis, donec tres sententiae uniformes habeantur; sed in tertia et quarta vice, praeter novum Auditorem Ponentem, adsunt quinque Auditores corresponsales, inter quos sunt, qui Ponentes in prima et secunda vice extiterunt. Appellatione admissa, datur appellanti testimonium ipsius, eique intimatur ut intra 15 dies jure suo utatur. Appellans, munitus illis testimoniis, iterum recurrit ad Nuntium eadem forma ac prius. Cum sententia evadit firma, Rota expedit litteras executoriales ad judicem primae instantiae eique acta originalia remittit ut sententiam exequatur (Videantur haec omnia in opere *Suplemento al Febrero; Tratado de Procedimientos eclesiásticos*; sección III).

ARTICULUS II.

DE JUDICIO IN CONTUMACIA

I. Natura judicii in contumacia. II. Specialia hujus judicii.

I. **Natura.**—Judicium in contumacia appellatur quod efformatur ad instantiam unius partis postquam altera declarata fuit contumax.

II. **Specialia hujus judicii.**—Ad haec reducuntur:

1.° Citationes et notificationes fiunt modo dicto in pag. 515, n. II).

2.° In quocumque stadio judicii contumax compareat, admittetur ut pars, sed non ideo acta retractantur.

3.° Si compareat in secunda instantia durante termino probatorio, probationum productio ad ejus instantiam iterum fieri debet.

4.° Contra sententiam firmam non datur contumaci alius recursus, nisi beneficium novae audientiae, quod impetrare debebit coram Superiore immediato illius, qui sententiam tulit, intra quatuor, octo vel duodecim menses, a publicatione sententiae in ephemeride dioecesana, enumerandos (hic est terminus magis prudens), prout libellus citatorius ipsi personaliter traditus fuerit, vel ejusdem consanguineis, familiaribus aut vicinis, vel per edictum tantum citatus fuerit. Ut beneficium audientiae concedatur, debet contumax probare in primo casu impeditum fuisse ob vim majorem et continuam ad comparendum, in secundo libellum citatorium ei traditum non fuisse ob causam ipsi non imputabilem, et in tertio se constanter extitisse extra locum in quo judicium efformabatur, et etiam abfuisse a loco ultimi domicilii, quando ibidem edicta citationis publicata fuere. Haec petitio contumacis expeditur ad tramites causarum incidentium.

5.° Si audientia concedatur, traduntur acta contumaci, ut intra terminum praefixum (generaliter octiduum) exponat et postulet, quod juris proprii intersit, formâ qua proceditur in contestanda lite. Hujus expositionis copia alteri parti traditur pro eodem termino. Deinde alia prosequuntur ut in judicio ordinario; sed, si, durante prosequutione judicii, iterum constituatur in contumacia, suspenditur judicium et prior sententia omnino firma evadit.

6.° Sententiae latae in contumaces statim post elapsum terminum ad appellandum, exequi possunt, sed, donec elapsus sit terminus, qui ad beneficium novae audientiae petendum contumaci conceditur, vel donec hoc beneficium ei denegatum sit, pars victrix non potest libere disponere de rebus, quae ipsi in possessionem concedantur. Haec est praxis in utroque foro. (L. P. C. Art. 786 ad 788).

ARTICULUS III.

DE JUDICIO SUMMARIO

I. Quid sit judicium summarium. II. Solemnitates, quae in ipso servandae sunt et quae omitti possunt. III. Casus, in quibus summarie proceditur.

I. **Quid sit.**—Dicitur judicium summarium illud, in quo omitti possunt et de facto omittuntur ad citius expediendam causam certae quaedam, a jure determinatae, ordinarii judicii solemnitates.

II. **Solemnitates servandae et quae omitti possunt.**—*Servandae* sunt: 1.° Citatio. 2.° Praestatio juramenti. 3.° Facultas fabricandi positiones et articulos; ad quod judex debet concedere terminum, qui tamen unicus potest esse pro utrisque. 4.° Admissio probationum, quae necessariae et legitimae sint. 5.° Admissio exceptionum et appellationum, quae legitimae sint. 6.° Demum, si actor vel reus initio aliquid petat, continuo actis inserenda est petitio (*Clem. Saepe, de Verb. signif.*).

Omitti possunt: 1.° Libellus. 2.° Litis contestatio formalis. 3.° Valide procedi potest etiam diebus feriatis. 4.° Necesse non est partes peremptorie citare ad definitivam sententiam, sed sufficit citatio simplex. 5.° Non tenetur judex sedendo ferre sententiam. 6.° Necessaria non est conclusio in causa (*Clem. Saepe* ibid.).

III. **Casus in quibus summarie proceditur.**—Praeter casum, quo Papa causam alicui commisit summarie terminandam, nisi partes velint ut ordinarius instituatur processus, summarie procedi *debet* in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus vel praebendis seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis, necnon super matrimoniis (excepta causa nullitatis) et usuris, et eas quoquo modo tangentibus, ventilandis (*Clem. 2.ª de Judiciis.*).

Summarie expediri *possunt* causae pauperum, viduarum, pupillorum, religiosorum et miserabilium personarum; causae alimentorum, spolii, depositi, mercedis et peregrinorum; causae levioris momenti et quae ob

aliquod imminens periculum moram non patiuntur. Ita auctores communiter. Sed in causis criminalibus, si religiosorum causae intra ordinem excipiantur (C. 26 *de Acus.*), semper forma judicii ordinarii servanda est.

ARTICULUS IV.

DE JUDICIO ARBITRORUM ET ARBITRATORUM

I. Natura et divisio arbitrorum. II. Arbitrorum electio III. Arbitrorum potestas et officium. IV. Quomodo cessent in officio.

I. **Natura et divisio arbitrorum.**—Arbiter *stricto sensu* est persona idonea sive ex legis dispositione (*arbiter juris*), sive ex conventione partium (*arbiter compromissarius*), electa, ut circa exortam controversiam, suum judicium proferat, cui partes stare debent. *Lato sensu* arbiter, seu melius *arbitrator* est ille, qui amicabili compositione negotium absolvit. Arbiter *juris* dicitur etiam necessarius; *compromissarius*, vero voluntarius. Arbitri *juris* habent proprie dictam jurisdictionem in similitudinem judicis et quamdam coërcitionem; possunt enim testes compellere ad comparendum; *compromissarii*, vero, non habent nisi notionem quaestionis. Praeterea ab istorum sententia appellari nequit, ab illorum vero sententia quidem potest. Jure tamen civili hispano arbitri compromissarii *arbitris juris* aequiparantur et arbitratores seu amicabiles compositores naturam *arbitrorum* compromissariorumr edolent.

II. **Arbitrorum electio.**—Videnda sunt: 1.° arbitrorum electores; 2.° eligendi, 3.° forma electionis, et 4.° causae in quibus eligi possunt.

1.° *Electores.*—In arbitros compromittere possunt ii solummodo, qui habent liberam rerum suarum administrationem, et per consequens possunt transigere et alienare res suas; nam est species transactionis et via ad alienandum. Etiam arbitri juris eligi aliquando possunt a partibus, quando nempe jure cautum est ut quaedam controversiae terminentur per arbitros a partibus electos (C. 14 *de Rescript.*) (1).

(1) Idem jure civili hispano (L. P. C. art. 487).

2.° *Eligendi.*—Generaliter eligi possunt omnes, unus vel plures, pares vel impares, nisi specialiter a jure prohibeantur; arbitri tamen juris valde conveniens est, ut sint advocato vel saltem periti in jure; quod non est adeo necessarium in arbitris compromissariis (1). Prohibentur a jure eligi in arbitros: **a)** minores 20 annorum; **b)** mulieres, nisi reginae, vel alias habeant jurisdictionem (C. 4 *de Arbitr.*); **c)** laici in causa spirituali, nisi ex privilegio apostolico vel una cum clerico (C. 8 *ejusd. tit.*); **d)** excommunicatus vitandus (c. 59 *de Sent. excom.*); ejus tamen acta, nemine excipiente, essent valida, cum non oriantur ex jurisdictione, ob cujus defectum dicuntur nulla; et **e)** religiosi sine proprii Superioris licentia. *Arbitratores* vero esse possunt omnes viri aetate majores, qui sui juris sint. In Hispania exigi insuper solet, ut legere et scribere noscant, sicut exigitur pro suis a jure civili (Art. 827 *Legis Proc. Civ.*).

3.° *Forma electionis.*—Arbitri compromissarii et arbitratores eligi debent per instrumentum publicum, quod continere debet quoad arbitros: 1.° nomina, professionem et domicilium compromittentium; 2.° id. id. arbitrorum; 3.° causam, quae arbitrorum judicio submittitur ejusque circumstantias; 4.° tempus intra quod sententia vel laudum ferendum est; 5.° stipulationem duplicis mulctae solvendae, una a parte, quae non adimpleat necessaria ad compromissum exequendum, et alia solvenda a parte, quae sententiae vel laudo parere nolit, parti, quae ipsi acquiescat; 6.° designationem loci judicii; 7.° datam compromissi. Ita praxis in utroque foro (Art. 792 et 793 L. P. C.). Quoad arbitratores vero, quae continentur in numeris 1.°, 2.°, 3.°, 4.° et 7.° (L. P. C. Art. 828) nunc expressis.

Acceptatio vel rejectio arbitorum in eodem instrumento a Notario extenditur, et subscribitur ab arbitris et Notario. Si acceptent, tenentur rem ad tramites compromissi gerere sub poena reparandi damna illata. Semel electi tantum recusari possunt ob causam supervenientem vel prius ignoratam, quae causa in arbitris eadem est ac pro judicibus; in arbitratoribus vero non admittitur nisi habere interesse in causa vel inimicitia manifesta. Causa recusationis apud ipsos arbitros vel arbitratores proponitur, et si negetur recusatio,

(1) Jure civili hispano qualitas advocati requiritur in omnibus arbitris, exceptis arbitratoribus; nequeunt eligi plures arbitri quam quinque, debent esse numero impares, et nequit ipsorum electio tertiae personae committi (L. P. C. Art. 790 et 791).

iterum proponi potest apud judicem ordinarium primae instantiae respectivi territorii. Haec est praxis in utroque foro, et habetur in *Lege Proc. Civ.* (Art. 794 ad 799).

4.° *Causae in quibus eligi possunt arbitri.*—Sunt omnes in quibus transigi potest; unde nequeunt eligi in causis criminalibus, nullitatis matrimonii (C. 9 h. tit.) et divortii, nec in beneficialibus (ne detur vitiosus ingressus in beneficia contra reg. 1. in 6.°), exemptionis et privilegiorum apostolicorum (C. 5 h. t.), et restitutionis in integrum, nisi incidenter tractentur (C. 9 h. t.) (1).

III. **Arbitrorum potestas et officium.**—Continetur ipsorum potestas intra limites causae sibi commissae, quamvis possint videre et decernere de iis, quae necessario et intrinsece connectuntur cum causa principali. Arbiter tenetur servare ordinem judiciarium, secundum tamen formam compromissi quoad locum et tempus, et ideo partes citabit, litis contestationem injunget, probationes excipiet, et sententiam justam secundum jura pronuntiabit (2). Arbitrator vero non tenetur servare ordinem judiciarium (3). In discordia arbitrorum pars major praevalet, nisi ex forma compromissi requireretur concors omnium sententia (C. 1 h. t. in 6.°). Si omnes discordent, et pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius, valet arbitrium de summa minori (ibid.), secus non valet arbitrium (4).

A sententia arbitrorum juris datur appellatio, non vero a sententia arbitrorum compromissariorum, tamen, si se

(1) Jure civili hispano excipiuntur tantum caussae, quae versantur super statu civili et conditione personarum, et eae in quibus intervenire debet Ministerium fiscale (Art. 487 L. P. C.).

(2) Id. jure civili hispano, sed dilationes tum citatoriae et deliberatoriae, tum probatoriae nequeunt excedere quartam partem temporis expressi in compromisso, nisi prorogetur; et prorogatio ultra medietatem dicti temporis extendi nequit (L. P. C. Art. 803 ad 816).

(3) Idem jure civili hispano; sed tamen arbitrator tenetur ferre sententiam coram Notario (L. P. C. Art. 833 et 835).

(4) Jure civili hisp. ut sententia habetur dictamen majoris partis absolutae arbitrorum; si haec majoritas absoluta non adsit, votum singulorum arbitrorum separatim extenditur in forma sententiae, et in iis, in quibus discrepent, sententia erit pars, cui adhaereat judex primae instantiae (Art. 817 L. P. C.). In judicio arbitratorum, si haec pluralitas non adsit, nullum est laudum (Art. 834 L. P. C.).

laesos enormiter putent, intra 10 dies possunt coram judice ordinario petere, ut laudum ad arbitrium boni viri reducantur (C. 11 *de Arbitr.*); secus laudum dicitur *homologatum* seu a partibus acceptatum, et tunc non procedit, nisi recursus vel querela nullitatis apud tribunal supremum. A sententia vero arbitrorum, si compromissum fuit absolutum, non datur nisi recursus nullitatis semel ac homologatum evaserit; si vero fuit cum clausula poenali, non obligat laudum nisi alternative, id est, vel ad illud exequendum, vel ad mulctam seu poenam solvendam (C. 11 h. t.) (1).

IV. **Quomodo cessent arbitri in officio.**—Cessant: 1.° Pronuntiatione laudi in causa principali. 2.° Mutuo compromittentium consensu. 3.° Lapsu diei praefiniti in compromisso vel prorogationis, si fiat, quin lata fuerit sententia. Si hoc arbitrorum culpâ accidat, hi tenentur ad damna illata reparanda. 4.° Morte arbitri vel unius ex pluribus arbitris, nisi partes mutuo consensu mortuos legitime per alios suppleant aut superviventibus totum judicium committant. 5.° Morte alterutrius ex committentibus. 6.° Justâ recusatione suspecti arbitri semel ac fuerit admissa (2).

---

(1) Jure civili hispano, a sententia arbitrorum datur appellatio, dummodo prius mulcta statuta in compromisso solvatur parti, quae non adhaesit appellationi, nisi arbitri tamquam judices appellationis constituti sint, tunc enim tantum datur recursus cassationis. Laudum vero arbitratorum, nisi interpositus sit intra 20 dies recursus cassationis, vel quamvis interpositus, si rejectus fuerit, semper exequi potest. Executio autem spectat ad judicem primae instantiae (L. P. C. Art. 818, 819, 820, 825, 826, et 836 ad 838).

(2) Id. viget jure civili hispano (Art. 799, 800 et 801 L. P. C.).

SECTIO SECUNDA

DE JUDICIIS CIVILIBUS ECCLESIASTICIS IN SPECIE

Totidem articulis agemus: I. de causis matrimonialibus; II. de causis beneficialibus; III. de informationibus ad perpetuam rei memoriam, et IV. de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei (1).

ARTICULUS I.

DE CAUSIS MATRIMONIALIS

1. Causae divortii. II. Causa nullitatis matrimonii.

I. Causae divortii.—Divortium peti potest tantum ob unam ex his causis: 1.° Ob adulterium. 2.° Ob saevitiam qualificatam. 3.° Ob haeresim vel apostasiam. 4.° Ob notoriam corruptionem moralem conjugis. 5.° Ob infirmitatem contagiosam. 6.° Ob professionem religiosam (CC. 8 et 13 tit. XIII, lib. IV Decret.; Trident. sess. 24, can. 8).

Cum actio divortii sit personalis, a conjuge innocente tantum exerceri potest. Ad hoc praesentare debet scriptum a Procuratore habilitato subscriptum, ut judex ecclesiasticus praejudicialem informationem accipiat criminis vel facti, in quo petitio niti debet. Admisso hoc scripto, examinantur testes, qui circa factum declarare debent, quin necessaria sit partis adversae citatio (C. 5, t. VI lib. II Decret.), vel conjux culpabilis juxta casum

(1) Hic non agimus de causa super nullitate professionis religiosae, quia jam satis de ea dictum est in tractatu de Regularibus (Lib. I, p. 298).

a peritis recognoscitur. Haec praevia informatio examinatur a Fiscali ecclesiastico, et hoc audito, judex sententiam interlocutoriam fert determinans, an procedat vel non petitio divortii. A resolutione negativa potest appellari quoad utrumque effectum. Si decisio sit affirmativa, acta jubentur tradi conjugi actori, ut formalem libellum divortii petitorium conficiat, et exinde sequuntur formalitates judicii ordinarii. Haec est praxis in tribunalibus Hispaniae.

Ex abusiva praescriptione legis civilis, causae incidentes, quae occurrant occasione divortii super separatione conjugum, depositione uxoris, alimentis provisoris, restitutione dotis, tutela filiorum etc., cognosci debent a tribunalibus saecularibus, ad quod judex ecclesiasticus testimonium inchoatae causae concedere debet litiganti, qui id petat. Pariter executio sententiae quoad effectus civiles competit tribunalibus saecularibus; unde pars, cujus intersit, petere debet insertionem sententiae in *Regesto civili*, eamque judici competenti exhibere. Conjugum reconciliatio, semel ac notificetur tribunali, inchoatum judicium absolvit, et ipso facto effectus sententiae latae revocat aut destruit (Cod. civ. art. 68, 74, 81 et 82; Lex 20, tit. II Nov. Rec.; L. P. C. art. 1880).

4 Lata divortii sententia, si conjux innocens adulteretur post canonicam separationem, utrique conjuges cogendi sunt ad vitam communem et conjugalem instaurandam (C. 4 et 5, t. XIX, lib. IV *Decret.*).

II. **De causa nullitatis matrimonii.**—Hodie procedendum est juxta Constitutionem Benedicti XIV *Dei miseratione* et Instructionem S. C. Concilii 22 Aug. 1840. Omnia ad haec puncta reduci possunt:

1.° *Acta conficienda* sunt lingua latina, exceptis articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea et peritorum relationibus.

2.° *Causa judicanda* est ab Episcopo vel per se, vel per personam ecclesiasticam ab eo specialiter designatam.

3.° *Instantia conjugis actoris* scripto est exhibenda, et deinde citatur defensor matrimonii, si adsit in Curia, secus nominatur. Defensor jurare debet se fideliter suum munus adimpleturum, citandus est ad quaelibet acta sub poena nullitatis actorum, omnia ei ostendenda et semper audiendus.

4.° *Examen conjugum.*—Defensor, stata die, dat interrogatoria clausa et obsignata Cancellario vel Notario aperienda, illo postulante, ex judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. His addet ex officio judex, quae ex responsionibus magis apta conspiciat ad veritatem detegendam.

Adventa die, defertur conjugi juramentum de veritate dicenda, reserantur interrogatoria et Notarius scribit in processu 1.am interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones conjugis a judice dictandas. Si quod interrogatorium addatur ex officio a judice vel defensore matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et annotabit «*Interrogata ex officio*», et scripta interrogatione et responsione, resumet ordinem progressivum. Si examen in una sessione absolvi nequit, perficitur eodem modo ac forma in alia die assignata a judice.

Absoluto examine, cancellarius legit clara voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi responsiones datas, prout ille voluerit. Tandem defertur eidem conjugi juramentum se vera dixisse, atque numquam ante processus promulgationem se evulgaturum interrogationes aut responsiones datas. Deinde ipse subscribit, et si fuerit illiteratus per signum crucis: judex et defensor item subscribunt et cancellarius de actu rogat.

Eadem methodo interrogatur deinde alter conjux, cui conjux actor potest etiam ante publicationem processus proponere articulos.

5.° *Examen septimae manus et aliorum testium.*—Deinde fit examen *septimae manus*, hoc est, septem propinquorum ex utroque latere. Ut id facilius exequi valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate conjunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectione examinis, erunt interrogandi utrum perspectam habeant religionem conjugis, ut propterea sibiipsis verisimile sit ac credant eum vera dixisse.

Eodem modo, et ad eumdem finem citandus est alter conjux, et examinandi testes septem ab hoc indicati.

Audiuntur etiam alii testes producti sive a partibus sive a defensore vinculi; distantes vero interrogantur, ad normam tamen superius descriptam, ab Episcopo loci in quo sunt.

Omnes vero testes interrogandi sunt praesertim quando initum fuerit matrimonium, utrum inter conjuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint, quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur, de causis consummationis impeditivis, de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

6.° *Inspectio legalis conjugum.*—Si querela sit de impotentia, loco triennalis experimenti jam aboliti, proceditur ad inspectionem legalem amborum conjugum.

Judex eligit inter peritos indicatos a partibus tres medicos et duos chirurgos, et in defectu destinat ex officio, dummodo non sint legitime suspecti. Virum inspiciunt singuli periti separatim, et peracta ab ipsis relatione, defensor vinculi eis proponit interrogatoria clausa et obsignata, et perficitur examen peritorum iisdem formalitatibus ac examen testium.

Ad inspectionem mulieris eliguntur tres obstetrices, instruendae a medico et a chirurgo, quae seorsim cum matrona honesta procedant. Facta inspectione, interrogantur seorsim obstetrices iisdem solemnitatibus ac alii testes, et formali examini subjiciuntur periti, quorum exquiritur judicium, audita relatione inspectionis. Eodem modo examinatur matrona dicta quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam.

7.° *Terminus processus.*—Si nec defensori vinculi nec judici ulla alia probatio exquirenda videatur, publicatur processus, et deinde fit locus defensionibus. Liberum tamen est defensori vinculi post processus publicationem, novas probationes exquirere, et, si sententia sit pro nullitate, appellare debet nec poterunt conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate. Et etiam, bina sententiâ obtenta, causa numquam transit in rem judicatam, et assumi potest, etiam post initas novas nuptias a partibus.

§ 8.° *Praxis S. C. Concilii quoad impedimentum impotentiae.*—Abolito triennali experimento, in S. Congrega-

tione haec duo proponuntur dubia: I.m an constet de matrimonii nullitate ex capite impotentiae. Et quatenus negative, II.m an sit consulendum Sanctissimo super dispensatione matrimonii rati et non consummati. Si constet de impotentia praecedenti et perpetua, respondet: ad I.m *affirmative*; ad II.m *provisum in primo*. Si autem de impotentia non satis constet, sed constet matrimonium non fuisse consummatum, simulque adsint causae sufficientes ad dispensationem concedendam, praefatis dubiis solet respondere S. Congregatio: Ad I.m *providebitur in* II.°; ad II.m *affirmative*.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS BENEFICIALIBUS

Cum hae causae inter partes contentiose agitentur, substantiari debent ad tramites praescriptos pro judicio ordinario.

Nihil dicimus de interdictis, retractibus, judiciis ad aedes evacuandas (*de desahucio*), annotationibus bonorum (*embargos*) praeventivis, et processu per comminationem executionis realis in bona (*apremio*), quia haec omnia, ita per injuriam disponente lege civili, exclusive pertractantur apud tribunalia saecularia, etiam cum de bonis ecclesiasticis vel causis civilibus ecclesiasticis agitur.

ARTICULUS III.

DE INFORMATIONIBUS AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Hujusmodi informationes ordinario capiuntur in forma judicii contradictorii, in quo citantur per edicta publica omnes illi, qui interesse habeant in informatione canonica, de qua agitur, et in quo intervenit Fiscalis ecclesiasticus. Judex admittere debet informationes dummodo ad facta referantur, ex quibus praejudicium gignere non possit personae determinatae. Testes a recurrente producti examinantur, citato Fiscali et iis, quorum interest, et, si Fiscalis petat ut evacuetur aliqua diligen-

tia, quae ad rem faciat, audiendus est. Si neque a Fiscali, neque ab alia persona informatio impugnetur, haec induet naturam negotii ad jurisdictionem voluntariam pertinentis, et concluditur per decretum approbatorium judicis, si in jure procedat; et dein in archivo custodiri praecipitur (1).

Casus frequentiores, in quibus occurrit informatio *ad perpetuam rei memoriam*, sunt: 1.° ut constet aedificatio, dotatio vel nova dotatio alicujus ecclesiae, capellae aut beneficii, quo melius jus patronatus in futurum testificari possit; 2.° ut constet possessio jurium utilium vel honoris, quae habentur in loco religioso; 3.° ut constet accepta possessio beneficii, capellaniae vel patronatus; 4.° ut constet fama virtutis aut sanctitatis qua aliqua persona demortua sit, et 5.° ut constet miraculum ab aliquo Servo Dei patratum.

ARTICULUS IV.

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVORUM DEI (2).

I. Processus ordinarius seu informativus. II. Signatio Commissionis Introductionis Causae. III. Processus Apostolici. IV Processus super non cultu et super cultu immemorabili. V. Perquisitio et revisio scriptorum Servorum Dei.

I. **Processus ordinarius seu informativus.**—Conficitur primo processus ordinarius seu informativus super fama sanctitatis vitae, virtutibus et miraculis Servi Dei, et super fama martyrii vel miraculorum.

Personae necessariae, tum pro hoc processu tum pro apostolico, sunt sequentes: Procurator seu Postulator, Judex vel Judices, Fidei Promotor vel Sub-Promotor, Notarius, Apparitor seu Cursor, et Portitor. Ex Decreto S. Congregationis R. 10 Dec. 1870 prohibetur, ut eadem persona, ne successive quidem, diversis officiis fungatur, sub poena nullitatis.

Circa processum ordinarium haec tantum notanda sunt: 1.° Ut Ordinarius in sanctitatem Servi Dei non in-

(1) Eadem est praxis in tribunalibus saecularibus Hispaniae (L. P. C. Art. 2002 ad 2007).

(2) Videantur haec omnia in opere Benedicti XIV *De servorum Dei Canonizatione*.

quirat, nisi praecesserit fama alicujus eminentis virtutis vel miraculi. Satis tamen est, ut haec citra juris solemnitates constet. 2.° Ut per se processum conficiat, et, si legitime sit impeditus, Vicarium Generalem aut alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum deleget una cum duobus adjunctis, alio Magistro in Sacra Theologia, alio ad gradum evecto Juris canonici. 3.° Ut qui conficiunt processum, proprium nomen adnotent post subscriptionem cujuscumque testis, et hi per extensum et explanate deponant, praestito juramento. 4.° Ut praeter testes a Postulatore inductos, alii ex officio a Judice examinentur. 5.° Ut per Epistolam Summus Pontifex certioretur, exemplar authenticum processus ad S. R. Congregationem mittatur, et autographum in archivo ordinario servetur.

II. **Signatio Commissionis Introductionis Causae.**— Postquam per Pontificem signata fuerit commissio Introductionis Causae, Dei Servus, cujus agitur causa, appellatur *Venerabilis*; S. R. Congregatio sibi assumit Causam pontificia auctoritate, illamque pertractare incipit; Ordinarius nequit amplius eidem Causae se immiscere sub poena nullitatis; aperitur via ad Processus apostolicos, et Causae Postulator petere et obtinere poterit Litteras Remissoriales pro iisdem processibus conficiendis auctoritate apostolica.

III. **Processus apostolici.**—Duo sunt in hisce Causis processus apostolici conficiendi, alter super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, alter super virtutibus et miraculis in specie; sed *ne pereant probationes*, Causarum Postulatoribus instantibus, S. Congr. Litteras Remissoriales expedire solet, ut hic processus simul cum alio conficiatur. Hae litterae diriguntur Ordinario dioecesis, in qua Processus conficiendus erit, necnon ejus Vicario Generali et quatuor Dignitatibus aut Canonicis Ecclesiae Cathedralis, ut ipse Ordinarius cum suo Vicario aut altera ex Dignitatibus aut Canonicis, sive ejus Vicarius cum duabus ex praedictis Dignitatibus aut Canonicis, vel utroque impedito, ipsae quatuor Dignitates vel Canonici conjunctim procedant. Promotor delegat etiam duos Sub-Promotores, qui actis assistant. In hoc processu solet limitari facultas examinandi testes ad senes, valetudinarios et proxime e loco discessuros,

necnon praefigi terminus ad illum explendum. Hac dempta limitatione, processus super fama sanctitatis, etc. eodem modo ac forma conficitur.

Discusso in S. R. Congr. dubio super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, et rite approbato, Causae Postulator apud ipsam S. C. legitime jam constitutus, S. Pontificem exorat pro concessione Litterarum Remissorialium et Compulsorialium ad effectum prosequendi et absolvendi Processum provisionaliter inchoatum super virtutibus et miraculis in specie *ne pereant probationes*; quibus concessis, remittuntur iis, qui processum inchoaverant et cum facultate subrogandi in casu mortis vel impedimenti unum vel alterum judicem aut ambos Fidei Sub-Promotores, examinandi testes absque limitatione, compulsandi scripturas, monumenta et processus ad Causam quomodolibet facientes, visitandi, recognoscendi et describendi statum sepulcri et corporis V. Servi Dei, necnon mutandi, quatenus aliquid passus sit detrimenti, locum sepulcri, capsam et vestes, servatis praescriptionibus Urbani VIII. In iisdem Litteris novus assignatur terminus unius vel plurium annorum ad Processum absolvendum.

Demum devenitur ad Processum super miraculis, pro quo Commissio a S. Congregatione nominatur. In causis *per viam cultus immemorabilis* aut indulti apostolici, *quatuor* ostendi debent miracula pro impenetranda canonizatione; in causis *per viam non cultus*, *duo* sufficiunt pro beatificatione et *duo* pro canonizatione, si probata per testes de visu, et *quatuor* pro beatificatione et *duo* pro canonizatione, si probata per testes de auditu.

IV. **Processus super non cultu et super cultu immemorabili.**—Praeter processus recensitos adsunt processus *super non cultu* et super casu excepto a decretis Urbani VIII, seu *cultus immemorabilis*, qui fieri potest auctoritate ordinaria vel apostolica. Ut fiat ordinaria, confici debet antequam signata fuerit commissio Introductionis Causae. Tamen in casu excepto hodie processus ordinarius praecedere semper debet processum apostolicum.

V. **Perquisitio et revisio scriptorum Servi Dei.**—Haec ordinarie praecedere debet signaturam Commissionis Causae, sed interdum dispensatur.

TITULUS III.

DE JUDICIIS CRIMINALIBUS SEU POENALIBUS

Totidem articulis agemus: I. De processu criminali ordinario. II. De processu criminali summario. III. De processu criminali summarissimo. IV. De processu criminali oeconomico.

ARTICULUS I.

DE PROCESSU CRIMINALI ORDINARIO

Quatuor hic considerare possumus: I. Quae ad praeparationem judicii, seu ea, quae ad illud rite inchoandum necessaria sunt. II. Primum stadium judicii, seu summarium. III. Secundum stadium judicii seu plenarium. IV. Tertium stadium seu sententiam, appellationem et exequutionem sententiae.

§ I.—DE PRAEPARATIONE JUDICII ORDINARII

I. Requisita ad judicium rite inchoandum. II. Accusatio. III. Denuntiatio. IV. Inquisitio.

I. **Requisita ad judicium rite inchoandum.**—Ut judex rite valeat judicium inchoare requiritur notitia delicti et delinquentis, quam, nisi delictum sit notorium, acquirere debet judex: vel per accusationem, vel per denuntiationem vel per inquisitionem.

II. **Accusatio** (1).—Videnda sunt: 1.° ejus natura; 2.° quinam accusare nequeant; 3.° quomodo proponi de-

(1) In Lege processali Crimin. hisp. accusatio vocatur querela (*querella*) (Lib. II, tit. II).

beat accusatio; 4.° accusationis effectus; 5.° nonnullae quaestiones speciales.

1.° *Natura accusationis.*—Accusatio est delatio rei criminis in judicium, ad publicam vindictam solemniter facta. Dicitur *delatio*, in quo distinguitur ab inquisitione, ad quam sufficit fama; *rei criminis* et quidem *gravis*, et valde probabiliter *commissi; in judicium*, ut ipse judex causam dirimat, nam arbitri in criminalibus non admittuntur; *ad publicam vindictam*, in quo differt ab actione civili, cujus finis est satisfactio ejus, qui damnum vel injuriam passus est, et a denuntiatione evangelica, cujus finis est delinquentis correctio.

2.° *Quinam accusare nequeant.*—Ab accusando repelluntur: **a)** *Ob defectum aetatis*, impuberes, sed non qui 14.^{m} annum excesserint. **b)** *Ob sexum*, feminae, nisi de criminibus exceptis accusent. **c)** *Ob statum*, clerici et regulares, si criminaliter causa agatur; regulares vero accusare possunt suos praelatos et etiam alios religiosos apud proprios judices. **d)** *Ob defectum animi vel corporis*, amentes, furiosi et surdomuti a natura. **e)** *Ob vinculum censurae*, excommunicati. **f)** Infames, tum infamia juris tum facti, criminosi notorii, et qui accusatus est post litis contestationem, nisi a crimine purgetur aut innocens appareat, vel de crimine majori ipse contrarium accuset. **g)** *Ob suspicionem falsi*, inimici graves aut capitales, aut qui cum illis frequenter conversantur, nisi de injuria aut damno ipsis illato accusent; qui subornati falsum in judicio aliquando dixerunt, vel calumniarunt, aut pecuniam ad accusandum vel ad accusationem omittendam receperunt; pauperes qui 50 saltem aureos non habent, nisi optimae famae sint; haeretici demum, judaei et infideles relate ad christianos. **h)** *Ob conjunctionem sanguinis et reverentiam*, parentes, filii et fratres inter se.

Omnes tamen praedicti, exceptis amentibus et excommunicatis, accusare possunt, si suam injuriam mortemve propinquorum vindicent, vel si agatur de criminibus atrocioribus seu exceptis, quamvis in hoc casu excipiendi etiam sunt inimici capitales, et in utroque clerici et religiosi protestare debeant contra poenam sanguinis(1).

(1) Jure civili hispano actio criminalis est publica et exerceri

3.° *Quomodo proponenda est accusatio.*—Proponenda est in scriptis per libellum rite formatum, qui continere debet: **a)** Nomen judicis. **b)** Nomen et cognomen accusatoris et accusati. **c)** Speciem criminis cum circumstantiis loci et temporis, quo patratum est. **d)** Subscriptionem accusatoris in crimen vel in poenam talionis si illud non probet (1).

Postremum consuetudine contraria abrogatum est, quamvis S. Pius V in Const. *Cum primum*, praedictam poenam renovat contra falsos accusatores criminis blasphemiae, sodomiae aut concubinatus, et certo servandum est in religionibus, quorum statuta id praescribunt, ut Ordinis Seraphici. Hodie jure communi sufficit ut accusator sese obliget ad crimen probandum, si enim deficiat in probatione, ut calumniator puniri poterit.

4.° *Effectus accusationis.*—**a)** Quoad *judicem:* 1.° Tenetur illam acceptare et prosequi, nisi accusator sit inhabilis, tunc enim illum rejicere debet; sed, si nec ipse, nec accusatus ope exceptionis ante litem contestatam propositae illum rejiciat, non erit invalidus processus. 2.° Illa posita, judex potest accusatum citare ut personaliter compareat. 3.° Etiamsi accusator ab accusatione desistat, nihilominus potest judex ex officio procedere in causa (2).

---

potest ab omnibus civibus hispanis, exceptis: 1.° iis, qui non gaudent plenitudine jurium civilium; 2.° bis damnatis ob denuntiationem calumniosam; 3.° judicibus et magistratibus; 4.° conjugibus, ascendentibus et descendentibus inter se.—Sed omnes hi possunt, si propiam vel suorum injuriam persequantur. Tamen actiones poenales ob stuprum, calumniam vel injuriam exerceri nequeunt, nisi ab iis quorum interest (L. P. C. Art. 101, 102, 103 et 104).

(1) Idem jure civili hispano; sed loco postremae conditionis requiritur quod singulariter designentur ea, quae ad delictum probandum exequi debent, petatur detentio rei, vel fidejussio pro libertate provisionali, et determinetur, si expediat, quantitas bonorum, quae annotari debeant, subscriptio advocati et accusatoris, vel procuratoris cum mandato speciali, et si agatur de delicto quod ad instantiam partis persequi valet, excepto stupro, quod exhibeatur testimonium inutiliter tentatae conciliationis (L. P. C. art. 277 et 278). Etiam exigitur depositum pecuniarium, nisi accusator sit ipse injuriatus vel ipsorum propinqui aut haeredes (Ibid. art. 280 et 281).

(2) Jure civili hispano Ministerium fiscale tenetur ex officio exercere actionem criminalem, sive existat sive non accusator

b) Quoad *accusatorem*: 1.° Juramentum calumniae emittere tenetur, quamvis, si ab accusato non petatur, non est de substantialibus judicii. 2.° Tenetur crimen probare; in qua probatione si deficiat, et consequenter temere litigasse convincatur, puniendus est. 3.° Accusationem prosequi tenetur iis in casibus, in quibus adest obligatio accusandi, ut evenit quando crimen probari potest, et alia via quam per accusationem bono communi consuli nequit, vel si judicii libellus jam sit oblatus, justamque desistendi causam non habet; si enim habeat, v. g., quia erravit, non solum potest, sed debet desistere, quamvis poenam luere in foro externo teneatur, extraordinariam nempe, quae arbitrio judicis relinquitur, si de crimine privato agatur; infamiam vero, poenam pecuniariam vel indemnizationem expensarum, si de publico sermo sit.

c) Quoad *accusatum*: 1.° Dum pendet accusatio ad novas dignitates promoveri nequit, obtentis vero antea uti non prohibetur (C. 4, 13 et 23 *de Accusat.*) 2.° Finita accusatione, si legitime probetur delictum, pronuntiatur sententia condemnatoria ad poenam ordinariam et certam, siqua in jure statuta est, vel ad aliam arbitrariam, condignam tamen (C. 12 *de Accusat.*).

5.° *Nonnullae quaestiones solvuntur*: **a)** Prima est an per sententiam semel absolutus, de eodem crimine iterum accusari possit. Respondendum est, *regulariter* negative (C. 6 *de Accusat.*). Et dico regulariter, quia dantur casus excepti, et sunt: 1.° Si absolutus sit ab observatione judicii, vel quia processus fuit nullus, vel quia in processu delictum non fuit probatum, et nova afferuntur indicia. 2.° Si absolutus fuit per viam exceptionis contra accusatorem vel testes. 3.° Si post absolutionem reus sponte delictum judicialiter fateatur. 4.° Si probetur collisionem adfuisse inter accusatum et accusatorem. 5.° Si absolutio data solum fuit in foro conscientiae. 6.° Si reus permittat se iterum in judicium deduci.

b) Secunda est, an semel accusatus, qui ob judicis partialitatem non fuit debite punitus, denuo possit accusari. Respondendum est, quod, si nullam subivit poenam, duplex accusatio institui potest, unam contra judicem iniquum, qui de-

---

privatus; iis casibus exceptis, in quibus Codex Poenalis actionem expresse restringit ad querelam seu accusationem privatam (L. P. C. art. 105).

linquentem fovet, et alteram contra reum qui impunitus remanere non debet. Si tamen poenam subivit, sed multo leviorem quam merebatur, judex quidem puniendus, si probetur poenam sine justa causa minuisse, ast accusatio nequit instaurari.

III. **Denuntiatio.**—Videnda sunt: 1.° natura et divisio; 2.° quomodo facienda sit denuntiatio judicialis; 3.° quinam denuntiare possint, et 4.° obligatio denuntiandi.

1.° *Natura et divisio denuntiationis.*—Denuntiatio est delatio seu manifestatio criminis Superiori facta sine solemnitate. Si fiat Superiori tamquam patri, seu non ideo, ut reus poena publice plectatur, sed ut correptus resipiscat, erit *evangelica*; si fiat Superiori, non in vindictam, nec in emendationem rei, sed ut Superior pro munere suo impediat damnum commune vel alicujus privati ex delicto imminens, erit *canonica*, et demum, si fiat Superiori tamquam judici, erit *judicialis*.

Tum *canonicam*, tum *judicialem* plures dividunt in *generalem* et *specialem*. *Canonica generalis* est, quae ab omnibus fieri potest ut impediatur delictum vel damnum, aliudve incommodum, vel ejus continuatio; *canonica specialis*, quae, ab iis quorum interest bonum habere Praelatum Superiori fit, ut, qui male praeest vel male administrat, corrigatur, et si post trinam vel binam saltem monitionem incorrigibilis appareat, a praelatura vel officio erit amovendus. *Judicialis generalis* habetur, si quis delictum judici prodat absque delinquentis designatione; et *specialis*, si et delictum simul et delinquens prodantur.

2.° *Quomodo facienda est denuntiatio.*—Requiritur, ut sit scripta manu denuntiantis, vel per publicum instrumentum, quod ipse denuntians subscribere etiam debet, et ut serventur aliae conditiones, quae pro libello accusatorio praescribuntur, excepta obligatione denuntiationem probandi; nam accusator est verus actor in judicio, unde suam intentionem probare tenetur; contra vero, denuntiator, cum non sit pars in judicio. Tamen, ad hoc ut judex ex officio procedere possit, debet in denuntiatione indicare media probatoria, quibus judex uti queat (1).

(1) Jure civili hispano nulla solemnitas requiritur in denuntiatione, et fieri potest judici vel Fiscali vel satelliti (*polizonte*), quin

3.° *Quinam denuntiare possint.*—Denuntiare judicialiter possunt omnes qui a jure expresse non prohibentur. Prohibentur vero expresse infamis, inimicus gravis, nisi agat causam propriam, excommunicatus denuntiatus, et *ordinarie*, socius criminis. Dico *ordinarie*, quia excipitur casus complicis relate ad confessarium sollicitantem, et casus, quo denuntiato a judice extorta sit post diligentem explorationem omnium circumstantiarum, et videatur non procedere ex animo vindictae, nec cadere in personam, de qua suspicari non possit, et aliunde denuntians perseveret in sua denuntiatione.

4.° *Obligatio denuntiandi.*—Delicti gnari illud denuntiare tenentur quoties denuntiatio necessaria sit ad vitandum grave damnum communitati vel tertio imminens et alia via damnum illud impediri nequeat, nisi exinde ipse denuntians grave subire deberet damnum. Plures etiam excipiunt casum, quo delictum tantum cognoscatur per secretum professionale. Quoad delicta praeterita non permanentia, sed publica, disputatur; si privata sint, nulla est obligatio illa denuntiandi, nisi de exceptis criminibus agatur (1).

IV. **Inquisitio.**—Examinanda sunt: 1.° natura et divisio inquisitionis; 2.° quandonam uni vel alteri inquisitioni locus sit; 3.° quomodo in inquisitione procedatur.

1.° *Natura et divisio inquisitionis.*—Inquisitio generatim sumpta est criminis vel criminosi indagatio per judicem legitime facta.

Triplex distinguitur: *generalis*, quae fit a Praelatis ex mero officio, nulla certa persona vel crimine expresso; *specialis*, qua nempe judex indagat ex mero officio, vel ad alicujus offensi querelam, vel ad officialis publici denuntiationem, in certam personam de certo et speciali delicto, an nempe hujus delicti rea sit illa persona;

---

denuntiator ullam probandi obligationem contrahat (L. P. C. art. 259 et 264).

(1) Jure civili hispano omnes obligantur ad denuntiandum publica delicta, exceptis conjuge, ascendentibus vel descendentibus, consanguineis aut affinibus delinquentis in 5.° gradu (L. P. C. Art. 259 et 261). In art. 263 etiam excipiuntur procuratores et advocati quoad notitias haustas ex suis clientibus, ecclesiastici vel ministri cultuum dissidentium quoad notitias acquisitas in proprii muneris exercitio.

mixta, seu partim generalis, partim specialis, per quam judex vel nullo determinato crimine in certam personam, quae crimina patraverit (quod quidem rarius est), vel, quod frequentius contingit, nulla certa persona expressa in certi criminis commissi auctorem investigat.

2.° *Quandonam uni vel alteri inquisitioni locus sit.*— a) Inquisitionem *generalem* semper instituere possunt praelati; immo ad eam obligantur ratione muneris, ut exprimit Conc. Trid. quoad Episcopos (Sess. 7, c. 8; sess. 21, c. 8 de ref.). An autem in generali inquisitione praecipere possit Superior, ut sibi juridice denuntientur delicta occulta, negandum est, nisi praecesserit publica infamia de delicto, vel nisi delictum communitati noceat, et alio modo praecaveri non posset damnum. Ratio est, quia judex jus non habet inquirendi de reis occultis, ideoque non potest subditos obligare ad eos manifestandos, licet sub praecepto obedientiae praecipiat.

b) Inquisitione *mixta* utetur cum delictum denuntiatur in singulari, aut e contra.

c) Si vero adsint delicti et delinquentis indicia saltem semiplene probantia, vel praecesserit alicujus infamatio, vel, quamvis non praecesserit, si delictum et delinquens in singulari denuntientur, procedet inquisitio *specialis*. Diffamatio autem, ut inquisitioni speciali deservire possit, debet: 1.° saepius ad judicis notitiam pervenisse (C. 21 *de Accusat.*); 2.° a personis fidedignis procedere, et perseverare; 3.° probari per duos saltem testes, qui affirment se publice audivisse; 4.° praecedere ipsum processum, non autem ex ipso oriri.

Hic instituere possumus quaestionem, an si quis paterne denuntiatus et correptus sese nolit emendare, liceat, Praelato, judicialiter procedere. Dicendum ergo quod, si delictum notorium non sit, nec in judicio probabile, neque directe in damnum communitatis vergens, nihil aliud Praelato superest faciendum quam orare, eum invigilare, occasionesque amovere, quas sine scandalo vel subditi infamia tollere poterit, sed nequit ad aliud inquisitionis genus procedere. Si vero delictum notorium sit, vel in communitatis aut tertii damnum vergat, potest denuntiantem praecipere, ut, relicta denuntiatione evangelica, ad judicialem transeat; cui praecepto delator obedire tenetur, nisi forte ob grave damnum excusetur. At si delator obedire renuat, juxta alios, potest judex fiscalem creare, qui criminosum judicialiter denuntiet, et tunc, qui denun-

tiare noluit, potest interrogari tamquam testis, sed, juxta alios, in hoc casu judex procedere judicialiter nequit.

3.° *Quomodo in inquisitione procedatur.*—**a)** Si denuntiata sint et delictum et delinquens, incipit judex informationes sumendo super delicto, testes examinando, corpus delicti probando per visum et repertum, si delictum sit permanens, vel per testium dicta, si delictum sit facti transeuntis. Postea examinat testes de delinquente.

b) Si denuntiatum sit delictum, non vero delinquens, judex incipit ut supra, et, probato delicto, omnes subditos haec interrogat: quisnam auctor sit delicti, aut quis talis censeatur, undenam fama ortum habuerit, ubinam, quando et quibus circumstantiis, an credant esse veram, deque causa suae credulitatis.

c) Si denuntiatus sit delinquens, non vero delictum, eodem modo proceditur, inquirendo primum de delicto, eoque probato inquiritur de delinquente.

§ II.—DE PRIMO STADIO JUDICII CRIMINALIS SEU DE JUDICIO SUMMARIO

I. Natura summarii. II. Modus procedendi in efformatione summarii. III. Rei citatio et interrogatio. IV. Rei exceptiones. V. Summarii conclusio.

I. **Natura summarii.**—Ita appellantur ea omnia acta, quae eo tendunt, ut per illa cognoscantur et probentur patrata delicta cum omnibus adjunctis, quae inservire possunt ad ipsa in specie designanda, et culpabilitatem delinquentium determinandam, necnon ad assecurationem personarum, illarumque obligationum pecuniarium sponsionem obtinendam (1). Initium sumit ab inchoatione causae criminalis, et concludit judicis decreto, cum quo processus Fiscali traditur, vel privato accusatori, si forte adsit, ut accusationem, si procedat, omnibus juris solemnitatibus faciant.

II. **Modus procedendi in efformatione summarii.**—1.° In primis pro quolibet delicto, nisi delicta connexa sint, unum instrui debet summarium, et in ejus forma-

(1) Idem est in jure civili hispano (L. P. C. art. 299).

tione semper intervenire debet Fiscalis, si agatur de delictis publicis, quamvis adsit accusator privatus. Ita praxis in utroque foro (L. P. C. art. 300, 306 et 311).

2.° *A quo et coram quo instruitur.*— Instrui debet a judice competenti coram Notario, vel ejus defectu coram duobus honestis viris aetate majoribus qui legere et scribere sciant, quique jurare debent se fidelitatem et secretum servaturos (C. 11, *de Probat.*; L. P. C. art. 312).

3.° *Inchoatio summarii.*—Praesentato accusationis vel denuntiationis libello, vel officio (Fiscalis enim et Praelati in forma officii denuntiant), judex accusatorem vel denuntiantem citabit, ut accusationem vel denuntiationem ratam habeat. Deinde diligenter perpendet an accusatio vel denuntiatio requisita necessaria habeat tum ex parte accusatoris vel denuntiantis, tum ex parte delicti, tum ex parte libelli, illamque, prout procedat, admittet vel recusabit (1).

4.° *Prosequutio summarii.*—Admisso libello, judex jubet exequi probationes pertinentes, quae in ipso indicentur. Si agatur de delicto permanenti, procedet per se vel per delegatum ad hauriendas informationes super delicti corpore, mediante inspectione oculari eorum omnium, quae relationem habeant cum existentia et natura delicti, et, si opus fuerit, loci, effectuum aut instrumentorum delicti delineationem facere jubebit. Si delictum non sit permanens, supplebitur id per alias probationes (Id. jure civ. hisp. L. P. C. art. 312, 326, 327 et 331).

Ad identificandam personam delinquentis, judex sive ex officio sive ad instantiam accusatoris recognitionem judicialem decernet, quae perficitur praesumptum delinquentem una cum aliis personis huic similibus exhibendo illi qui recognitionem facere debet, ut inter eas certo ab ipso designetur. Ab hanc identificationem complendam poterunt, si dubium remaneat, ea omnia peragi, quae pertinentia videbuntur, ad quod judex omnia signa personalia processati minutim describenda curabit (2).

Statim ac ex summario deducatur rationabile indi-

(1) Idem jure civ. hisp. L. P. C., art. 313.
(2) Id. jure civ. hisp.; L. P. C., art. 368, 369, 373 ad 375.

cium imputabilitatis personalis contra aliquam in specie personam, processui obnoxia declaratur, cautio pecuniaria per judicem determinata ab ea exigitur, quam, si voluntarie non praestet, annotantur (*embargar*) et bona ad id necessaria: sed ad hoc in Hispania judex ecclesiasticus implorare debet auxilium brachii saecularis, sicuti etiam ad ingrediendum in locum clausum, ibique libros aut alia documenta perscrutandum, vel ad litteras privatas adaperiendas, quando id necessarium fuerit. Eodem modo proceditur contra eos, qui civiliter sponsores esse ex summario appareant; sed horum causa seorsim pertractatur ad tramites causarum incidentium civilium (1).

III. **Rei citatio et interrogatio.**—Rei citatio omnino necessaria est ad validitatem processus, nisi reus *in fraganti* delicto reperiatur vel valde evidens et notorium sit crimen, simulque constet nullam reo posse competere defensionem, vel si reus praesens sit et judici interroganti respondeat. Ut autem citatio sit legitima, necesse est ut praecesserit informatio saltem semiplene probans, et ut fiat cum requisitis in titulo I hujus Libri explicatis. Si reus sit absens a loco judici, sed intra territorium, citari potest vel per delegatum vel per epistolam; si vero sit extra territorium, citari debet per litteras hortatorias.

In Hispania, si reus sit clericus, potest, cum id circumstantiae suadebunt, conveniri citatione reali, id est, processatum retinendo in domo ad hunc effectum destinata, vel in seminario aut domo religiosa. Haec est praxis.

Reo comparente proceditur ad ipsius interrogationem, sed ei deferendum non est juramentum de veritate dicenda (Conc. Romanum a. 1725) (2).

Hoc interrogatorium in causis criminalibus vices agit contestationis litis, nisi per viam accusationis procedatur; tunc enim, priusquam interrogetur reus debet respondere libello accusatorio, quae responsio in quantum intentioni actori opponatur pro contestatione litis habetur.

(1) Id. jure civ. hisp.; L. P. C., art. 589, 615 et seqq.
(2) Id. jure civ. hisp.; L. P. C., art. 387.

Reus interrogari potest, quoties opportunum judici videbitur, et ipse etiam reus, quoties ei placuerit, declarare potest. Prima vice interrogandus est ante omnia super generalibus legis, nempe super nomine, aetate, statu, professione, an aliquando processatus fuerit, ob quale delictum, coram quo judice vel tribunali, ad quam poenam damnatus fuerit, an illam subiverit, et an sciat causam ob quam nunc processui subjicitur. Dein fiunt interrogationes aptae ad facta dilucidanda, et ad participationem, quam ipse vel aliae personae in illis habuerunt. Interrogationes vero debent esse perspicuae, certae et directae, non dolosae, captiosae vel suggestivae, aut cum minis vel coactione. Ita praxis in utroque foro (1).

Circa complices regulariter interrogandus non est (C. 1 *de Confes.*, et 10 *de test. et attest.*), nisi agatur de criminibus, quae in reipublicae perturbationem aut perniciem cedunt, ut haeresis, sacrilegium etc., vel, quae sine socio non committuntur, ut adulterium, sodomia, vel de delictis occultis et difficilis probationis, in quibus aliter plerumque veritas sciri nequit, vel nisi socii jam sint diffamati aut contra eos sint indicia sufficientia. Sed in his casibus, si declaratio rei non sit aliunde suspecta, tunc enim nihil probat, tantum gignit aliquam praesumptionem de crimine socii denuntiati; unde in criminibus exceptis inservit ad inquisitionem specialem contra denuntiatum et ad transmittendum illi criminalem libellum, ut cogatur personaliter comparere suasque defensiones allegare; in aliis vero criminibus solum aperit viam inquisitioni generali, nisi corroborata sit aliis indiciis vel praesumptionibus. Reus demum potest suas declarationes actuario dictare; si suo jure non utatur, illas judex dictabit iisdem rei verbis, quantum fieri possit (2). Quoad alia proceditur in interrogatione sicut in processu civili ordinario.

IV. **Rei exceptiones.**—Ex quo reus citatur ad standum coram judice, potest per se vel etiam per advocatum, si reus adhuc incommunicatus non sit, ea omnia facere, quae ad propriam defensionem ordinantur; unde, potest statim opponere omnes tum dilatorias, tum peremptorias, sive civiles sive criminales exceptiones sibi faventes, necnon in declarationibus ea omnia exponere, quae illum a crimine absolvant vel excusent (3). Exceptiones incompetentiae, recusationis et omnes civiles pertractantur juxta tramites in Titulo I et II hujus Libri

(1) Id. jure civ. hisp., art. 385, 388, 389 et 400,
(2) Id. id. id. L. P. C., art. 397.
(3) Id. id. id., 384 et 396.

explicatos. Exceptiones vero criminales proponi possunt civiliter vel criminaliter contra accusatorem vel contra testes; sed probari debent a reo, quamvis in neutro casu punitur reus ex eo quod in probatione deficiat. Si exceptio probetur, et proponatur civiliter, inhabilis declaratur is contra quem proposita fuit ad interveniendum in processu, sed si proposita fuit criminaliter, poterit insuper puniri.

V. **Conclusio summarii.**—Omnibus peractis diligentiis, a judice decretis sive ex officio sive ad instantiam partis, judex acta omnia tradi jubebit Fiscali ecclesiastico, ut post ea inspecta scripto manifestet possitne pro concluso summarium haberi. Si proponat alias diligentias, exequentur illarumque acta noviter ipsi tradentur, et dein, assentiente Fiscali, Judex conclusum summarium per sententiam interlocutoriam declarabit (1), et publicare jubebit *processum offensivum*, qui hucusque secretus fuit. Cum id reo notificetur, ei simul intimari debet ut procuratorem et advocatum suum nominet; quod si renuat, ei ex officio erit nominandus.

§ III.—DE SECUNDO STADIO JUDICII CRIMINALIS, SEU DE PLENARIO

I. Natura plenarii. II. De supersedendo in causa. III. De accusatione et rei responsione. IV. De probationum productione. V. De allegatione in jure et in facto.

I. **Natura plenarii.**—*Plenarium* proprie dicitur judicium solemne criminale; tunc enim reapse incipit solemnitas judicii, cum summarium ad plenarium elevatur;

(1) Id. jure civili hispano; sed si ex summario constet facta non constituere delictum sed culpam (*falta*), acta remittuntur judici municipali competenti, et de hoc Audientia certioratur ut actum approbet. Semel approbato, vel rejecto recursu abrogationis (*casación*), partes citantur ut intra quinque dies compareant coram judice municipali competenti. Si agatur de delicto, acta remittuntur Audientiae, cujus est conclusionem summarii approbare vel novas diligentias exigere Si approbetur, Audientia jubet acta exhiberi, citato Fiscali si de delicto publico agatur, et accusatore privato si adsit, et intra tres dies exhibitionem sequentes sententia interlocutoria pronuntiatur vel supersedendo vel jubendo aperitionem judicii oralis, quod plenarium etiam dicitur (Art. 622 ad 633 L. P. C.).

nam summarium ordinatur ad praeviam judicis instructionem et quidem facilius obtinendam circa naturam delicti et culpabilitatem delinquentis; unde in eo proceditur secreto, declarationes testium reo non communicantur, saltem ordinarie, et plures omittuntur juris solemnitates; sed cum causa jam perfecte instructa est, tunc aperitur via ad judicium solemne seu plenarium inchoandum, et jam non proceditur secreto, sed publice, et omnia acta reo notificantur.

II. **De supersedendo in causa.**—Ut plenarium judicium incipiat, necesse est ut iterum instauretur accusatio; ad quod acta tradi jubentur accusatori privato, si adsit, secus Fiscali, ut intra praefixum terminum libellum accusatorium cum omnibus solemnitatibus juris instaurent. Si hic non reperiat in summario motiva sufficientia ad accusationem in formam redigendam, petere debet ut *supersedeatur* in causa, et in hoc casu frustratur judicium plenarium. *Supersedere* enim nihil aliud est quam processum suspendere, vel ab inchoato resilire per sententiam interlocutoriam judicis. Duplex autem est: *liberum* seu *perpetuum* et *provisionale* seu *temporaneum*. Primum aequivalet absolutioni perfectae reumque in pristinum statum bonae famae restituit; secundum tantum provisorie judicium suspendit, donec nempe aliae afferantur probationes ad judicium prosequendum. Cum libere supersedetur debet judex in sententia accusato reservare jus ad persequendum ceu calumniatorem, accusatorem privatum.

Procedit *libere* supersedere cum ex summario deducitur innocentia rei; *provisorie* vero, cum ex eo non constat delictum vel culpabilitas rei, saltem plene (1). In hoc tamen casu, si processatus sit persona cujus fama et existimationis integritas populo christiano valde necessaria sit, et aliunde de crimine sit publice diffamatus apud bonos et honestos viros, poterit judex ei indicere purgationem canonicam, id est, praestationem juramenti circa propriam innocentiam, adhibito certo personarum numero a judice taxando juxta qualitatem rei, delicti et infamiae, quae vicinae ipsius rei sit, illius vitam et conversationem agnoscant, quaeque jurent se credere

(1) Id. jure civ. hisp. L. P. C. art. 634, 637 et 638.

purgatum vera dixisse. Hae personae *compurgatores* vocantur. Si hoc modo reus se purget, supersedetur etiam libere; si e contra deficiat in purgatione, vel quia jurare recusat, vel quia compurgatores nullos invenit, pro convicto habetur, et tunc jam adest fundamentum sufficiens ad judicium plenarium inchoandum illudque usque ad sententiam inclusive prosequendum. Contra sententiam de supersedendo non datur appellatio, nisi in devolutivo (1).

III. **De accusatione et rei responsione.**—Si Fiscalis motiva sufficientia inveniat ad culpabilitatem accusati stabiliendam, formulare debet in scriptis accusationem, de delicti qualitate et culpabilitate processati judicium ferendo, et declarando an constet ex processu culpabilitas aliarum personarum ad illas processui subjiciendas. Si ei opportunum videatur, potest etiam proponere, ut probationes recipiantur et procedatur ad ratas habendas declarationes testium summarii. In hoc casu interrogatoria ad testes examinandos scripto adjiciet, et probationes, quas opportunas credat, determinabit.

Actis devolutis a Fiscali, traduntur, si adsit, accusatori privato, ut intra eumdem terminum libellum accusatorium cum praedicta censura (*calificación*) porrigat judici. Dein acta omnia communicantur reo, ut intra eumdem terminum accusationi respondeat, ea omnia proponendo, quae ad suam defensionem faciant.

IV. **Probationum productio.**—Si vel a reo tantum, vel a Fiscali, vel ab accusatore petatur, fieri debet probationum productio iisdem solemnitatibus ac in judicio civili ordinario. Tantum haec notanda sunt: 1.° Quod vice ratihabitionis testium, judex decernere poterit, cum sibi expedire videatur, anachrisim (*careo*) testium cum reo. 2.° Quod anachrisis decerni etiam potest quoties testes vel processati inter se discordes sint, modo alia media probationis desint, et nonnisi inter duas personas ordinarie fiat.

Anachrisis fit coram judice hoc modo: 1.° Actuarius legit reis vel testibus discordantibus suas declarationes, et dein judex testes interrogat, postquam eis juramentum et poenas falsi testimonii in mentem revocaverit, an illas ratas habeant

(1) Id. jure civ. hisp.; L. P. C. art. 636.

vel in aliquo variandas credant. 2.° Si anachrisis sit inter testem et reum post ratihabitionem testis, interrogatur reus an adhuc sustineat falsam esse declarationem. 3.° Dein judex, manifestatis ipsis contradictionibus, quae ex declarationibus oriuntur, ipsos hortatur ut inter se conveniant, et ad hoc eis potestatem tribuit sese mutuo interrogandi, sed absque injuriis nec minis. 4.° Actuarius diligenter omnes in actis adnotabit responsiones mutuasque reconventiones necnon et gestum eorum. 5.° Demum actum suscribunt judex et omnes concurrentes, et de omnibus fidem facit actuarius, exprimendo, si quis subscribere nolit, causam ob quam renuat. Haec praxis viget in utroque foro (1).

V. **De allegatione in jure et in facto.**—Elapso termino probatorio, acta traduntur accusatori privato, si adsit, necnon Fiscali ut scriptum accusatorium, allegando in jure et in facto, prout ex processu deducatur, componant. Hoc scriptum concluditur cum definitiva censura delicti, complicitatis seu participationis rei in ipso, et poenae, quae ad normam juris ei imponi debet. Accusatoris scriptum subscribi debet ab ipsius procuratore et advocato. Dein, copia ipsius et omnia acta traduntur reo, qui per se, praesertim si advocatus sit, vel per advocatum se defendere potest.

Quadruplici ex capite potest reus se defendere, nempe: 1.° *Ex nullitate processus*, quae oriri potest ex defectu jurisdictionis in judice, vel ex eo quod reus non fuit legitime citatus, vel quia ei oblatum aut concessum non fuit jus defensionis, vel quia damnatus fuit quin de delicto constaret. 2.° *Ex eo quod delictum non sit probatum*; nam tunc reus absolvendus est, licet in se assumpserit onus innocentiam suam probandi, et defecerit. 3.° *Ex eo quod factum ipsi imputatum non sit delictum in se, sed tantum ex circumstantiis*; tunc enim ab adversario probari debet illius circumstantiae existentia. Si vero factum ex sua natura sit delictum, reo incumbit probare existentiam circumstantiae illum excusantis. 4.° *Ex eo quod factum non sit punibile*, vel quia consuetudine permissum est, et non punitur, vel quia delictum (id est, actio poenalis ipsius) praescriptum sit (non tamen praescribunt delicta excepta), vel quia causa finita sit, sive quia reus fuit definitive absolutus, sive quia jam punitus.

Allegationes orales, quamvis raro fiant in causis canonicis, praesertim criminalibus, prohibitae non sunt,

(1) Id. jure civ. hisp., L. P. C. art. 451 ad 455.

et concedi possunt a judice ad instantiam alterutrius partis (1).

§ IV.—DE TERTIO STADIO JUDICII CRIMINALIS, SEU DE SENTENTIA, APPELLATIONIBUS ET EXSECUTIONE SENTENTIAE

I. De sententia. II. De appellationibus. III. De exsecutione sententiae.

I. **De sententia.**—Sententia debet esse absolutoria vel condemnatoria et lata omnibus cum solemnitatibus, pro judicio ordinario requisitis. Differentia tamen debet esse in sententiis absolutoriis; nam, si probetur innocentia, sententia declarationem innocentiae continere debet; secus reus absolvitur, attentis solum, quae hactenus sunt deducta. Notificatio sententiae definitivae debet fieri immediate ipsi reo, non procuratori.

II. **De appellationibus.**—Intra decem dies a notificatione sententiae enumerandos, reus appellare poterit, et judex ordinario apellationem admittere tenetur quoad utrumque effectum. Quoad alia proceditur ut in judicio civili ordinario.

III. **De exsecutione sententiae.**—Exsecutione non indiget sententia: 1.° Si absolutoria sit. 2.° Si imponatur reo poena excommunicationis aut alia censura ecclesiastica, quia statim incurritur. 3.° Si imponatur poena privationis, consistentis in hoc, quod reus se abstineat ab exercitio alicujus juris vel ab aliquo actu. In aliis casibus exsecutio fit ut in judicio civili ordinario.

(1) Jure civili hispano in prima sessione judicii oralis, praesentibus omnibus instrumentis convictionis, praeses Tribunalis, si agatur de delicto, cui tantum poena correctionalis adnexa sit, processatum interrogat an reum se reputet delicti quod ei imputatur, et si quoad omnia conclusionibus accusationis ipse ejusque advocatus acquiescant, suspenditur judicium orale et causa conclusa ad sententiam declaratur; secus prosequitur judicium orale quoad conclusiones a reo vel ejus patrocinatore non admissas. Exhaustis probationibus, partium conclusiones modificari possunt per nova scripta, et deinde fit allegatio oralis die a tribunali assignata. Allegatio incipit per fiscalem, si pars sit in causa, sequitur per accusatoris privati et actoris civilis defensores, si adsint, per defensores reorum et eorum, qui civiliter sponsores sunt, et demum permittitur reis, ut exponant quae velint, dummodo sint ad causam pertinentia et deinde causa conclusa declaratur ad sententiam (L. P. C. art. 688 ad 700, et 734 ad 740).

ARTICULUS II.

DE PROCESSU CRIMINALI SUMMARIO.

I. Natura et divisio judicii summarii. II. Quandonam summarie procedi possit. III. Quomodo procedatur in singulis casibus.

I. **Natura et divisio judicii summarii.**—Judicium summarium dicitur judicium extraordinarium, in quo tantum judicii substantialia servantur. Potest esse *verbale* et *scriptum*. In illo, totus processus, et vel ipsa sententia, oralis est; in hoc vero, processus est scriptus, sed nec in libello accusatoris, nec in rei responsione formalitates juris requiruntur, neque necessarii sunt Procuratores et Advocati ad scripta subscribenda, quae judici sunt praesentanda; totus vero processus reducitur ad scripta praesentata cum probationibus adjunctis examinanda, et dein statim judex praesentibus partibus, absque alia citatione sententiam proferre potest. In utroque tamen casu actuarius de omnibus fidem faciet, et in actis rediget petitionem actoris, responsionem rei et sententiam, si processus fuit oralis. Acta demum subscribuntur a Judice, partibus et actuario. A sententia tamen datur appellatio quoad utrumque effectum coram Tribunali superiore (Clement. *Saepe, de Verb. sign.*; Conc. Trid. sess. 13, c. 2 et 3 de ref.).

II. **Quandonam summarie procedi possit.**—Praesertim in sequentibus casibus: 1.° In damnatione librorum aut ephemeridum. 2.° Contra concubinarios et usurarios, maxime si clerici sint. 3.° Contra clericos non residentes. 4.° Contra sollicitantes in confessione. 5.° Contra haereticos vel de haeresi suspectos. 6.° Contra eos, qui matrimonium contrahunt inopinate (*por sorpresa*). 7.° Cum proceditur *ex notorio*. (Conc. Trid., sess. 24 c. 8, et sess. 25, c. 14 de ref.; *Clement.* c. 2 *de Judiciis*).

III. **Quomodo procedatur.**—1.° *In damnatione librorum*, etc.—Ad denuntiationem Fiscalis vel alterius etiam privatae personae, Ordinarius censores pro casûs gravitate nominat, qui librum examinent, adnotando loca erronea vel immoralia. Si auctor vivit, citatur, et si comparet, audiuntur, quae pro orthodoxia et moralitate

sui operis attulerit; quod si suas opiniones retractare promittat, Dioecesanus illi determinabit modum retractationis. Si auctor se nolit retractare vel non sufficienter, Episcopus per sententiam librum prohibet, vel etiam illum damnabit, si haeresim sapiat. Quamvis vero auctor se subjiciat, liber, si editus jam sit et plura exemplaria vendita fuerint, prohibendus est donec corrigatur, vel absolute si, etiam post correctiones factas, fidei vel moribus sit periculosus. Contra sententiam Episcopi non datur nisi vel querela nullitatis apud Metropolitam ob praedictam formam in modo procedendi non servatam, vel recursus apud S. Sedem (Const. Bened. XIV *Sollicita et provida*; Conc. Trid. sess. 4 Decr. *De editione Librorum*).

2.° *Processus contra concubinarios et usurarios.*—Contra primos Ordinarius procedere potest ex officio vel ad instantiam Fiscalis. Si post trinam monitionem personaliter factam non resipiscant, excommunicari debent; sententia vero excommunicationis intimanda est ipsi excommunicato et parocho ipsius (Conc. Trid. sess. 23, c. 8 de ref.). Si vero concubinarii sint clerici, proceditur modo explicato in Lib. I (p. 77 et 78). Contra usurarios proceditur summarie, eisque imponitur poena infamiae, si laici et insuper privationis officii et beneficii, si clerici sint (CC. 7 et 15 *de Usuris*).

3.° *Processus contra clericos non residentes.*—Primo fit processus gubernativus seu absque forma contentiosa ad probandam illegitimam beneficiarii absentiam, deinde proceditur contentiose, sed summarie, citando absentem, etc., ut explicuimus in Lib. II agentes de obligatione residendi.

4.° *Processus contra sollicitantes ad turpia.*—Hic processus, cujus acta omnia secretissima sunt, inchoatur per denuntiationem, quam persona sollicitata tenetur intra mensem peragere sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae (1). Instructio processus fit a Dioecesano vel clerico specialiter ab ipso delegato, qui simul Notarii partes etiam agere solet. Hic clericus recipit declarationes denuntiantis. Deinde pro-

(1) Denuntiatio fieri potest immediate vel Episcopo, vel S. Officio, vel S. Poenitentiariae.

ceditur ad citationem et examen aliarum, personarum, si quae in denuntiatione citatae reperiantur uti sollicitatae. Sed priusquam denuntiatio recipiatur, debet Episcopus vel ejus delegatus advocare duos testes, quantum fierit poterit ex coetu ecclesiastico, utcumque omni exceptione majores, qui bene norint tum denuntiatum, tum omnes et singulos denuntiantes, eosque sub juramento de veritate dicenda et secreto S. Officii servando, quod exigitur etiam a sacerdotibus, tactis SS. Evangeliis (S. Off. 6 Aug. 1897), judicialiter interrogabit juxta usitatas formulas, testimonium scripto referens; utriusque vero testimonium atque simul respectivae denuntiationis authenticum exemplar ad Congr. S. Officii quamprimum transmitti debet, ad illam enim hodie spectat decidere quandonam Episcopo contra denuntiatum procedere liceat. Ordinarie post primam vel secundam denuntiationem, denuntiatus subjicitur decreto «*Observetur*», vi cujus super delato crimine suspectus habetur, ad hoc ut cum primum per novas denuntiationes res explorabitur, in judicium vocetur. Solet vero in judicium vocari post tertiam denuntiationem. Reus magna cautela interrogandus est, celata semper persona denuntiante, eique tempus necessarium ad suas defensiones praesentandas concedendum est. Dein profertur sententia ut procedat in justitia, et quidem si perspecta evaserit patrati criminis veritas, interdicenda illi erit in perpetuum Confessionum auditio, eidem subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris, etiam a S. Sede impertitas; et pro modo culpae atque omnibus attentis circumstantiis, ceteris quoque poenis puniendus, quae in Pontificiis Constitutionibus decernuntur, nempe: 1.° suspensio ab exercitio ordinis; 2.° privatio beneficiorum, dignitatum et officiorum; 3.° privatio vocis activae et passivae; 4.° perpetua inhabilitas ad Missam celebrandam. Tandem mulctari debet congrua abjuratione, si reus in judicio confessus fuerit (Bulla Bened. XIV *Sacramentum poenitentiae*; Instr. Congr. S. Officii 20 Febr. 1867 et 6 Aug. 1897).

Notandum hic est prohibitum esse sub gravi peccato ipsum denuntiatum, priusquam juridice vocetur, ut se corrigat monere, vel illum a promotione debita arcere, vel Vicarium proprium Generalem aut alienum Episco-

adhibita informatione judiciali. Hoc modo tantum procedi potest ad arcendum aliquem ab ordinum receptione, vel ad suspensionem ab ordine, officio aut dignitate inferendam ob crimen occultum, quod in foro externo probari nequeat, vel quod in illud deduci nequeat sine boni publici detrimento. Competit hoc jus omnibus Praelatis sive saecularibus sive regularibus, immo etiam Vicario Generali, saltem si habeat mandatum speciale. A sententiis ex *informata conscientia* non datur nisi recursus ad S. Sedem; cui tantum causa suspensionis adaperienda erit, si id ab ipsa Sede expostuletur (Conc. Trid. sess. 14 c. *Cum honestius* 1; C. V. *de Tempor. et qual. ord.*; S. Congr. C. 26 Febr. 1853).

ARTICULUS IV.

DE PROCESSU CRIMINALI OECONOMICO

Processus oeconomicus in causis criminalibus clericorum describitur in sequenti Instructione S. Congregationis EE. et RR. 11 Jun. 1880, in qua quinque partes distinguere possumus: I. Principia regeneralia. II. Remedia praeventiva. III. Processum criminalem in prima instantia. IV. Id. in secunda instantia. V. Monitum pro casu violationis fori.

I. **Principia generalia.**—1.° *Regula generalis.*—I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

2.° *Remediorum divisio et applicatio.*—II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur, ut impediant quominus malum adveniat, ut scandala, stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias. III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, juxta canonum praescriptiones et casuum adjunctorumque gravitatem.

cedit. Si tamen notorium a reo negetur vel probatione indigeat, processum ex notorio praecedere debet sententia notorietatis declaratoria, a qua datur vera appellatio.

c) Conditiones ut procedi possit ex notorio sunt: 1.ª Ut delictum vere ac proprie sit notorium. 2.ª Ut notorium sit etiam in ratione delicti, id est, ut constet factum illud malitiam habere delicti. 3.ª Ut constet de ipsa notorietate; quare testes, quibus notorii crimen probatur, non tantum de ipso crimine, sed etiam de illius notorietate deponere debent (C. 5, 14 et 29 *de Appell.*; C. 2 *de Verb. sign., Clem.*).

ARTICULUS III.

DE PROCESSU CRIMINALI SUMMARISSIMO

I. Quid sit processus summarissimus. II. Quando usu veniat. III. Specialia quoad processum ex informata conscientia.

I. **Quid sit processus summarissimus.**—Est ille, in quo etiam solemnitates substantiales judicii omittuntur, ut sunt citatio rei, quo inaudito, sententia de plano, inspecta tantum rei veritate, profertur. Cum huic processui deficiat una saltem ex conditionibus essentialibus judicii, non est proprie judicium.

II. **Quando usu veniat.**—Summarissime procedi potest: 1.° Ad damnandum librum aut opusculum notorie haereticum, impium vel immorale. 2.° Cum denegari debet sepultura ecclesiastica, vel interdictum locale declarari ex inhumatione cadaveris, post prohibitionem Auctoritatis ecclesiasticae. 3.° Contra clericos concubinarios, si concubinatus sit certus et occultus. 4.° Contra clericos non residentes, qui citati, non comparuerint. 5.° Contra apostatas a religioso habitu. 6.° Si crimen ita notorium sit ut certo constet nullam reo suppetere defensionem, vel si reus *infraganti* a judice munus suum obeunte deprehendatur. 7.° Si procedatur ex informata conscientia.

III. **Specialia quoad processum ex informata conscientia.**—In hoc processu sententia fertur quatenus judici in conscientia constet crimen delinquentis, nulla

strepitu, servatis semper regulis justitiae substantialibus (1). XI. Processus instruitur *ex officio* aut in sequelam supplicis libelli; aut notitiae alio modo a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis tum reitatis aut innocentiae accusati exurgat. XII. *Processus confectio* committi potest alicui probo atque idoneo viro ecclesiastico, adstante Notario. XIII. Unicuique Curiae opus est Procuratore fiscali pro justitiae et legis tutela. XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit opera apparitorum Curiae, supplebitur exhibitione earumdem explenda per qualificatam personam quae de facto certioret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

2.° *Summarii instructio.*—XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis articulis septimo et octavo.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio. XVII. Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim. XVIII. Testes ad probationem aut defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub juramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti. XIX. Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti, et auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis Instructionis normas. XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adjuncta essentialiter utilia merito causae, qui examini subjici nequeant, eo quod censea-

(1) Processus hic etiam confici potest, quando expediat, ab Ordinariis Hispaniae, ut decrevit S. C. Concilii die 11 Jan. a. 1895.

tur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorum fit in actibus, et curatur supplere eorum defectum per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

3.° *Citatio et interrogatio rei.*—XXI. Cum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen. XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum recusationes adversus eum collatae ut parari valeat ad respondendum. XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates aut ob alia adjuncta, prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur, eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit ut accusatum. XXIV. Si judicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur peremptorius terminus, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus, absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem. XXV. Si compareat auditur in examine, et quatenus inductiones faciat alicujus momenti, debent istae quantum fieri potest exhauriri.

4.° *Accusatio et defensio.*—XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis poenis canonicis. XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem ejus, quod in actis exstat contra se, ultra quod respondere possint, jure se defendendi a semetipso etiam uti valent. XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem, cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem art. XXIII nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione. XXIX. Expleto processu actorum, instructor restrictum conficit essentialium conclusionum ejusdem. XXX. In die qua causa proponitur est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore antea approbatis ab Ordinario. XXXI. Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem *ex officio*. XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in Cancellaria, ut paratus

sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subjicitur oneri secreti jurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare. XXXIII. Transmittitur dein Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo ex officio functo, uterque Ordinario tradatur qui, plena causae cognitione adepta, diem constituit, in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

5.° *Causae propositio et sententia.*—XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus Procuratore fiscali, Defensore et Cancellario. XXXV. Post votum Procuratoris fiscalis, et deductiones defensionis profertur sententia, dictando dispositivam Cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

6.° *Intimatio sententiae et appellatio.*—XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad autoritatem ecclesiasticam superiorem. XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae a Const. *Ad militantes* s. m. Bened. XIV 30 Mart. 1742, aliaeque emanatae ab hac sacra Congregatione Decreto 18 Dec. 1835, et Littera circulari diei 1 Aug. 1851. XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in exsecutionis statu reperitur. XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam facta est appellatio, omnes actus causae originalis, id est, processum, restrictum, defensionem et sententiam.

IV. **Processus criminalis in secunda instantia.**—XL. Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum 20 dierum Defensorem constituat, qui approbari debeat ab eadem superiore Auctoritate. XLI. Elapso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuntium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiori Auctoritate. XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicujus Curiae Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus, pro cognitione et decisione causae, se

quitur normam procedendi in hac Instructione traditam.

V. **Monitum pro casu violationis fori.**—XLIII. Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subjiciatur processui et judicio laicae potestatis, Ordinarius hoc in casu summariam sumit criminosi facti cognitionem, et perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones locum faciat infamiae, irregularitati aut alii ecclesiasticae sanctioni. Donec judicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria. Expleto tamen judicio et libero reddito accusato, Curia juxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis Instructionis. XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem ad vitandas contentiones et nullitates».

TITULUS IV.

DE PROCESSU IN EXERCITIO JURISDICTIONIS VOLUNTARIAE

Hunc titulum in sex articulos dispertiemur agentes in I. de processu in causis matrimonialibus; in II. de processu in causis beneficialibus; in III. de processu in ordinum susceptione; in IV. de processu pro aedificiis aut locis sacris religiosis vel ecclesiasticis aedificandis aut reparandis; in V. de processu in rebus ecclesiasticis alienandis, et in VI. de processu in aliis rebus ecclesiasticis servando.

ARTICULUS I.

DE PROCESSU IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS

Examinandi sunt processus: I. ad probandam libertatem contrahentium; II. pro denuntiationum (*proclamas*) dispensatione; III. pro dispensatione impedimentorum, et IV. pro sponsalium dissolutione.

I. **Processus ad probandam libertatem contrahentium.**—Hic processus instituitur in Vicariis ecclesiasticis quoties contrahentium libertas difficile a parochis comprobari posset; unde non requiritur, si contrahentes ejusdem sint paroeciae et in ea, ab aetate saltem nubili, semper vixerint, vel si, quamvis ex diversis paroeciis sint, eorum parochi facile communicari possunt ad invicem. Processus instituitur ad instantiam alterutrius vel utriusque contrahentis. Una cum supplici libello mittendum est testimonium authenticum baptismi accepti, defunctionis conjugis, si alteruter contrahentium viduus sit, immunitatis a quacumque imputabilitate ratione servitii militaris, Regiae licentiae quando ipsa

necessaria est, et consensus vel consilii paterni favorabilis, quando id a lege civili requiritur (1). Ad probandam libertatem recipiuntur declarationes juratae ipsorum contrahentium et testium ab illis praesentatorum; dein fit bannorum (*proclamas*) publicatio forma praescripta a Conc. Trid. (Sess. 24, c. 1 de ref.), in paroeciis actualis et ultimi domicilii contrahentium, nisi quoad postremum jam ab illa abfuerint quinque abhinc annis. Dein Provisor juxta acta licentiam concedet vel denegabit, in forma decreti, ad matrimonium celebrandum. Si illam concedat, communicari debet parocho mulieris contrahentis ut matrimonio adsistat.

Documenta civilia, quae ab extraneis regni exhibeantur, in forma authentica redigenda erunt a repraesentantibus respectivae nationis; documenta ecclesiastica a Nuntio vel Delegato Apostolico respectivo, et recognita a Nuntiatura Matritensi. Pariter documenta ecclesiastica extradioecesana visa sint oportet a respectivo Provisore, ut fert praxis.

Ad probandam libertatem vagorum, omnia media sunt tentanda, et prae oculis habenda est tum Instructio S. Officii, jussu Clementis X die 21 Aug. 1670 data, tum Instructio ejusdem Congr. diei 13 Maji a. 1868 ad probandum obitum alicujus conjugis.

II. **Processus pro denuntiationum dispensatione.**— Ad eam obtinendam supplex libellus ad Ordinarium mittendus est a contrahentibus una cum testimonio parochi vel parochorum ipsorum super veritate causarum, ob quas petitur dispensatio; quod sufficit ad primam et secundam denuntiationem dispensandam; sed pro tribus denuntiationibus dispensandis, exhibenda sunt eadem documenta ac pro contrahentium libertate comprobanda, et insuper a parocho vel parochis contrahentium informationes exiguntur super horum libertate, veracitate causarum et convenientia denuntiationes dispensandi, et ab ipsis contrahentibus, necnon a tribus testibus per ipsos productis, declarationes juratae super contrahentium libertate exiguntur, nisi contrahentes semper vixerint in loco actualis domicilii, et diuturnas absentias ab eo non fecerint.

(1) Duo postrema explicantur in nostro *Compendio* Juris Civilis, ubi de Matrimonio, p. 22 et seqq.

III. **Processus pro dispensatione impedimentorum.** —In petitione dispensationis sunt de jure necessario exprimenda sub poena invaliditatis: nomina et cognomina oratorum, nec non dioecesis vel dioecesium eorum originis vel actualis domicilii, species infima impedimenti seu impedimentorum (1), causae dispensandi (2), quaecumque demum exprimenda sunt de jure vel stilo Curiae ne petitio sit subreptitia. Antiquitus exprimenda erat et copula incestuosa, quae obligatio nuper a Leone XIII sublata est per litteras encyclicas S. Univ. Inquis. 26 Jan. 1885.

Pro omnibus impedimentis occultis, vel etiam notoriis, si in forma pauperum postulatur dispensatio, Poenitentiaria (3), pro aliis Dataria adiri debet. Quando duo essent impedimenta, publicum unum, alterum occultum, recurrendum esset ad Datariam pro publico et ad Poenitentiariam pro occulto; sed in recursu ad Poenitentiariam manifestandum est impedimentum publicum, a quo jam habita est vel saltem petita dispensatio a Dataria. Quando impedimentum oritur ex publico delicto,

(1) Sic, si agatur de impedimento consanguinitatis, affinitatis aut honestatis, non tantum gradus remotior exprimendus est, quod validitatem dispensationis afficit, sed etiam propior, quamvis ipsius reticentia (nisi agatur de primo vel adsit duplex consanguinitas vel affinitas) tuntum reddit illicitam exsecutionem dispensationis, donec obtineantur litterae dictae *Perinde valere*, sic vocatae, quia per has valent priores perinde ac si vitio caruissent.

(2) Praecipuae causae ad dispensandum sunt: 1.ª Angustia loci, nempe qui non continet 300 focos seu 1500 incolas. 2.ª Ætas feminae superadulta, nempe 24 aetatis annum jam egressae. 3.ª Defectus dotis competentis. 4.ª Extinctio litium super bonorum successione. 5.ª Paupertas viduae. 6.ª Bonum pacis. 7.ª Nimia, suspecta, periculosa familiaritas. 8.ª Copula praehabita et praegnatio, ideoque legitimatio prolis. 9.ª Infamia mulieris. 10. Revalidatio Matrimonii bona fide et publice contracti. 11. Periculum Matrimonii mixti vel coram ministro acatholico celebrandi. 12. Periculum incestuosi concubinatus. 13. Periculum Matrimonii civilis. 14. Remotio gravium scandalorum. 15. Cessatio publici concubinatus. 16. Excellentia meritorum.

Pro impedimentis occultis causae revocari possunt ad metum infamiae oratorum, si peccatum eorum innotesceret, et ad metum gravis detrimenti, scandali, vel dissidii, si dispensatio negaretur.

(3) Leo XIII, juxta litteras Cardinalis Datarii 20 April. 1891, mandavit ut matrimoniales dispensationes a publicis impedimentis pro oratoribus Regnorum Hispaniarum et Lusitaniae per Datariam Apostolicam tantum concedantur.

cujus cognitio spectat ad S. Officium, cujusmodi sunt ea omnia, quae secumferunt suspicionem de haeresi, dispensatio concedenda est a S. Officio. In horum impedimentorum censu pro dispensatione computantur impedimentum mixtae religionis et disparitatis cultus. Ab his impedimentis et ab omnibus aliis nunc dispensat etiam S. Congregatio super Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis, et pro regionibus sibi subjectis S. C. de Propaganda Fide (1).

Preces, si impedimentum sit publicum, diriguntur per Provisorem dioecesanum, ad quem oratores supplicem libellum dirigere debent una cum genealogia comprobata ipsorum, si agatur de impedimento propinquitatis (2). Dein requiritur parochus contrahentium, ut per testes demonstrentur impedimentum, veritas causarum dispensandi et paupertas oratorum, si in forma pauperum dispensatio petatur, vel quantitas bonorum ab ipsis possessorum; quae omnia sub juramenti fide declarare etiam debent ipsi oratores. Super iisdem rebus informare etiam debet parochus, nec non an matrimonium contrahendum praejudicium afferat tertio; ad quod ei jubetur semel die festo in Offertorio Missae ipsius denuntiationem facere.

Obtento dispensationis rescripto, Ordinarius, cui executio committitur, illud acceptat, jubetque parocho vel parochis contrahentium ut denuntiationes fiant; et tum de effectu ipsarum, tum de cessatione aut permanentia causae in precibus expressae certioratur Ordinarius, qui, accepta declaratione jurata a contrahentibus super praefatae causae permanentia, ipsisque poenitentia in rescripto designata imposita, dispensationem exsequitur per opportunum decretum.

IV. **Processus super dissolutione sponsalium.**—In-

(1) Ad normam litterarum, quas Episcopis Hispaniae misit Nuntius Apostolicus Matritensis diebus 2 Jul. et 6 Aug. 1897, dispensationes matrimoniales pro quarto, vel pro quarto cum tertio consanguinitatis aut affinitatis gradu, sive simplex, sive duplex sit, ab ipsa Nuntiatura tantum petendae sunt ex dispositione Romani Pontificis. Supplex libellus latine scribi debet, quod valet etiam in recursu ad Datariam.

(2) Vide praecipuas formulas pro his supplicibus libellis in Appendice II.

choatur ad instantiam partis, mediante supplici libello, quem comitari debent copia authentica publici instrumenti super sponsalibus contractis, et documenta pro justa causa dissolutionis comprobanda. Deinde citatur pars contraria, eaque comparente et dissolutioni resistente, suspenditur processus gubernativus, et fit locus processui judiciali, qui tamen absolvitur modo summario. Si, vero, non compareat, ad instantiam oratoris exsequuntur probationes ab ipsa propositae, quas judex pertinentes credat; dein acta Fiscali ecclesiastico traduntur, et eo audito sive oretenus sive in scriptis, profetur sententia, quae in jure procedat.

ARTICULUS II.

DE PROCESSU IN CAUSIS BENEFICIALIBUS

Praecipue examinandi sunt processus: I. Pro capellaniarum erectione. II. Pro commutatione redituum et redemptione onerum capellaniarum; de processu, namque, pro erectione parochiarum et pro beneficiorum provisione satis, ubi de beneficiis egimus, dictum est, et erectio aliorum beneficiorum in Hispania et in pluribus aliis regionibus nonnisi lege concordata inter Summum Pontificem et Statum fieri potest.

I. **Processus pro capellaniarum erectione.**—Instruitur in Hispania ad normam Legis Concordatae 24 Jun. 1867 et Instructionis ejusdem *datae* pro ipsius exsequutione. Si nova capellania creatur cum dote vel reditibus aliarum jam existentium, processus inchoatur *ex officio* per decretum dioecesani, quo ab Administratore capellaniarum vacantium relatio petitur aliquarum capellaniarum incongruarum, quarum reditus summatim sumpti ad 500 saltem libellas pertingant, vel fundationum piarum, quae ad pium acervum secundum pertinentes, eosdem reditus habeant. In secundo casu, accepta relatione, Dioecesanus decretum erectionis edet, mediante Notario. In primo vero casu edicta intentatae unionis publicantur prius in ephemeride dioecesana et in paroeciis, intra quarum limites capellaniae sitae sunt, ut intra terminum peremptorium compareant qui jure pa-

tronatus activo super ipsis gaudere se aestimant. Auditis patronis et voto Fiscalis ecclesiastici, acta omnia Dioecesano remittuntur, qui decretum erectionis mediante Notario edet, et, quae in jure procedant, declarabit.

Si agatur de erectione capellaniae fundationis particularis, processus inchoatur ad instantiam partis, quae, una cum libello petitorio canonicae erectionis, exhibere debet scripturam fundationis et testimonium authenticum se deposuisse apud Administrationem dioecesanam Capellaniarum titulos *Debiti publici*, super quibus capellania erigi debet, et, si omnia ad normas juris canonici inveniantur, absque ulteriori processu Dioecesanus erectionem decernere poterit.

Processus pro commutatione redituum et redemptione onerum Capellaniarum.—Instituitur etiam in Hispania ad normam supradictarum Legis concordatae et Instructionis ad instantiam partis, quae in primo casu una cum libello petitorio exhibere debet: 1.° copiam authenticam scripturae fundationis; 2.° testimonium capellani, vel, si capellania vacans sit, parochi loci, in quo onera capellaniae adimpleri debent, declarans revera haec adimpleta fuisse; 3.° relationem specificam bonorum constituentium dotem capellaniae valoris et redituum ipsorum, revisam a parocho et syndico loci in quo sita sint; 4.° copiam contractus locationis, si bona locata sint; 5.° testimonium authenticum aestimationis ipsorum, nec non tributorum quibus gravata sunt; 6.° si reditus in specie solvantur, testimonium authenticum pretii medii, quod in ultimo quinquennio species illae in dictrictu judiciali obtinuere, et 7.° genealogiam recurrentis ex libris sacramentalibus authentice excerptam ad probandam consanguinitatem recurrentis cum fundatore capellaniae.

His exhibitis documentis, citantur per edictum publicum in ephemeridibus officialibus dioecesis et provinciae, ut intra terminum peremptorium coram Delegato Generali Capellaniarum dioecesis compareant, qui jus habere autumant ad bona praedictae capellaniae. Si compareant et non conveniant inter se, remittuntur ad tribunal saeculare competens, ad quod jus dirimere spectat. Finita lite, vel statim post elapsum terminum, si lis non oriatur, datur decretum, quod in jure procedat, a Delegato Generali et confirmatur, si rationabile sit, a Dioecesano.

Si agatur de redemptione onerum piorum, una cum libello praesentantur Delegato testimonium sententiae adjudicationis bonorum capellaniae latae a tribunali saeculari, copia authentica scripturae fundationis et testimonium adimpletionis one-

rum. His documentis exhibitis statim decerni potest petita redemptio ad normam Legis concordatae. In his processibus non sunt necessarii nec advocati, nec procuratores.

ARTICULUS III.

DE PROCESSU IN ORDINUM SUSCEPTIONE SERVANDO

Duo sunt hi processus: I. pro admissione candidati ad ordines; II. pro constitutione patrimonii ecclesiastici.

I. **Pro admissione candidati ad ordines.**—Ad tonsuram et ordines minores, una cum libello petitorio, ordinandus praesentare debet Dioecesano testimonium accepti baptismi et confirmationis, studiorum perfectorum et in Seminario conciliari approbatorum, et morum ipsius, et, si extradioecesanus sit, litteras dimissorias et testimoniales proprii Praelati. Eadem documenta, excepto primo, debet exhibere pro aliis ordinibus recipiendis nec non testimonium ultimi ordinis accepti, et quod semel saltem illum exercuerit, et insuper pro subdiaconatu titulum ordinationis et testimonium immunitatis a quavis imputabilitate ratione militiae. Deinde fiunt scrutinia, de quibus egimus in primo Libro I (p. 60 et 61).

II. **Pro constitutione patrimonii.**—Primo petitur a Dioecesano licentia ad illud constituendum; qua concessa, in Vicariatu generali instruitur brevis processus gubernativus ad existentiam et sufficientiam bonorum, quibus patrimonium constitui debet, comprobandam; hoc autem fit per exhibitionem legitimorum titulorum, addita publica denuntiatione in parochiis, intra quarum fines bona sita sint, si in fundis consistant, eo ut intra novem dies compareant, qui sese praejudicatos putent. Constito per Notarium denuntiationem factam fuisse, auditur Fiscalis ecclesiasticus et fertur decretum constitutionis patrimonii. Si hoc in publicis valoribus consistat, tituli in Capsa depositorum deponendi sunt. Eodem modo proceditur ad commutanda vel liberanda bona patrimonii ecclesiastici, si vel novum patrimonium constitui velit, vel illud extinguatur per mortem ordinati aut adeptionem beneficii.

ARTICULUS IV.

DE PROCESSU IN AEDIFICIIS AUT LOCIS SACRIS, RELIGIOSIS VEL ECCLESIASTICIS AEDIFICANDIS AUT REPARANDIS

I. Processus in aedificatione et reparatione templorum et coemeteriorum. II. Processus pro exhumatione et translatione cadaverum. III. Processus pro sepultura ecclesiastica deneganda. IV. Processus pro aedibus parochialibus reficiendis.

I. **Processus in aedificatione et reparatione templorum et coemeteriorum.**—Pro aedificatione, post petitionem eorum, quorum intersit, servanda sunt ab Episcopo, priusquam licentiam impertiatur, quae explicata sunt in Libro II, (p. 389). Pro reparatione, in Hispania instruitur processus ad normam Reg. Decretorum 4 Oct. 1861 et 13 Aug. 1876, et Instructionis 28 Maji 1877.

Juxta has dispositiones inchoatur processus per supplicem libellum subscriptum a Capitulo, si de Cathedrali vel Collegiata; a parocho et syndico, si de parochiali, et a Superiore, si de regulari ecclesia agatur, in quo status aedificii, meritum artis, opera necessaria et quantitas in his operibus impendenda describi debent. Una cum libello mittenda est informatio magistri operarum, qui conditiones ad operas suscipiendas determinare etiam debet. Si sumptus 1000 libellas non excedant, Episcopus per decretum marginale libellum remittit ad Associationem dioecesanam pro reparatione templorum, ut informationem emittat. Dein processus originalis mittitur ad Ministerium Gratiae et Justitiae. Si sumptus excedant 1000 libellas, Associatio dioecesana informationem praeterea exigit ab Architecto dioecesano, qui operas delineare, taxare et quibus conditionibus exsequendas determinare debet, et, si sumptus ad 5000 libellas pertingant, requiritur insuper informatio Gubernatoris civilis provinciae.

Reparationes hujusmodi, sicut et seminariorum et domus episcopalis, salvo casu, quo earum sumptus 1000 lib. non excedant, fiunt in publica sub hasta, quae cum termino saltem 20 dierum annuntiatur in Ephemeridibus officialibus et per edicta in locis consuetis. Pro reparationibus ordinariis sufficit licentia Ordinarii, qui eam elargitur, postquam certioratur de operis necessitate et sumptibus; quod etiam verificatur in reparatione coemeterii, si hoc sit Ecclesiae proprium. Quoad constructionem ipsorum et reparationem, si non sit proprium Ecclesiae, sequuntur normae in reg. dispositione 16 Jul. 1888

traditae, quarum nonnullas in Jure publico Ecclesiastico attulimus (p. 86).

‹II. **Processus pro exhumatione et translatione cadaverum.**—In Hispania nequeunt cadavera exhumari et ad alium coemeterium vel locum ipsius coemeterii transferri, nisi venia petita et obtenta ab Ordinario et a Gubernatore provinciae, in qua illa reperiuntur, post duos annos a sepelio, si balsamis condita fuere; secus post quinque (dummodo causa defunctionis epidemica non fuerit), et praevia recognitione a Subdelegato sanitatis peracta, vel post decem annos absque hujusmodi requisito (Reg. disp. 19 Mart. 1848, 10 Maj. 1849, 30 Jan. 1851, 10 Jan. 1876, 11 Nov. 1886, 5 Apr. 1889, 15 Oct. 1898 et 24 Mart. 1902). Ante inhumationem transferri possunt, dummodo balsamis condita et in capsa metallica clausa sint; tamen per Reg. disp. 15 Oct. 1898 feretra metallica prohibentur. Semel ac probatum fuerit hujusmodi requisita canonico-legalia adimpleta fuisse, licentia pro translatione ab Ordinario per decretum conceditur.›

III. **Processus pro sepultura ecclesiastica deneganda.**—Instruitur modo summarissimo ad instantiam partis vel ex officio (*Clement.* c. 2, t. XI, lib. V). Post informationem testium super vita et moribus defuncti et declarationem juratam unius vel duorum medicorum super statu mentali ipsius, dum erat inter vivos, decretum editur concedens vel denegans sepulturam (Const. *Detestabilem*, Bened. XIV).

‹IV. **Processus pro aedibus parochialibus reficiendis.**—Expensae ordinariae et necessariae parochi sumptibus faciendae sunt (Conc. Trid. sess. 21, c. 7, de ref.). Pro extraordinariis vero, ad petitionem parochi vel oeconomi, delegatur archipresbyter districtus, qui inter alia recognoscere aedificium, et reparationis expensas taxare debet per duos peritos, quorum alter a parocho oeconomo actuali, alter ab antecessore vel hujus haeredibus nominatur. Dein aliae complentur diligentiae ut noscatur, an parochi negligentiâ vel aliunde detrimentum aedes passae sint, et, audito Fiscali ecclesiastico, decernitur quod in jure procedat. Haec est praxis. ›

ARTICULUS V.

DE PROCESSU IN REBUS ECCLESIASTICIS ALIENANDIS SERVANDO

Inchoatur ad instantiam parochi vel praesidis ecclesiae, cujus bona alienanda sunt. In supplici libello exprimi debent causa canonica ad alienandum et valor bonorum juxta taxationem peritorum, quae una cum delineatione ipsorum ab architecto factâ, si immobilia sint, scripturâ consensus a capitulo vel patrono praestiti, prout bona ad ecclesiam capitularem vel patronam spectent, praesentari debent. Dein, quando procedat, petitur beneplacitum Apostolicum, quod in Hispania e Nuntiatura obtineri potest, quo obtento, expostulatur per officium consensus Capituli Cathedralis, et acta Fiscali Ecclesiastico traduntur, ut dictamen emittat, et demum exaratur decretum concessionis vel negationis licentiae, prout de jure procedat (C. 1 et 3, t. X, lib. III Decr.).

ARTICULUS VI.

DE PROCESSU IN ALIIS REBUS ECCLESIASTICIS SERVANDO

Processus: I. Pro correctione conscriptionis in libris sacramentalibus. II. Pro legitimatione filiorum naturalium. III. Pro censura librorum. IV. Pro approbatione statutorum alicujus confraternitatis vel congregationis religiosae. V. Pro licentia ad habitus susceptionem et pro exploratione monialis.

I. **Processus pro correctione conscriptionis in libris sacramentalibus.**—Instruitur ad instantiam illius cujus interest, mediante supplici libello in quo petitur subsanatio erroris vel omissionis in conscriptione accepti sacramenti. Provisor testium informationem per se vel per delegatum capit ad veritatem erroris vel omissionis comprobandam. Dein, si opportunum videatur, auditur Fiscalis, vel statim fertur decretum, ut fiat conscriptio vel jam facta emendetur, quod decretum, mediante officio, parocho communicatur.

II. **Processus pro legitimatione filiorum naturalium.**

—Inchoatur ad instantiam parentum, qui in supplici libello datam ortus filii naturalis et matrimonii contracti manifestare debent, et consequenter legitimationem petere et correctionem conscriptionis baptismi, ut constet legitimatio. Precum veritate probata per exhibitionem copiae authenticae conscriptionis baptismi filii et matrimonii parentum, ac obtenta ratihabitione parentum in petitione per personalem comparitionem coram Curia, petitioni indulgetur. Si filii jam ante matrimonium recogniti fuerint, et haec recognitio in conscriptione baptismi constet, sufficit ad legitimationem annotare in margine matrimonium contractum. Ad effectus vero civiles servanda sunt quae in Codice Civili praescribuntur.

III. **Processus pro censura librorum.**—Qui ante libri editionem approbationem ecclesiasticam obtinere desiderat, supplicem libellum exhibere debet Dioecesano, expostulans ut liber censurae subjiciatur et approbatio, et licentia ad ipsius editionem concedatur. Dein Ordinarius per Decretum marginale Censorem nominat, cui liber traditur. Si censura est favorabilis, statim decretum editur, licentiam concedens; secus communicantur auctori, quae emendare vel explicare debeat, et, si auctor satisfactorie id perfecerit, conceditur, ut supra, licentia. Si auctor censurae non acquiescat, nominantur alius vel alii censores, quibus auditis, Ordinarius, quod justum videatur sibi, resolvet. Contra ejus decretum superest auctori recursus apud Superiorem immediatum, vel etiam directe apud Congr. S. Officii (Const. Bened. XIV *Sollicita et provida*; Leo XIII *Officiorum et munerum*).

IV. **Processus pro approbandis statutis alicujus confraternitatis vel congregationis religiosae.**—Approbatio petitur a sodalibus mediante supplici libello, quem exemplar statutorum comitari debet. Dein Dioecesanus per se vel per personam idoneam statuta examinat; capiuntur informationes a parocho, in cujus ecclesia sodalitas stabilienda est, et fertur decretum, quo approbatio conceditur vel denegatur.

V. **Processus pro licentia ad habitus susceptionem et pro monialis exploratione.**—Ad licentiam pro habitu religiosi suscipiendo impertiendam, praecedere debet supplex libellus a postulante subscriptus vel melius a Praefecta conventus, in quem illa est ingressura, et exhibitio

documentorum, quibus constet postulantem habere omnia requisita canonica.

Eodem modo expostulatur exploratio puellae ante professionem. Praelatus, accepta petitione, diem et horam ad explorationem assignabit, qua adventa, per se vel per Vicarium coram Notario, Novitiae examen formâ, qua in tractatu de Regularibus exposuimus, perficiet.

PARS SECUNDA

DE DELICTIS ET POENIS (1)

TITULUS I.

DE DELICTIS

Agendum est: I. De delictis in genere. II. De delictis in specie.

ARTICULUS I.

DE DELICTIS IN GENERE

I. Delicti natura. II. Divisio. III. Circumstantiae eximentes, aggravantes et minuentes. IV. Delicti praescriptio.

I. **Delicti natura.**—*Philosophice* loquendo, delictum est «*actio vel omissio injusta, auctori suo imputabilis, socialem ordinem turbans*». *Juridice* vero definitur: «*Factum aut dictum humanum a lege* (subauditur humana) *sub poena prohibitum, quod nulla justa ratione excusari valet*». Hujusmodi actiones vel omissiones, quae a lege humana sub poena prohibentur, semper praesumuntur voluntariae, nisi contrarium constet (2).

II. **Delictorum divisio.**—Quadrupliciter dividuntur: 1.° *In ecclesiastica,* quae directe contra fidem, religio-

(1) De delictis et poenis agit lib. V Decr., Clement. et Extrav. Comm.

(2) Concordat cum hac theoria Codex poenalis hispanus (Art. 1), qui triplicem gradum hac in re juxta diversitatem poenae distinguit, nempe: *delicta gravia,* si puniantur poenis afflictivis; *minus gravia,* si ad summum puniantur poenis correctionalibus, et *defectus* (*faltas*), si poenis levibus plectantur (Art. 6).

nem resque divinas et sacras committuntur; *civilia*, quae directe civilem societatem laedunt, nec aliud spirituale inest ipsis, quam quod ad forum internum ratione peccati referuntur, et *mixta*, quae laedunt Religionem pariter et societatem civilem, et utraque potestas ad illa coërcenda jus habet.

2.° *In occulta*, si per duos testes omni exceptione majores probari nequeunt; *quasi-occulta*, si paucis tantum nota sunt et periculum abest, ut in foro externo detegantur, et *publica*, si a multis cognoscantur quamvis *judicice* ita etiam vocantur, quae per duos saltem testes omni exceptione majores in judicio probari possunt. *Publica* vero subdividuntur in *famosa*, quando est fama illorum apud plerosque civitatis, viciniae vel collegii, orta non ex scientia, seu *evidentia*, sed ex verisimilibus conjecturis, vel indiciis et praesumptionibus; *manifesta*, cum, licet non sint evidentia respectu communitatis, aut potioris ejusdem partis, *pluribus* tamen *evidenter* cognita et ab eis ad aliorum notitiam deducta sunt, et *notoria*, si a *majori parte* communitatis, paroeciae aut civitatis *evidenter* cognoscantur.

3.° In *levia*, *gravia*, *graviora* et *gravissima*, quae divisio aliquando in ordine ad diversum gradum malitiae, aliquando relate ad majus vel minus damnum, quod infert societati; aliquando vero, et quidem communius, in ordine ad diversum gradum poenae, qua puniuntur, ab auctoribus accipitur.

4.° In *excepta* et *non excepta*; haec sunt, quae sub generali legis dispositione veniunt; illa vero, quae non judicantur juxta regulas communes.—Ita etiam *crimen* partitur, cum sit idem ac delictum.

Excepta sunt apostasia, haeresis, sacrilegium, sodomia, maleficium, abortus, subornatio in electionibus, dogmatizatio contra statuta et bonos mores, consuetudo sollicitandi ad peccatum carnale, falsificatio litterarum apostolicarum et laesae majestatis crimen (1).

(1) Alia divisio criminis invenitur in nostro Codice poenali et in pluribus aliarum nationum, nempe: *criminis consummati, frustrati, et intentati. Frustratum dicitur*, si delinquens omnia tentavit, ut crimen suum effectum sortiretur, sed ob circumstantiam a sua voluntate independentem illum non est sortitum, et *intentatum*, si delinquens ob eamdem circumstantiam aliqua, sed non omnia media adhibuit (Art. 3).

III. **Circumstantiae eximentes, aggravantes et minuentes delictum.**—1.° *Eximentes* ab imputabilitate (*responsabilidad*) sunt eae, quae excusant a peccato, ut perfecta imbecillitas, dementia, defectus usus rationis, impotentia sive physica sive moralis ad legem adimplendam, etc., et, si poena est gravis, circumstantia, quae excusat a peccato lethali.

Sed beneficio legis, multa, quae non excusant a peccato lethali, ab imputabilitate poenali humana excusant. Talia sunt: *aetas*, *metus* et *ignorantia*.

a) *Aetas* excusat impuberes, nisi aliter in jure expresse cautum sit (ut accidit in violata clausura monialium), nam in hanc aetatem dolus non cadit.

b) *Metus* pariter excusat, si injustus et gravis sit, sive absolute sive relative, nisi incutiatur in contemptum religionis vel ecclesiasticae potestatis, vel res cedat in damnum commune.

c) *Ignorantia* demum tum facti, tum juris excusat semper, si invincibilis sit, et etiam vincibilis, si agatur de censuris, vel si lex poenalis utatur his verbis: «*scienter, consulto, ausu temerario, praesumpserit*» aut aliis similibus; verum plures dicunt in hoc casu non excusare ignorantiam affectatam, quia haec scientiae aequiparatur; sed plures alii contradicunt, quia versamur in odiosis et ignorantia, quamvis affectata, revera non est scientia (D' Annibale, Summula Theol. Mor., Tract. VI, art. III; Ballerini-Palmieri vol. VII, tract. XI de cens.; cap. I, n. 154). Ignorantia autem solius poenae non excusat, nisi agatur de censuris vel poenis extraordinariis. Sed notandum est quod in foro externo ignorantia juris, nisi agatur de feminis vel personis rudibus aut illitteratis, non attenditur, utique vero ignorantia facti alieni, nisi sit publicum (1).

(1) Jure criminali hispano sunt exempti ab imputabilitate criminali: 1.° Imbecilles et dementes, nisi in intervallo lucido operentur. 2.° Novennio minor. 3.° Novennio major, qui quindecim annos nondum habeat, nisi cum malitiae cognitione operatus sit, quod declarare debent tribunalia. Si responsabilitatis criminalis expers declaretur, tradendus est familiae, ut eum invigilet, educetque, et, si id fieri nequeat, alicui benefico instituto pro orphanis vel derelictis destinato, educandus tradetur. 4.° Qui operatur in propriam vel suorum jurium defensionem; dummodo aggressio sit illegitima, non excedatur modus inculpatae tutelae

2.° *Circumstantiae minuentes* delicti gravitatem sunt: **a)** Aetas delinquentis, ut si valde senex vel puer sit. **b)** Imminutio libertatis ex ignorantia, metu gravi, violentia, phrenesi, concupiscentia antecedenti aut ebrietate proveniens (2).

3.° *Circumstantiae aggravantes* sunt: **a)** Circumstantia personae delinquentis, ut si conjux, consanguineus aut affinis, vel propinquus aut familiaris sit injuriati, si abutatur auctoritate publica, qua sit praeditus, vel si vagus sit. **b)** Circumstantiae objecti seu personae quae offenditur, ut si ratione dignitatis, aetatis vel sexus major injuria reputetur. **c)** Circumstantia loci in quo patratur, ut si patretur in loco sacro, in palatiis publicorum comitiorum vel Principis Supremi, vel ubi publica exercetur auctoritas. **d)** Circumstantia temporis, ut si tempore nocturno. **e)** Ratione scandali sequuti, uti percussio in publico loco, vel delinquere per lithographiam, prelum aut aliud medium, ex quo augetur scandalum. **f)** Ratione malitiae, doli vel fraudis, ut si cum praemeditatione patretur, vel si deliberate majora mala patrentur quam

---

et non ipse sufficienter aggressionem provocaverit. 5.° Si operetur in defensionem conjugis, ascendentium, vel consanguineorum aut affinium usque ad 4.m gradum, dummodo in defensione concurrant eaedem circumstantiae, ac in casu praecedenti. 6.° Qui operatur in defensionem aliarum personarum, si concurrant eaedem circumstantiae, et insuper defensor non moveatur vindictâ aliave illegitima causâ. 7.° Qui ad majus malum vitandum factum ad id necessarium ponit, ex quo minus malum in re aliena sequitur, dummodo minus praejudiciali modo ponatur. 8.° Qui vacans rei licitae fortuito damnum alicui intulit. 9.° Qui ex violentia materiali, cui resisti nequit, operatur 10. Qui ob metum invincibilem majoris mali. 11. Quid operatur vi moralis obligationis vel legitime utendo aliquo jure, munere aut officio. 12. Quid ob obedientiam legi debitam operatur. 13. Qui praeceptum omittit, quia causa legitima vel insuperabili detinetur.

(2) Jure criminali hispano sunt circumstantiae attenuantes seu minuentes: 1.° Ipsae eximentes, quando omnino ab imputabilitate non eximunt. 2.° Aetas minor 18 annis. 3.° Intentio in delinquente minus malum causandi quam quod reapse sequutum sit. 4.° Provocatio immediata, vel minae ex parte offensi. 5.° Si patratum sit ad propriam vel suorum offensam proxime vindicandam, id est, cum excediturmoderamen inculpatae tutelae, vel vindicta proxime offensam sequitur. 6.° Si in statu ebrietatis, quae habitualis non sit, nec crimini posterior, delictum committatur. 7.° Mentis obcaecatio ex vehementi passione, irae praesertim, orta (Cod Poen art. 9).

necessaria sint ad delicti exsequutionem, vel ignominiam damno addendo, vel si abutendo auctoritate propria aut fiducia alterius, aut malis artibus vel palliationibus utendo, vel occasione capta ab aliqua aliena calamitate. **g)** Ratione finis, ut si patretur in despectum vel offensionem publicae auctoritatis. **h)** Ratione modi, ut si perfide patretur, id est, ea media adhibendo vel eo modo ut assecuretur delinquentis persona contra defensionem injuriati, vel media adhibeantur, quae naturâ sua ingentibus damnis occasio fuerint, aut si intercessit pretium, praemium aut remunerationis promissio ob delictum. **i)** Demum, consuetudo delinquendi vel reincidentia in idem delictum (1).

IV. **Delicti praescriptio.**—Videamus: 1.° quomodo delicta praescribantur, et 2.° quanto tempore praescribantur.

1.° *Quomodo praescribantur delicta.*—In foro interno non praescribuntur delicta, neque contra poenas ob ea jam incursas currit praescriptio. In foro vero externo praescribi possunt quoad actionem poenalem, quae ex ipsis oritur. Sed cum praescriptio sit ex genere exceptionum, integrum remanet jus tum accusandi tum inquirendi in delictum, usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenet judicium, si eadem opposita minime fuerit. Quod si in judicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanet; et hinc, non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis *non criminalibus* ex patrato delicto proveniéntibus manifesti juris est. Imo, licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet juxta juris effatum: «temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum»; et ideo delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obesset, si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet (S. C. EE. et RR. 4 Mart. 1898).

In criminibus tamen suppositi partus, parricidi, assasinii, laesae majestatis, duelli, falsae monetae, apostasiae, haeresis,

(1) Haec eadem continentur in C. Poen. Hispa. (Art. 10).

simoniae, concussionis, abortus et sodomiae nullo unquam tempore praescribitur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivant, accusari et inquiri possunt (S. C. EE. et RR. ibid.).

2.° *Quanto tempore delicta praescribantur.*—Delicta injuriarum spatio unius anni, crimen peculatûs et delicta carnis spatio quinque annorum; crimina vero raptus, stupri per vim illati et adulterii cum incestu conjuncti spatio viginti annorum praescribuntur quoad actionem poenalem (S. C. EE. et RR. ibid.); actiones vero civiles ad restitutionem vel reparationem damnorum ex hujusmodi delictis ortae non praescribuntur nisi spatio 30 aut 20 annorum juxta diversas auctorum sententias. Sed hic notandum est tempus pro praescriptione delicti non currere, si agatur de delicto permanenti, nisi a momento quo cessavit, et si fuerit *totaliter* occultum a die scientiae accusatoris vel inquisitoris (S. C. EE. et RR. 4 Mart. 1898) (1).

ARTICULUS II.

DE DELICTIS IN SPECIE

Hic praecipue examinanda veniunt: I. Apostasia. II. Haeresis III. Schisma. IV. Simonia. V. Cetera crimina.

I. **Apostasia.**—Duo circa apostasiam inquirenda sunt: 1.° natura et divisio, et 2.° poenae latae contra apostatas.

1.° *Natura et divisio apostasiae.*—Apostasia vi nominis significat quamdam desertionem seu recessum a Deo

(1) Etiam juxta Cod. Crim. hispanum praescribuntur delicta quoad actionem poenalem. Tempus praescriptionis est 20 annorum pro delictis, quae plectuntur poena mortis aut catenae perpetuae; 15 annorum, quando plectuntur qualibet alia poena afflictiva; 10 annorum, si plectantur poenis correctionalibus; unius anni pro delictis calumniae; sex mensium pro delictis injuriarum; trium mensium pro delicto provocationis ad delinquendum mediante prelo aliove medio publicationis, et duorum mensium pro defectibus. Tempus currit ut in jure canonico, sed interrumpitur, ex quo processus contra delinquentem determinate instituitur, et denuo currit finito processu, quin reus damnetur, vel si suspendatur ob aliam causam quae non sit contumacia delinquentis (Cod. poen. art. 133 et 582).

vel ab aliquo bono, in quo homo permanere tenebatur. *Quadruplex* distinguitur secundum diversos modos, quibus homo Deo conjungitur, et quibus ab eo recedere potest. Primo enim homo Deo conjungitur per fidem; secundo per debitam subjectionem voluntatis ad obediendum praeceptis ejus; tertio per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia, sicut per religionem et ordinem sacrum; unde alia est apostasia *a fide*, quae apostasia *perfidiae* dicitur, alia apostasia *inobedientiae*, alia *ab ordine*, alia a *Religione*.

2.° *Poenae latae contra apostatas.*—Apostatae *a fide* plectuntur: a) excomunicatione latae sententiae specialiter S. Pontifici reservata; b) privatione sepulturae ecclesiasticae, qua, juxta plures, etiam plectuntur, qui mandant vel cogunt illos tradi ecclesiasticae sepulturae, sed plures alii contradicunt, quia versamur in poenalibus, et in Constitutione *Apostolicae Sedis* aperte non exprimuntur, c) omnibus poenis adversus haereticos latis.

Ut hae poenae incurrantur necesse est, ut animo et verbis seu factis externis fidem catholicam deserant apostatae.

Apostatae *inobedientiae*, si usque ad schisma perveniant, poenis schismaticorum plectuntur, secus pro qualitate inobedientiae diversis poenis puniri poterunt.—De poenis apostatarum *a religione* loquuti sumus Lib. I, p. 310.

Apostatae vero *ab ordine* incurrunt: a) excommunicationem ferendae sententiae; b) amissionem privilegiorum clericalium, maxime si ab Episcopo moniti non resipuerint; c) infamiam facti, si notoria sit apostasia: unde inhabiles fiunt ad dignitates, honores et ordines suscipiendos et ad actus a quibus excluduntur infames, v. g., ad accusandum, donec infamia per poenitentiam tollatur; d) si praesumant matrimonium attentare, quamvis civile (C. S. Off. 22, Dec. 1880) in locis ubi viget Tridentinum incurrunt insuper excommunicationem latae sententiae Ordinariis reservatam.

II. **Haeresis.**—Videnda sunt: 1.° haeresis natura et divisio; 2.° poenae latae in haereticos et fautores ipsorum; 3.° specialia quoad suspectos de haeresi, et 4.° cautelae ab Ecclesia statutae adversus haereticos.

1.° *Haeresis natura et divisio.*—Haeresis in genere

est error circa aliquam veritatem christianae fidei in eo qui illam suscepit. Alia est *materialis*, quae provenit ex sola ignorantia vel errore absque pertinacia voluntatis in eo persistendi; alia *formalis* seu hominis baptizati et christianam fidem profitentis, error voluntarius et pertinax contra fidem. In ordine ad societatem alia est *publica* seu *notoria*, quae palam et coram pluribus externe manifestatur, alia *occulta*, quae verbis vel facto signove externo aliquo proditur, sed nemine, vel uno alterove solummodo praesente et audiente. Si haeresis sit notoria et ad forum externum deducta, Episcopus potest tamquam Delegatus Apostolicus contra haereticos procedere, eosque pro utroque foro absolvere, si isti haeresim prius abjurent (1), et poenitentes ad Ecclesiam redeant; ab haeresi autem occulta, cum sit specialiter reservata Rom. Pontifici, nemo, etsi Episcopus, absolvere potest sine licentia speciali S. Sedis, et quoad hoc non valet privilegiorum communicatio.

2.° *Poenae latae in haereticos et fautores ipsorum.*— *Haeretici* subjiciuntur: **a)** excommunicationi latae sententiae S. Pontifici specialiter reservatae, dummodo tamen haeresis sit externe manifestata; **b)** infamiae tum *juris*, si praecessit sententia criminis declaratoria, tum *facti*, si haeresis sit publica; **c)** irregularitati; **d)** privationi officiorum, beneficiorum et dignitatum, et inhabilitati ad illa in posterum obtinenda, dummodo haeresis sit publica. Privatio incurritur ipso jure quoad titulum, et post sententiam criminis declaratoriam quoad possessionem; **e)** privationi sepulturae ecclesiasticae, quin requiratur, si haeresis notoria sit, sententia criminis declaratoria, quae tamen requiritur, cum haeresis est occulta; mandantes vero seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjiciuntur.

Haereticis *credentes, eorumque fautores, receptores et defensores* easdem poenas incurrunt ac ipsi haeretici, nisi quod ipso jure non priventur beneficiis antea obtentis, sed per hominem privandi sint, nec incurrant poenam

(1) Haec abjuratio fieri potest coram quolibet ab Episcopo delegato ut notario, et aliquibus personis uti testibus (C. S. Off. 28 Mart. 1900). Facta abjuratione, possunt absolvi a quocumque confessario ab Episcopo delegato.

infamiae et privationis vocis activae et passivae ipso jure, nisi per annum obdurescant.

3.° *Specialia quoad suspectos de haeresi.* a) Suspectus de haeresi dicitur ille qui probatur dixisse aut fecisse aliquid, ex quo judex rationabiliter movetur ad praesumendum aut suspicandum illum esse haereticum.

b) Talis suspicio est vel *levis*, si oriatur ex levibus conjecturis; vel *vehemens* seu *gravis*, si eruatur ex verbis aut factis, ex quibus frequenter et ut plurimum deducitur illum, qui talia dicit vel facit, esse haereticum; vel *violenta*, si oriatur ex verbis aut factis, quae fere semper haeresim supponunt, quia habent connexionem necessariam cum ea.

c) Suspecti de haeresi excommunicationi subjici possunt, nisi ad arbitrium Episcopi, juxta suspicionis et personae qualitatem, innocentiam suam congrue per purgationem probaverint. *Leviter* suspectus tenetur abjurare de levi, et juxta multos, si illa suspicio ex delicto oriatur, cui a jure annexa est hujusmodi suspicio, sufficit ad inquisitionem specialem. Ceterum abjurantes *de levi*, nulli alii poenae subjiciuntur, nisi abjuratio fiat in S. Officio, tunc enim abjurantes ineligibiles fiunt ad praelaturas regulares. *Vehementer suspecti* condemnari possunt ad abjurandum formali professione fidei de his praecipue articulis, contra quos egisse praesumitur, et ad poenam extraordinariam, sed nequeunt privari beneficiis inhabilesque reddi ad ea obtinenda. *Violenter* demum *suspecti*, juxta multos, tamquam haeretici damnari possunt, quia contra eos habetur praesumptio juris et de jure.

4.° *Cautelae ab Ecclesiae statutae adversus haereticos.* Hae quinque praecipue numerantur: a) Obligatio emittendi fidei professionem. Praeter enumeratos in pag. 449, professionem fidei emittere debent promoti in doctores, magistros, regentes vel alios cujuscumque artis et facultatis professores, sive clerici sive laici sint vel cujusvis Ordinis Regularis quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac ipsi ad hujusmodi gradus promovendi (Const. Pii IV, *In Sacrosancta*; Decret. S. C. C. 20 Jan. 1877.

b) *Prohibitio legendi libros prohibitos.*—Qua in re tribus *tantummodo* Constitutionibus utimur, nempe, Benedicti XIV *Sollicita ac provida*, 9 Jul. 1753 de *examine* et *proscriptione* librorum, Leonis XIII *Officiorum ac munerum* 25 Jan. 1897 de *prohibitione* et *censura* librorum, ejusdemque Leonis XIII Brevi *Romani Pontifices* 17 Sept. 1900 de novo *Indice* librorum prohibitorum vulgando et ab omnibus custodiendo. Supremas Benedicti normas supra tradidimus (p. 252), quae proprius eos tangunt quibus onus examinandi libros ad Apost. S. delatos impositum est. *Decreta* vero *Generalia* Leonis XIII quibus catholici homines toto orbe religiose parere debent, quibusque S. C. Indicis *unice* uti debet, appendicis loco tradentur. Tam *Decreta Generalia* quam novus *Index* eo spectant ut a quibus libris legendis retinendisve cavendum sit edoceamur, at decreta tradunt genera librorum, index exempla quaedam; iis prohibentur omnes fere libri quorum lectio ut plurimum ipso jure naturae vetatur, hoc nonnisi pars eaque minima pravorum librorum improbatur qui per *speciale* decretum tribus postremis saeculis sive per litteras apostolicas in forma brevis, sive per decreta Romanarum Congregationum et maxime a S. C. Indicis, sive absolute, sive donec corrigantur, *quacumque* de causa prohibiti fuerant. Quaenam poenae in Decretorum Generalium transgressores hodie vigeant lector ex nn. 47, 48 et 49 Const. *Officiorum* ediscat oportet (1).

Leo XIII jus vetus funditus abrogavit, quod nonnisi ut utilissimum interpretationis medium adhiberi potest, immo uti necessarium cum iisdem forte verbis veteris juris utatur. Jus novum abrogat etiam omnes consuetudines contrarias, etiam immemorabiles et particulares (S. C. Ind. 23 Maj. 1898; Const. *Officiorum* intr. et n. 45; et alias). Hodie standum est unice *Indici Romano* Leonis XIII et prohibendae sunt novae Indicis hispani editiones (S. I. C. 22 Aug. 1892). Novum jus strictam exigit interpretationem, quia Leo XIII voluit antiquas Indicis Regulas efficere *molliores*. *Prohibitio*, de qua decreta agunt (nn. 12, 13, 14, 47), est actus jurisdictionis ecclesiasticae in rebus fidei; quare certo competit Romano Pontifici et Concilio Oecumenico, et pro territoriis sibi subjectis episcopis et provincialibus conciliis; at disputatur num Praelatis Regularibus competat vi jurisdictio-

(1) Qui plura desideret circa censuram librorum adeat *Tractatum de S. Theologiae Principiis* P. Michaëlis Blanch C. M. F. p. 387 et seqq. Barcinone, 1901.

nis. Jam *prohibitionis* nomine veniunt lectio, retentio, editio, defensio, venditio, aliique similes modi evulgandi libros noxios; ea, vero, prohibitio generalis non plectit libros qui sine praevia censura *publicari* prohibentur, at facta publicatione expresse non interdicuntur in ipsis decretis. Voces *libri*, *libelli*, *folia*, *scripta*, etc. accipienda sunt in sensu huc usque a probatis doctoribus recepto. Nota libros quandoque absolute, quandoque relate ad aliquos prohibere, obsolevisse autem prohibitionem in *odium auctoris*, et si *opera omnia* cujusdam damnantur, intelliguntur opera huc usque edita damnari. Adverte demum Ordinarios teneri rationes denegatae licentiae publicandi aliquod opus auctori indicare, si liber videatur correctionis aut expurgationis esse dignus (S. C. Ind. 3 Sept. 1898). Qui plura cupiat adeat egregios commentarios Pennacchi, Gennari, Vermersch, Wernz, Lega, etc.

c) Prohitio communicandi cum haereticis nominatim denuntiatis tamquam excommunicatis; si vero non sint nominatim denunciati, licitum est communicare cum ipsis, non tamen in divinis (1) nec in crimine haeresis, nec in matrimonio cum ipsis contrahendo, saltem regulariter. Item prohibita est communicatio, ut per se patet, si adsit periculum perversionis aut contemptus Religionis; sed haec prohibitio est juris naturalis.

d) Prohibitio disputandi cum haereticis; laicis quidem prohibetur sive publica sive privata circa mysteria fidei (CC. 12, 13 et 14 *de Haereticis*; C. 2 eod. tit. in 6.°), quamvis si sint satis instructi, non prohibentur de hujusmodi quaestionibus in scriptis agere; clericis vero permittitur privata et de licentia Episcopi etiam publica dummodo assumatur ad fidem defendendam erroresque confutandos, fiat cum audientium fructu et modeste ac temperate. In locis tamen Missionum ad publicas disputationes cum haereticis necessaria est Missionariis licentia Sedis Apostolicae (S. C. de P. Fid. 8 Mart, 1625).

---

(1) Notat tamen et quidem optimo jure D. Annibale quod nobis prohibeatur cum ipsis in divinis communicare, sed non ipsis nobiscum; unde licet eos hortari ut nostra templa ingrediantur, missas vel conciones audiant, etc. cum ex hac communicatione potius conversio expectanda sit.

e) Specialiter pro Regularibus adest obligatio denuntiandi haereticos.

III. **Schisma.**—Qui recedunt ab obedientia S. Pontificis et a communione universalis Ecclesiae, qua tales et hoc pertinaciter et externe, schismatici vocantur. Contra schismaticos latae sunt poenae sequentes: I. Excommunicatio specialiter S. Pontifici reservata (Const. *Apost. Sedis*, n.° III). II. Inhabilitas ad beneficia et dignitates ecclesiasticas, (et hoc etiam abjurato schismate), quam nonnisi Rom. Pontifex tollere potest (C. 5 *de Elect.*). III. Infamia facti, si notorium sit schisma. IV. Privatio jurisdictionis ecclesiasticae post sententiam criminis declaratoriam (C. 1 *de Schismat. et ord. ab eis*). V. Privatio legitimi usus potestatis ordinis (Const. *Sanctissimus*, § 4 Clem. VIII).

IV. **Simonia.**—Videnda sunt: 1.° natura, 2.° divisio et 3.° poenae in simoniacos.

1.° *Simoniae natura.*—Simonia est studiosa seu deliberata voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.

Dicitur *deliberata voluntas emendi aut vendendi*, quia ad patrandam simoniam requiritur animus praedictae conventionis faciendae quamvis non expressa conventio requiratur, sufficit enim intentio implicita seu interpretativa obligandi seu etiam movendi aliquem ad bonum spirituale concedendum, intuitu pretii seu muneris. Dicitur *pretio temporali*, quo nomine intelligitur id omne quod datur aut promittitur pro re spirituali, quod in jure dicitur etiam *munus*. Ut autem dicit idem jus (Can. 114 caus. I. q. I. part. II Decr.) aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Per munus ab obsequio intelligitur quodlibet ministerium aut obsequium vergens in commodum concedentis rem spiritualem (CC. 12 et 17 *de Simonia*); per munus a manu designantur ea omnia, quae sunt pretio aestimabilia, et per munus a lingua exprimuntur commendationes et preces, quae ex pacto pro aliquo interponuntur. Dicitur *aliquid spirituale*, nam inordinatio hujus criminis consistit in hoc quod res spirituales pretio temporali aestimentur, quasi aequalis essent valoris aut nobilitatis, quod quidem juri divino contrarium est. Dicitur demum *vel spirituali adnexum;* quod quidem potest fieri

tripliciter: *antecedenter*, *concomitanter* et *consequenter*. Si vendatur temporale quod vel consequenter vel concomitanter sed intrinsece est adnexum spirituali, simonia jure divino prohibita committitur; si autem vendatur temporale quod antecedenter vel concomitanter, sed extrinsece adnexum sit spirituali, per se simonia non est, si tamen id fiat contra leges Ecclesiae, erit simonia quae juris ecclesiastici nuncupatur.

2.° *Simoniae divisio.*—Hinc jam exurgit prima divisio simoniae in *simoniam juris divini*, et *juris ecclesiastici*. In hac secunda, cum tantum sit lege ecclesiastica prohibita, potest Papa dispensare; e contra vero in illa. Dividitur etiam simonia in *mentalem*, *conventionalem*, et *confidentialem*. *Mentalis* habetur, cum quis alteri rem spiritualem confert, ea intentione ut sibi ipsi retribuatur aliquid temporale, vel si offeratur aliquid temporale cum spe accipiendi rem spiritualem, nullo tamen expresso aut tacito existente pacto. *Conventionalis* est externa conventio expressa vel tacita dandi vel recipiendi aliquid spirituale pro temporali et vice versa. Erit *pure conventionalis*, si ex neutra parte fuerit exsecutioni mandata; *mixta*, si una pars rem promissam jam tradiderit, et *realis*, si utrimque actu perfecta sit, saltem inchoative, scilicet: locum habet, quando pro re spirituali data est vel totaliter vel partim res temporalis promissa. *Confidentialis* locum tenet, cum quis beneficium suum alteri resignat, sub conditione expressa vel tacita quod ille, ex debito, idem beneficium iterum cedet aut fructus ejus persolvet sibi vel alteri infra certum temporis spatium (Const. Pii IV *Romanum Pontificem* 17 Oct. 1564, et S. Pii V *Intolerabilis*, 14 Nov. 1569).

3.° *Poenae contra simoniacos.*—Simonia mentalis, mere conventionalis et mixta grave peccatum est, sed nulla poena ecclesiastica sancitur. Excommunicationi vero latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatae subjiciuntur: **a)** rei simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices; **b)** rei simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis; **c)** rei simoniae realis ob ingressum in religionem, et **d)** omnes, qui quaestum faciunt ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus (Const. *Apost. Sedis* § II, n. 8, 9, 10 et 11).

Provisio insuper beneficii simoniace facta nulla est; beneficium sic provisum reservatur S. Sedi, fructusque male ex eo percepti Camerae Apostolicae applicantur, uterque ex complicibus post sententiam criminis declaratoriam perpetuo inhabilis fit ad ecclesiastica officia et beneficia, et praeter haec, rei simoniae confidentialis privantur post sententiam criminis declaratoriam quibuscumque beneficiis et pensionibus ecclesiasticis prius canonice obtentis (C. 8 *de Pactis*; c. 6, 11 et 13 *de Simon.*; Const. S. Pii V *Cum primum*, 1 Apr. 1566).

V. **Cetera crimina.**—In jure de pluribus aliis criminibus fit sermo, ut de occisione filiorum, de expositione infantium et languidorum, de homicidio voluntario vel fortuito, de torneamentis, ubi de agitatione taurorum in Hispania (Tit. X, XI, XII et XIII lib. V Decret.), de duellantibus (Lib. V tit. XIV), de criminibus contra sextum Decalogi praeceptum, ut adulterium, stuprum, fornicatio, concubinatus, meretricium, incestus, sacrilegium et crimina contra naturam (Lib. V. tit. XVI) et demum de raptoribus, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, furibus, usurariis, falsariis, sortilegiis, clericis venantibus contra praecepta Ecclesiae, clericorum percussoribus, maledicis, blasphemis et libellorum famosorum auctoribus (Lib. V, tit. XVII ad XXVI, et XXXVI); sed omnia haec crimina, si procuratio abortûs, duellum et sollicitatio ad turpia ex parte confessarii, necnon ea, quae suis locis dicta sunt, excipiantur, hodie non habent poenam statutam in jure, sed arbitrio Ordinarii juxta circumstantias punienda relinquuntur. Horum vero criminum natura satis et proprius in Theologia morali explicatur.

TITULUS II.

DE POENIS

Agemus: I. De poenis in genere. II. De poenis in specie.

ARTICULUS I.

DE POENIS IN GENERE

I. Poenarum natura. II. Divisio III. Subjectum. IV. Circumstantiae eximentes a poena vel ob quas augeri aut minui potest. V. Quomodo et quandonam reus obligetur ad poenam subeundam. VI. Poenae cessatio.

I. **Poenae natura.**—Poena in genere est *justa delicti coërcitio.* Poena vero ecclesiastica *justa delicti coërcitio ad rei emendationem, vel ad disciplinae sacrae publicae custodiam.* Differt a poenitentia: 1.° quia haec imponitur ut Deo et animae, illa ut reipublicae satisfiat; 2.° quia poena invito infligitur, poenitentia vero acceptatione indiget et consensu poenitentis et ab eo exsecutionem regulariter accipit; 3.° quia poena nempe ipso facto incurritur, non vero poenitentia.

II. **Poenarum divisio.**—1.° *Ratione objecti* dividuntur in *spirituales* et *corporales,* prout bona animae vel corporis aut fortunae afficiunt.

2.° *Ratione finis,* in *medicinales* et *vindicativas,* prout directe et immediate tendunt ad rei emendationem, ipsiusque frangendam contumaciam vel ad satisfactionem disciplinae publicae.

3.° *Ratione modi quo statuuntur,* aliae sunt *a jure,* quae a legislatore per legem, aut edictum vel statutum perpetuum statuuntur contra violatores legis, edicti vel statuti, aliae *ab homine,* quae a judice mediante senten-

tia judiciali inferuntur, vel ab ipso legislatore seu superiore per statutum non perpetuum seu praeceptum generale vel per praeceptum *particulare*, irrogatur. Illae naturâ suâ perpetuae sunt; hae cum auctore evanescunt, quamvis perseverent quae prius incursae sunt; illae delicta spectant futura ut evitentur, hae delictum futurum, vel jam commissum quatenus quaerunt rei emendationem, respiciunt. Poenae *a jure* aliae sunt *juris communis*, puta, quae omnes afficiunt Religiosos, aliae *juris particularis*, uti sunt propriae cujusque ordinis. Ratione modi quo *constituuntur*, etiam dividuntur in *ordinarias*, quae a lege aut consuetudine constitutae sunt, et *extraordinarias* seu arbitrarias, quae ex arbitrio judicis pro qualitate delicti et personarum imponuntur.

4.° *Ratione modi quo incurruntur*, aliae sunt *latae sententiae*, quae ipso facto seu ipsa criminis perpetratione incurruntur; aliae *ferendae*, quae condemnatoriam requirunt judicis sententiam.

5.° *Ratione exsecutionis*, dividuntur in *positivas*, seu *activas*, quarum exsecutio petit actionem sive rei sive alterius in reum exercendam, ut flagellatio, occisio, etc., et *negativas* seu *privativas*, quarum exsequutio est aliqua privatio, sive juris quaesiti, uti privatio beneficii, sive juris quaerendi, ut inhabilitas ad beneficium obtinendum.

III. **Subjectum poenae.**—Est homo delinquens et, *regulariter*, vivus; nam bruta, sicut incapacia sunt culpae, ita et poenae; licet quandoque in detestationem sceleris et confusionem dominorum una cum reo peremptione damnentur, ne occursu suo memoriam infandi sceleris excitent: mortui vero sublati sunt a potestate humana, et mors omnia crimina exstinguit (Can. 4 dist. 23). Excipe quosdam casus, in quibus poena in mortuorum bona et cadavera exercetur, ut si delinquenti in poenam denegetur sepultura ecclesiastica.

Etiam innocens ex causa potest subesse poenae, quatenus id exigat delictum nocentis, ex regula 23 in 6.°. Sic liberi patris, qui Episcopum occidit, usque ad quartum gradum arcentur a beneficiis.

IV. **Circumstantiae eximentes a poena, vel ob quas augeri aut minui potest.**—Circumstantiae *eximentes* a poena sunt illae, quae omnino excusant a delicto, et de quibus superius dictum est.

Circumstantiae, ob quas poena *augeri* vel *minui* potest, sunt ipsae quae delictum aggravant vel minuunt, quibus pro *minuenda poena* addi potest: 1.° Si delictum omnes non habeat qualitates a lege suppositas. 2.° Si non sit plene probatum. 3.° Insignia merita et beneficia delinquentis erga Ecclesiam, Rempublicam vel Ordinem.

V. **Quomodo et quandonam reus obligetur ad poenam subeundam.**—Certum apud omnes est poena *ferendae sententiae* non incurri ante sententiam condemnatoriam judicis; nam lex vult talem poenam mediante ministerio et condemnatione judicis infligi; sed quaestio est an poenae *latae sententiae* incurrantur ante omnem judicis sententiam etiam criminis declaratoriam: si agatur de *poenis medicinalibus*, quales sunt censurae, omnino affirmandum est; nam ordinantur ad correctionem et salutem animae, non excedunt gravitatem delicti, neque improportionatae sunt humanae fragilitati. Si agatur de *inhabilitatibus*, vel de poenis *privativis*, quae non privant jure quaesito, sed tantum quaerendo, idem dicendum est, quamvis plures exceptionem faciunt quoad inhabilitatem ad officia et beneficia ecclesiastica obtinenda et quoties poena subiri nequit absque infamia. Si vero agatur de poenis *positivis* vel de *privativis juris plene quaesiti*, communis sententia est, non cogere in conscientia ante sententiam judicis criminis declaratoriam. Non desunt tamen, qui quoad poenas privativas juris quaesiti contrarium tenent, si reus eas possit absque infamia subire; disputatur vero an hoc in casu comprehendatur privatio vocis activae et passivae.

Quamvis saepe in poenis *latae sententiae* requiratur sententia judicis declaratoria, valde differunt illae poenae quoad effectus a poenis *ferendae*, in quibus requiritur sententia condemnatoria; nam sententia *condemnatoria* cadit super ipsam *poenam*, reumque ad ipsam condemnat; *declaratoria* vero super *criminis* existentiam, declarando reum illud commisisse, ideoque poenam ipso jure latam incurrisse. Exinde sequitur poenam in priori casu non incurri nisi a die latae sententiae, in posteriori vero retrotrahi effectus ad diem commissi delicti, et consequenter invalidos esse actus a reo positos tempore intermedio, si excipias actus publicos seu jurisdictionis quamdiu occultum erat delictum.

VI. **Poenae cessatio.**—Poena cessare potest: 1.° *revocatione legis illam statuentis*, sed hoc tantum pro futuro juxta plures; attamen non video cur hac in re non possit applicari principium vigens in Codice nostro poenali (Art. 23), juxta quod leges poenales effectum retroactivum habent, in quantum reo favent; cum simus enim in re valde odiosa, poenae, quantum rationabiliter fieri possit, restringendae sunt.

2.° *Revocatione sententiae poenam applicantis*, quae fieri tantum potest a judice supremo.

3.° *Irritatione*, si nempe judex superior, in casu appellationis, sententiam inferioris revocet.

4.° *Tractu temporis*, si ad tempus determinatum poena sit indicta, exceptis censuris, juxta aliquos, vel excepta tantum excommunicatione, juxta plures, quia absolutionem requirit, vel sine exceptione, ut docet sententia communis, nisi in lege dicatur: donec, peracta poenitentia, meruerit absolutionem obtinere, vel similia.

5.° *Dispensatione* vel *absolutione*, si nempe Superior legitimus poenam ante tempus elapsum condonet. Absolutio locum habet in poenis medicinalibus; dispensatio vero in aliis poenis, et valde inter se differunt; nam **a)** ad illam concedendam, sufficit ut absolvendus a contumacia recesserit; ad hanc vero justa praeterea requiritur causa. **b)** Absolutio, cessante contumacia et satisfacta parte, negari nequit sine injustitia, unde si negetur, adiri potest superior ad eam obtinendam; e contra dispensatio extra casus in quibus debita est, quamvis justa adsit causa ad dispensandum, denegari potest. **c)** Absolutio nequit revocari, secus dispensatio si non sit exsequutioni mandata. **d)** Illa est favorabilis, haec odiosa. A poenis medicinalibus, si sint latae sententiae, absolvere potest Episcopus, quoties id non reperiatur prohibitum in lege, immo et parochus et quilibet confessarius approbatus, certe pro foro interno, et probabiliter etiam pro foro externo; in aliis vero poenis, si a jure communi statuantur, solus Papa dispensare potest et qui delegationem ab eo accepit, Episcopi vero in sequentibus tantum casibus: **a)** quando lex impersonali locutione utitur ad permittendam dispensationem; **b)** post peractam poenitentiam, ubi agitur de criminibus non majoribus adulterio, nisi specialis adsit prohibitio vel poena

judicis ministerio jam exsequutioni foret mandata: c) quando delicta sint occulta, si urgeat gravis necessitas et ad Sedem Apostolicam recurri nequeat, et d) demum in casibus concessis a Tridentino ex capite *Liceat*, de quo alibi dictum est. Poenas vero *ferendae sententiae* cujuscumque generis sint, solus condonare potest, qui illas statuit, vel ejus Superior aut succesor vel ille, cui praedicti hanc tribuerunt potestatem. Archiepiscopus vero subditum suffraganei absolvere vel dispensare nequit, nisi in casu legitimae appellationis vel recursus aut visitationis.

ARTICULUS II.

DE POENIS IN SPECIE

Triplici paragrapho agemus: I. De poenis vindicativis. II. De poenis medicinalibus seu de censuris. III. De poenis improprie dictis, id est, de cessatione a divinis et de poenitentiis.

§ I.—DE POENIS VINDICATIVIS

I. Quaenam sint. II. Privatio beneficiorum et inhabilitas ad illa. III. Depositio. IV. Degradatio. V. Poenae temporales.

I. **Quaenam sint.**—Hujusmodi poenae aliae sunt *spirituales*, aliae *temporales*. Inter primas praecipue enumerantur irregularitas ex delicto, quamvis potius inter inhabilitates annumeranda sit, et de qua satis dictum est in Lib. I (p. 65 et seq.), privatio vocis activae et passivae, privatio beneficiorum et inhabilitas ad illa, depositio, degradatio et privatio sepulturae ecclesiasticae. His et alia addi posset, quae praesertim viget intra ordines regulares, privatio nempe praecedentiae seu *geniturae*; genitura enim est jus quoddam honorificum ex justo titulo acquisitum, vi cujus aliquis praecedit in loco, sessione et functionibus sive publicis sive privatis. Inter religiosos, seclusis gradibus, quibus ejusmodi praecedentia adnectitur, jus illud assumendum est a die professionis, non obstante quolibet praetextu et contraria consuetudine (S. C. C. 22 Jul. 1673; S. C. EE. et RR. 12

Apr. 1837). Sed hac poena praetermissa, necnon privatione vocis *activae*, seu suffragium dandi, et *passivae*, seu ut suffragium pro eo feratur, de quibus nihil amplius dicendum occurrit, sicut et privatione sepulturae ecclesiasticae, de qua in Lib. II, pag. 421 satis dictum est, hic sermonem unice faciemus de privatione beneficiorum et inhabilitate ad illa, de depositione, de degradatione et de poenis temporalibus.

II. **Privatio beneficiorum et inhabilitas ad illa.**— Effectus privationis beneficiorum, si ipso jure incurratur, est amissio tituli seu juris in re, necnon fructuum ipsius a die commissi criminis, impotentia ad resignandum beneficium in favorem tertii, et vacatio beneficii ex delicto, non per mortem, etsi interim beneficiarius moriatur (C. 28 *de Praeb.* in 6.°; Extrav. 2 *de Sim.* inter Comm.). At si privatio inducta est per sententiam condemnatoriam, hi effectus non incurruntur, nisi a tempore sententiae (1).

Effectus inhabilitatis ad beneficia, sicut etiam ad officia vel dignitates, praecipuus est, quod collatio inhabili facta, vel ipsius electio non teneat.

III. **Depositio.**—Est poena, qua clericus perpetuo removetur vel totaliter *a beneficio, officio et ordine*, quo casu *totalis* dicitur, vel partialiter *a beneficio*, vel *ab officio*, id est, usu jurisdictionis, vel *ab ordine* seu usu ordinis, quo casu *partialis* nuncupatur. Differt depositio a *privatione beneficii*, quia haec non secum fert inhabilitatem ad illa, quam secum fert depositio; a *suspensione totali*, quia haec non tollit titulum beneficii et officii, bene vero depositio, quamvis depositio ab ordine tantum cum perpetua suspensione ab ordine confundatur; et differt a *degradatione*, quia haec privat saltem de jure omnibus privilegiis clericalibus, dum depositus retinet privilegium fori et canonis, nisi et isto per sententiam privetur (C. 10 *de Judic.*).

Depositio olim infligebatur etiam ob minora delicta, sed si ob ea vel ob adulterium infligeretur, peracta a clerico depositio poenitentia, poterat Episcopus cum eo jam emendato dispensare (C. 4 *de Judic.*); at hodie nonnisi ob enormia crimina, uti

(1) De criminibus, quae adnexam habent privationem beneficii loquuti sumus in fine II Libri (pag. 476).

sunt homicidium praemeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosae, fornicationes notoriae post monitionem continuatae, etc. infligi potest.

IV. **Degradatio.**—Videnda sunt: 1.° natura et divisio; 2.° crimina ob quae imponi potest; 3.° a quo facienda sit, et 4.° forma degradationis.

1.° *Natura et divisio.*—Degradatio est poena, qua clericus solemniter et authentice dejicitur ab ordine et statu clericali. Est duplex: *verbalis* seu sententialis, qua profertur solemnis sententia privans clericum statu clericali; et *realis* seu actualis, qua clericus exsecutive in forma ab Ecclesia praescripta dejicitur a statu clericali. *Verbalis* degradatio differt a *depositione*, quia a sententia depositionis immediate transiri nequit ad degradationem sine nova et quidem solemni degradationis sententia; bene vero a degradatione verbali ad realem. Rursum degradatio *verbalis* differt a *reali*, quia verbalis fieri potest per Episcopum confirmatum et nondum consecratum, non tollit *exercite* privilegium fori et canonis, et verbaliter degradatum Episcopus restituere potest; e contra degradatio realis fieri debet ab Episcopo consecrato, *exercite* privat privilegio fori et canonis, et realiter degradatus a solo Papa restitui potest.

2.° *Crimina ob quae degradatio imponi potest.*—Ob nullum crimen, nisi sit in jure expressum, degradari clericus potest. Ita communiter ex cap. 10 *de Judic.*, ubi praescribitur ordo clerici puniendi, ut primo deponatur ab officio et beneficio; deinde, crescente contumacia excommunicetur et anathematis mucrone feriatur; tandem, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, saeculari potestati tradatur puniendus. Ita procedendum est in casu incorrigibilitatis.

Praeter incorrigibilitatis casum, dantur in jure communi quatuor casus, in quibus clericus, non expectata incorrigibilitate, statim degradari potest, nempe: **a)** ob crimen *haeresis*, praesertim cum reincidentia (C. 9 de *Haeret.* et c. 4 eod. tit. in 6.°); **b)** ob *conspirationem* in proprium Episcopum (Can. 18, caus. 11 q. 1); **c)** ob crimen *falsationis* Litterarum Apostolicarum (C. 7 *de Crimine falsi*), et **d)** ob crimen *assasinii* (C. 1 de *Homic.* in 6.°).

Extra corpus Juris sunt quinque crimina degradatione

digna, nempe: **a)** Sodomia frequentata (Const. S. Pii V *Horrendum*). **b)** Celebratio missae, et sacramentalis auditio confessionum a non sacerdote exercita (Const. Urbani. VIII *Et alias*). **c)** Sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quaedam circumstantiae (Const. Gregor, XV *Universi* 30 Aug. 1622); sed Card. Albitius (Tract. de Inconst. in fid. part. 1 c. 15) asserit praedictam Constitutionem quoad hanc poenam non fuisse usu receptam. **d)** Furtum sacrilegum SS. Eucharistiae, sive quis cum sacra pixide, sive sine illa sacram Hostiam surripiat, et praesumat apud se retinere, aut alibi transferre (Const. Innoc. XI et Alex. VIII confirmatae a Bened. XIV in Const. *Ab augustissimo* 5 Mart. 1744). **e)** Procuratio, sive per se sive per alium, abortus foetus animati (Const. Greg. XIV. *Sedes Apostolica*).

3.° *A quo facienda sit degradatio.*—Clericorum degradatio facienda est a proprio Episcopo; si vero clerici et religiosi degradandi exempti sint, a Papa. (Trid. Sess. 13. c. 4. de ref.). Plerique tamen praelati regulares habent privilegium degradandi suos religiosos.

4.° *Forma degradationis.*—Forma degradationis *verbalis* de jure antiquo (Can. 5 et seqq., caus. 15, q. 7.; c. 2 *de Poenis* in 6.°) in eo consistit, ut Episcopus coram 12 Episcopis, presbyter coram sex, diaconus et subdiaconus coram tribus Episcopis, minorista coram Episcopo et capitulo cathedrali sententialiter degradetur. At de jure novo Tridentini, degradatio verbalis Episcopi a solo Papa perfici potest, cum omnes causae majores Episcoporum sint eidem reservatae; ad aliorum vero degradationem, si tot Episcopi haberi nequeant, sententialis degradatio, fieri potest coram totidem Abbatibus usum mitrae et baculi habentibus, Episcopo vel ejus Vicario generali assistentibus, vel si nec hi commode interesse possint, coram aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves ac juris scientia commendabiles existant (Trid. Sess. 13, c. 4 de ref.). Porro assistentes isti in judicio degradationis habent votum decisivum, et probabilius sententia eorum debet esse concors et non tantum a majori parte, ut infertur ex modo loquendi capitis 3 *de Sententia et re judicata*.

Forma degradationis *realis* traditur in Pontificali Romano, ut, scilicet, fiat ab Episcopo consecrato proprio, vel ab alio etiam consecrato, a proprio deputato (C. 2. *de Poenis* in 6.°), et praesente judice saeculari, clerico degradando vestibus sacris induto, gradatim ipsae vestes sacrae usque ad cottam inclusive, auferantur, et deinde reus judici saeculari tradatur cum seria protestatione et intercessione pro reo, ut citra mortem puniatur (C. 27 *de Verb. sign.*). Si tamen talis intercessio

omitteretur, Episcopus non fierit irregularis, cum id nullo jure caveatur.

V. **Poenae temporales.**—Praecipuae, quae ab Ecclesia infligi solent sunt:

1.° Infamia *juris*, quae triplici modo contrahitur: *ipso jure*, dum jus ante ullam sententiam aliquibus delictis annectit infamiam; *sententia judicis*, dum judex ob certa delicta infamantia condemnat reum, ut de rapina, furto, etc.; *genere poenae*, dum quis ignominiae causa ab officio amovetur, ut a dignitate, vel condemnatur ad poenam infamantem, ut deportationem, fustigationem, etc. Poena infamiae juris facit reum irregularem, privat et removet ab honoribus, dignitatibus, actibus legitimis et officiis (Can. fin. dist. 51; can. 2, caus. 3, q. 7), et a nullo nisi a principe supremo tolli (Can. 7 caus. 2, q. 3) potest (1).

2.° Poena pecuniaria; sed Tridentinum monet quod, ut suspicio avaritiae vitetur, non Episcopo aut mensae capitulari aut officialibus Episcopi, sed piis locis pecunia applicetur (Sess. 25, c. 3 de ref.).

(1) En poenarum temporalium distributio (*clasificación*) juxta Codicem poenalem hispanum: «*Penas aflictivas:* Muerte, cadena perpetua, reclusión perpetua, relegación perpetua, extrañamiento perpetuo, cadena temporal, reclusión temporal, relegación temporal, extrañamiento temporal, presidio mayor, prisión mayor, confinamiento, inhabilitación absoluta perpetua, inhabilitación absoluta temporal, inhabilitación especial perpetua ó temporal para cargo público, derecho de sufragio activo y pasivo, profesión ú oficio.

»*Penas correccionales:* presidio correccional, prisión correccional, destierro, reprensión pública, suspensión de cargo público, derecho de sufragio activo y pasivo, profesión ú oficio y arresto mayor.

»*Penas leves*: Arresto menor y reprensión privada.

»*Penas comunes á las tres clases anteriores:* multa y caución.

»*Penas accesorias:* degradación, interdicción civil, pérdida ó comiso de los instrumentos y efectos del delito, pago de costas.

»La multa, cuando se impusiere como pena principal, se reputará aflictiva, si excediere de 2500 pesetas; correccional, si no excediere de 2500 y no bajare de 125, y leve, si no llegare á 125 ptas.

»Las penas de inhabilitación y suspensión para cargos públicos y derecho de sufragio son accesorias en los casos en que, no imponiéndolas especialmente la ley, declara que otras penas las llevan consigo.

»Las costas procesales se entienden impuestas por la ley á los criminalmente responsables de todo delito ó falta» (Cód. Penal, art. 26, 27 y 28).

3.° Poena confiscationis bonorum (C. 19 *de Haeret.* in 6.°); quae si ecclesiastica sint applicantur Ecclesiae; hodie vero haec poena nonnisi ad damnorum vel expensarum reparationem vel poenas pecuniarias exsequendas locum habet in bonis patrimonialibus; sed est usitatior quoad fructus beneficiorum.

4.° Verberatio et flagellatio clericorum citra mortis et mutilationis periculum (Can. fin. dist. 35); sed jamdiu haec poena in Ecclesia exolevit.

5.° Carceratio, quae frequens fuit poena clericorum et Regularium (c. 3 de poenis in 6.°), sed quae hodie, mutatis circumstantiis et benevolentiâ Statuum erga Ecclesiam, fere nullibi potest adhiberi.

6.° Exilium seu relegatio, quam infligere potest Episcopus pro sua dioecesi, et Archiepiscopus pro sua provincia (Can. 8, dist. 45; can. 13, in fin. caus. 16, q. 5).

§ II.—DE POENIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS

Tribus punctis agemus: I. de censuris in genere; II. de censuris in specie, et III. de censuris nunc vigentibus ad normam Constitutionis *Apostolicae Sedis*.

PUNCT. I.—DE CENSURIS IN GENERE

I. Natura censurae. II. Divisio. III. Auctor censurae. IV. Forma censurae. V. Subjectum ipsius. VI. Effectus. VII. Causae excusantes a censura. VIII. Absolutio a censura.

I. **Censurae natura.**—Est poena ecclesiastica, spiritualis et medicinalis, homini baptizato delinquenti et contumaci inflicta, privans illum usu quorumdam bonorum spiritualium. Dicitur *medicinalis*, quia per se et primario ordinatur ad correctionem et sanationem delinquentis, et tantum secundario ad punitionem (1). *Delinquenti*, quia tantum infligi potest ob peccatum grave, externum, et in suo genere consummatum; unde valde probabiliter illam non incurrunt mandantes, consulentes

(1) Aliquando suspensio et interdictum inferuntur primario in vindictam criminis praeteriti (C. 1 *de Sent. excomm.* in 6.°), sed tunc proprie non sunt censurae, sed poenae vindicativae.

aliove modo cooperantes, quando tantum accessorie in illos lata est et mandatum vel consilium revocaverunt ante exsecutionem delicti, quamvis ex aliena malitia revocatio nequiverit ostendi mandatario aut consiliario, vel monstrata revocatio inefficax fuerit. *Contumaci*, quia ex natura sua fertur ad frangendam contumaciam seu obedientiam illius, qui scienter contra legem Ecclesiasticam peccat, et ideo ab ignorantibus non incurritur (C. fin. *de Constit.* in 6.°). *Quorumdam bonorum spiritualium*, quia censura primario privat bonis spiritualibus, non quidem internis, quae potestati Ecclesiae non subjiciuntur, sed externis, puta usu sacramentorum, etc., et secundario bonis quibusdam temporalibus, ut fidelium convictu et communicatione, etc.

II. **Censurae divisio.**—1.° *Ratione materiae* dividitur in *excommunicationem*, *suspensionem* et *interdictum*, de quibus infra singillatim agemus. 2.° *Ratione auctoris*, seu modi quo statuitur, in latam *a jure* et *ab homine* eadem prorsus ratione ac de poena in genere dictum est (pag. 636). 3.° *Ratione modi, quo incurritur*, in censuram *latae* et *ferendae sententiae*, sicut et poena in genere (pag. 637). 4.° *Ratione potestatis absolvendi*, in *non reservatam*, quae a quolibet confessario absolvi potest, est *reservatam*, quae nonnisi ab eo absolvi potest, cui absolutio reservata est; ex his vero aliae S. Pontifici, aliae Episcopo reservantur.

III. **Auctor censurae.**—Potestas *ordinaria* ferendi censuras est penes omnes et solos Ecclesiae Praelatos, qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo; potestate vero *delegata* censuras ferre possunt omnes et soli clerici, quibus potestatem ordinariam habentes illud commiserint. Ad valorem vero censurae requiritur in ferente: 1.° expeditus jurisdictionis usus, ita ut censuratus *toleratus* illicite, *vitandus* etiam *invalide* ferat censuras; 2.° voluntas; 3.° ut censuram non ferat in propria causa, nisi sit per modum justae defensionis ad vim repellendam, vel causa sit adeo manifesta, ut negari nequeat, nec examine indigeat, et 4.° si feratur *judicialiter*, territorium proprium acquiritur (Can. 7, c. 9, q. 1), excepto casu, quo Episcopus injuste pulsus sit a sua Sede, tunc enim sufficit petita, quamvis non obtenta licentia Ordinarii illius loci. Per modum vero *praecepti*

seu *statuti generalis* ad futura crimina cavenda, etiam extra territorium ferri potest.

IV. **Forma censurae.**—Consistit in solemnitatibus, quae jure positivo requiruntur, quando censura infligitur *ab homine per sententiam judicialem*, vel etiam juxta probabilem sententiam, quando censura sit *a jure*, sed *ferendae sententiae*. Hae solemnitates sunt: 1.° Trina monitio, vel una peremptoria, non necessario in scriptis facta, sed coram testibus idoneis per quos probari possit, assignato competenti termino duorum saltem dierum pro singulis monitionibus, nisi causa urgentissima breviorem suadeat, intra quem reus deliberet an cessare velit a contumacia (C. 48 *de Sent. excomm.*, et c. 3 ejusd. tit. in 6.°). Haec solemnitas monitionis requiritur etiam in delictis notoriis, si notoria non sit contumacia; si vero utrumque notorium sit, disputatur. Ceterum omissio monitionis non reddit censuram invalidam, sed injustam, si excipiatur excommunicatio lata ob communicationem cum censurato, tunc enim invalida est (C. 9 et 13 ej. tit. in 6.°). 2.° Si, lapso termino, reus sit contumax, judex sententiam proferet in scriptis, expressis in ea censurae specie nec non persona cui imponitur (C. 1 *de Sent. excomm.* in 6.°). 3.° Exemplar hujus sententiae intra mensem reo tradendum est, si illud reus exposcat (C. Ibid.). 4.° Lata censura, si bonum commune vel damnum tertii aut aliae circumstantiae id requirant, quod prudenti judicis arbitrio relinquitur, publice juxta morem loci censuratus denuntiari debet.

V. **Subjectum censurae.**—Censura solum ferri potest in hominem *baptizatum, rationis et doli capacem, viatorem* (1) *et subditum*, sive clericum sive laicum. Tamen impuberes, quamvis rationis compotes, illam non incurrunt nisi exprimantur, quod dicendum etiam est de Cardinalibus et Episcopis quoad interdictum et suspensionem, sed non quoad excommunicationem (C. 4 *De Sent. excomm.* in 6.°). Ex consuetudine Reges et Reginae ab uno Romano Pontifice excommunicari possunt. Pariter Regulares exempti nequeunt ab Ordinario loci censuris

(1) *Mortui* tamen nonnumquam excommunicati declarantur *ut absolvantur* vel *non*, ad effectum tantum ipsis concedendi vel denegandi ecclesiasticam sepulturam.

innodari nisi in casibus, quibus non eximuntur ab ipsius jurisdictione. Demum, quamvis integra communitas seu persona moralis possit qualibet censurâ per modum *statuti* aut *praecepti generalis* contra futura delicta ligari, per *sententiam*, vero, *particularem* nonnisi a Romano Pontifice *excommunicari* potest; ab aliis possunt excommunicari singuli de communitate, vel etiam tota communitas interdici et suspendi potest (C. 5 *De Sent. excomm.* in 6.°).

VI. **Effectus censurae.**—Effectus communis censurarum alter est *proximus* et *immediatus*, nimirum; privatio aliquorum bonorum spiritualium et gravis obligatio abstinendi a prohibitis per censuram; et alter *remotus* et *mediatus*, qualis est observantia ecclesiasticae disciplinae et emendatio peccatoris, vel partis laesae satisfactio. Praeterae clericus censuratus, divina officia celebrans, vel munus aliquod Ordinis sacri solemniter exercens, irregularis fit (C. 1 *de Sent. excomm.* in 6.°), et, qui per annum insordescit in *excommunicatione* (1), suspectus fit de haeresi; si autem clericus sit, poterit etiam suo beneficio privari (Conc. Trid. sess. 25, c. 3 de ref.).

VII. **Causae excusantes a censura.**—Sunt eaedem ac causae excusantes a poena ob delictum (Vid. pag. 624), quibus addi potest nullitas censurae, quae provenire potest tum ex *jurisdictionis* defectu in ferente, tum ex defectu *substantiali* in ordine judicii, tum ex defectu *causae justae* seu delicti legitime probati. Sed dantur etiam causae excusantes ab effectibus censurae, et sunt: 1.° ignorantia invincibilis effectuum censurae; 2.° necessitas vitandi gravem infamiam vel grave scandalum.

VIII. **Absolutio a censura.**—Censura proprie dicta, semel contracta, tolli non potest nisi per absolutionem (C. 40 *de Sent. excomm.*). Absolutio autem potest esse: 1.° *pura* seu absoluta, et *conditionata*; 2.° *ad cautelam*, dum quis ad praecavendum damnum, vel ad certum effectum absolvitur a censura ignota vel dubia, si reipsa subesset; 3.° *ad reincidentiam*, dum quis absolvitur ad certum effectum, v. g.: ut possit stare in judicio, et dein cadit in eamdem censuram (Maschat, in lib. V, t. 39

(1) Hic effectus proprius est *excommunicationis*, at non communis omnium censurarum, ut patet ex lectione textus Concilii Tridentini; quod notandum est contra S. Lig. et plerosque auctores, qui non satis accurate hac de re scripsere

Decr. § I. q. VI n. 1.°), vel juxta alios, quando reus ita absolvitur, ut nisi intra certum tempus aliquid praestiterit, reincidat ipso facto in eamdem censuram. Hi omnes modi adhiberi possunt in foro externo et interno; si tamen absolutio in foro tantum interno data sit, reus tenetur in foro externo se gerere ut censuratum, si censura nota sit in eodem foro.

Quoad potestatem absolvendi, a censura lata *ab homine per sententiam particularem* vel *praeceptum particulare*, absolvere tantum potest qui eam tulit, vel ejus Superior, Successor aut Delegatus (C. 1 *de Reg. Jur.* X); a censura vero *lata ab homine per statutum generale*, vel lata *a jure*, nisi reservata sit, potest absolvere quilibet confesssarius in utroque foro; a reservatis vero nonnisi ille, cui reservantur, ejusque Superior vel Delegatus, si excipiantur casus, de quibus in Libro I ubi de Regularibus (pag. 375) sermo factus est.

Quoad formam absolvendi, si excommunicatio excipiatur, nulla in Jure praescripta est; absolutio vero excommunicationis in foro interno sacramentali, facienda est formâ praescripta pro absolutione sacramentali; in foro vero externo, vel etiam interno, sed extra sacramentum, *Rituális* formula (Tit. III, c. 3, 4 et 5). Hic notare praestat eum, qui potestatem habet absolvendi a censura pro foro conscientiae, vel poenitentiae, juxta probabiliorem sententiam, ea uti valere etiam extra actum sacramentalem (Baller.-Palm. Vol. VII, n. 299, 310).

Punct. II.—De censuris in specie

I. De excommunicatione. II. De suspensione. III. De interdicto.

I. **Excommunicatio.**—Videnda sunt: 1.° natura; 2.° divisio, et 3.° effectus excommunicationis.

1.° *Natura.*—Excommunicatio est censura ecclesiastica privans fidelem omni ecclesiastica communione (Can. 32 et 107, caus. 11, q. 3).

2.° *Divisio.*—Dividitur in *reservatam* et *non reservatam*. Reservata autem subdividuntur in reservatam *Ordinario* et reservatam *R. Pontifici*, et haec iterum in *simpliciter* et *specialiter* reservatam.

Excommunicatus alius est *vitandus*, cum quo fideles

communicare nequeunt, alius *toleratus*, cum quo communicare possunt. Hodie *vitandi* tantum sunt *nominatim excommunicati* ac *denuntiati, et notorii percussores clericorum* (Const. Mart. V *Ad vitanda*). Juxta plures haec notorietas debet esse tum facti, tum juris; sed notandum quod haec distinctio inter *vitandos* et *toleratos* facta est tantum favore fidelium, quatenus his permittitur agere cum *tolerato*, tamquam cum non excommunicato; sed ipse excommunicatus quoad bona spiritualia, quibus privatur, ut talem se gerere debet, nisi aliquando consuetudine legitime praescripta, aut ratione necessitatis, vel infamiae, aut scandalo vitando excusetur.

3.° *Effectus excommunicationis.*—Praeter communes cuilibet censurae, sunt sequentes: **a)** *Privatio usus activi* (administrationis) et *passivi* (receptionis) *sacramentorum* (C. 32 *de Sent. excomm.*), excepto mortis articulo. *Toleratus* autem, quoad usum activum, excusatur in casu gravis necessitatis ad vitandum grave damnum, vel ob petitionem fidelium.

b) *Privatio assistendi sacrificio Missae;* et quidem *vitandus* expelli debet, aut, si non possit, missa ante canonem abrumpitur, et post canonem continuatur usque ad communionem, et facta sumptione, statim receditur ad sacristiam, omissis ceteris orationibus (C. 26 *de Sent. excom.* in 6.°; Clement. 2 eod. tit.), quae in ipsa sacristia, adstante tantum Sacerdote et ministro complentur.

c) *Privatio interessendi divinis Officiis*, v. gr. publicae horarum recitationi, processionibus, etc., privatim tamen, si alias obligatus est, tenetur horas canonicas recitare. eique socius, praesertim subditus indulgetur ad simul cum eo recitandum; immo D' Annibale non immerito contendit vi consuetudinis jus antiquum abrogantis, *toleratos* nullatenus aut leviter tantum peccare, si divinis adsistant Officiis (P. III, n. 356, not. 20). Dum vero Officia divina non celebrantur, quilibet excommunicatus ingredi potest Ecclesiam, ibique privatim orare, quamvis adsint alii fideles, qui ibi privatim orent.

d) *Privatio communium*, non vero *privatorum*, *Ecclesiae suffragiorum* (C. 28 et 38 *de Sent. excomm.*).

e) *Privatio sepulturae sacrae*, de quo satis dictum est Lib. II (pag. 421 et 422).

f) *Privatio jurisdictionis* in utroque foro quoad vi-

tandos, et liciti usus ipsius quoad toleratos (C. 24 *de Sent.* et *re jud.*; c. *de off. deleg.* in 6.°).

g) Inhabilitas ad officia et beneficia obtinenda, ita ut nulla sit collatio vel electio in favorem excommunicati facta (C. 7 *de Cleric. excomm.*).

h) Privatio beneficiorum, at non ipso facto, nisi expresse in jure cautum sit, ut fit in casu haeresis, sed post sententiam condemnatoriam judicis; unde non tenetur fructus ante sententiam perceptos restituere, si per alium onera beneficii adimplevit.

i) *Privatio communicationis forensis*, ita ut excommunicatus vitandus non possit esse judex, magistratus, arbiter, actor, advocatus, procurator ad lites, testis, vel tabellio (Can. 6, caus. 3, q. 4), toleratus vero possit ope exceptionis excludi (1); uterque tamen potest ut reus sese defendere, vel officia privata, ex. gr. tutoris aut curatoris suscipere, uti et assistere matrimonio, et assistendi facultatem tribuere, atque ad professionem religiosam admittere.

j) *Privatio communicationis civilis*, nisi causa rationabilis excuset; et quidem *tolerati* possunt in civilibus cum aliis communicare, quoties ab illis requirantur; immo juxta Lehmkuhl (Vol. II, n. 897), hodie, cum *communiter* incommunicatio in civilibus amplius observari non possit, vi suâ destituta lex communicationem prohibens censetur, etsi ab aliquo in particulari servari possit; unde licita est communicatio in civilibus etiam cum excommunicatis vitandis.

II. **Suspensio.**—Videnda erunt: 1.° natura, 2.° divisio, et 3.° effectus suspensionis.

1.° *Natura.*—Suspensio est censura privans clericum per se et directe usu beneficii, officii, vel utriusque simul. Suspensio ab Officio privat usu ordinis et jurisdictionis, et suspensio a beneficio fructibus et administratione beneficii.

2.° *Divisio.*—Suspensio **a)** alia est *totalis*, quae suspendit et ab officio et a beneficio, alia *partialis*, quae ab alterutro tantum: **b)** alia *a jure*, alia *ab homine lata*; **c)** alia *absoluta* seu sine determinatione temporis, quae-

(1) In praxi hodie tantum servanda praescribuntur in tribunalibus ecclesiasticis.

que manet donec absolutione tollatur, alia *ad certum tempus*, quaeque eo elapso exspirat; d) alia, quae fertur ut *censura*, alia ut *poena vindicativa*, alia ut *simplex prohibitio* seu *ad cautelam*; e) alia *judicialis*, alia *ex informata conscientia*.

3.° *Effectus suspensionis.*—Pendent ex verbis quibus fertur suspensio. Si simpliciter lata sit, censetur *totalis*, nisi ex contextu aliqua restrictio colligatur; si vero determinetur ad aliquam materiam, *partialis* est, et solum privat illis actibus, qui in sententia exprimuntur, vel cum eis necessario connexis. His positis:

a) *Suspensus ab ordine* non censetur suspensus a jurisdictione, neque suspensus ab ordine inferiori ideo suspenditur a superiore, et vice versa.

b) *Suspensus ab Ordine pontificali*, tantum est suspensus ab his actibus, qui sunt proprii Ordinis Episcopalis; pariter suspensus *a Pontificalibus*, directe est suspensus ab usu insignium Pontificalium.

c) *Suspensus ab officio simpliciter*, censetur suspensus ab omni actu ordinis vel jurisdictionis, quia hoc utrumque venit nomine officii; non tamen est suspensus a beneficio, seu perceptione fructuum, neque a voce activa in capitulo.

d) *Suspensus a jurisdictione sola*, non est suspensus ab ordine nec a beneficio, sed tantum a jurisdictione in utroque foro, externo et interno, et quidem tantum intra territorium suspensionem ferentis; extra illud enim verius nullam vim habet (Bucceroni, *de Cens.* n. 116).

e) *Suspensus a beneficio* exercere potest officium; et non privatur beneficio, sed tantum fructibus ipsius; quorum nomine non veniunt distributiones quotidianae. Porro, si suspensio ista feratur ut poena vindicativa, beneficiarius retinere potest fructus necessarios ad sustentationem; non vero, si feratur ut censura, nisi fuerit *occulte* suspensus et munia debita impleat, tunc enim poterit sibi retinere partem, quam dare deberet substituto.

f) *Suspensio in Communitatem collective sumptam lata*, afficit singulas personas quoad officia seu jura, quae collegialiter exercentur, non quoad munia personalia, quae exercentur privatim. Si vero feratur in Communitatem et singulas illius personas, tunc afficit solos delinquentes.

g) *Violans suspensionem*, quando haec stricto sensu vera censura est, incurrit irregularitatem. Stricto vero sensu, juxta sententiam valde probabilem, ut censura non habetur, nisi sit perpetua, id est, sine temporis definitione, et ad frangendam contumaciam, non in vindictam lata; unde ut talis non habetur *suspensio ad tempus;* suspensio *a Pontificalibus*, fertur enim proprie ad vindictam, et suspensio ex *informata conscientia* (D' Annibale, P. I, n. 386; Baller.-Palm. Vol. VII, n. 492 et 498).

III. **Interdictum.**—Examinanda sunt: 1.° natura; 2.° divisio; 3.° extensio; 4.° effectus, et 5.° cessatio interdicti.

1.° *Natura.*—Interdictum est censura ecclesiastica privans usu divinorum officiorum, quorumdam sacramentorum et ecclesiasticae sepulturae.

2.° *Divisio.*—Dividitur: 1.° in *personale*, quod directe afficit personam, ne divinis uti valeat, et *locale*, quod directe afficit locum, ne in eo divina celebrari possint, et *mixtum*, quod et personas et loca afficit, et privat divinis. 2.° Utrumque in *generale* et *speciale*. *Generale locale* est, quo plura loca simul afficiuntur, ut totum regnum, civitas, parochia; *generale personale*, quo tota communitas hominum afficitur; ut omnes incolae regni, civitatis, monasterii; *speciale locale*, quo unus locus determinatus afficitur, ut haec ecclesia; *speciale personale*, quo una vel altera persona singularis afficitur, etiam indeterminata, v. g., qui furtum commiserit, subjaceat interdicto. 3.° *Personale* potest esse vel *totale*, quando omnes effectus interdicti, vel *partiale*, quando unum vel alterum continet.

3.° *Extensio interdicti.*—Pro interdicto locali sequentes dantur regulae: a) Interdicta civitate interdicuntur ejus suburbia et aedificia continentia, etiamsi sint alterius dioecesis et jurisdictionis (C. 17 *de Sent. excomm.* in 6.°), necnon ecclesiae exemptae, illudque omnes servare tenentur, tum saeculares, tum regulares, tum incolae, tum exteri, imo et is, qui illud tulit; sed, qui interdicto causam dederunt, semper et ubique censentur personaliter interdicti, unde etiam in loco non interdicto divinis participare nequeunt (C. 16 *de Sent. excomm.* in 6.°; c. 4 et 10 *de privil.* in 6.°; Conc. Trid. sess. 25, c. 12 *de Regul.*). b) Interdictâ dioecesi aut civitate episcopali, etiam

censetur interdicta Ecclesia cathedralis (C. 17 *de Sent. excomm.* in 6.°), ne vis interdicti generalis eludatur: unde non est hic locus argumento petito ex c. 4 *de Praeb.* in 6.°. **c)** Interdictâ aliqua ecclesiâ, etiam interdicuntur hujus capellae et coemeterium contiguum, tamquam quid accessorium (C. 17 *de Sent. excomm.* in 6.°), sed non e converso.

Pro interdicto *personali* sequentes traduntur regulae: **a)** Interdicta aliqua communitate, censentur interdicta omnia membra illius, etiam individui absentes, aut in suburbiis habitantes vel post interdictum incorporati (C. 16 *de Sent. excomm.* in 6.°); non tamen Episcopi, nisi de ipsis expressa fiat mentio, nec infantes et amentes, qui tamen ecclesiastica sepultura privantur, nec innocentes, qui a loco discedunt, alibi domicilium fixuri, nec exteri et peregrini, etsi diu in populo habitent, nec probabilius, qui duplex domicilium habent. **b)** Interdicto clero, non censetur populus interdictus, nec e contra; nec Ecclesiae aut loca sacra (ibid.), ideoque alii clerici populo divina facere possunt; neque sub interdicto *cleri* venit Episcopus, nisi exprimatur (C. 4 *de Sent. excomm.* in 6.°), nec Regulares, nisi beneficium saeculare possideant.

4.° *Effectus interdicti.*—Interdictum simpliciter latum sequentes producit effectus: **a)** Privat administratione et receptione Eucharistiae, nisi sumatur per modum Viatici, Extremae-Unctionis, nisi infirmus aliud sacramentum recipere nequeat, et Ordinis in loco interdicto. *Nominatim* vero interdicti nequeunt baptismum ministrare, nisi privatim et tantum in casu necessitatis, et privantur praeterea usu activo et passivo sacramenti Confirmationis et Poenitentiae, excepto mortis articulo, nisi prius condignam satisfactionem exhibeant, aut cautionem juratam de satisfaciendo praestent (C. 43 *de Sent. excomm.*; C. 19 et 24 ejusd. tit. in 6.°); at probabilius non prohibentur matrimonium contrahere.

b) Privat divinis Officiis, iis nempe, quae per se adnexa sunt Ordini sacro et a solis clericis fieri permittuntur, si concio excipiatur. Tamen, in interdicto *locali generali* concessum est clericis, ut quotidie Missas celebrent et divina peragant Officia voce submissa, januis Ecclesiae clausis, excommunicatis et personaliter inter-

dictis exclusis, et non pulsatis campanis (C. *Alma mater* 24, *de Sent. excomm.* in 6.°); at in ecclesia specialiter interdicta semel tantum in hebdomada Missa legi potest, ad renovandam Eucharistiam pro infirmis (C. 47 *de Sent. excomm.*). Tandem omne interdictum suspenditur, quoad Officia divina celebranda, in Natali Domini, in Pascha, Pentecoste, Assumptione B. M. V. (C. *Alma* citatum) et in Festo et Octava Corporis Christi (Const. Martini V *Ineffabile* et Eugen. IV *Excellentissimum*); personaliter tamen interdictis non licet ad altare appropinquare.

c) Privat sepultura ecclesiastica, scilicet: stante interdicto *locali*, nullus laicus, etiam infans, in illo loco ecclesiastica donari potest sepultura; sed, sublato interdicto, cadavera exhumanda sunt et in loco sacro sepelienda. Clericis vero et utriusque sexus Regularibus, modo *personale* interdictum non obstet, conceditur ecclesiastica sepultura, at sine pulsatione campanarum, sine solemnitate ecclesiastica et cum silentio (C. 11 *de Poenit. et remiss.*). Interdicti demum personaliter, sive generaliter, sive specialiter, modo sint publice denuntiati, quamvis clerici, vel si interdicto causam dederint, privantur sepultura sacra (C. 8 *de Privil.* in 6.°; *Clement.* 1 *de Sepult.*).

d) Clerici violantes interdictum locale vel personale, exercendo actum Ordini sacro adnexum, irregulares fiunt; qui *scienter* divina celebrant vel celebrare faciunt in loco interdicto, interdictum *ab ingressu in ecclesiam* ipso jure incurrunt, per quod prohibentur tantum in eam ingredi, ut ibi divina celebrent, vel audiant, vel sepeliantur in loco sacro (C. 20 *de Sent. excomm.* in 6.°), et qui mandant seu cogunt tradi ecclesiasticae sepulturae *nominatim* interdictos, excommunicationem non reservatam incurrunt.

5.° *Cessatio interdicti.*—Si latum fuit ut censura, id est, ob contumaciam sine temporis determinatione, absolutione tantum cessat; quae, si de *locali* interdicto agatur vel de *personali generali*, unice impertiri potest ab habente jurisdictionem externam in illum locum vel Communitatem; si vero agatur de *personali speciali*, et reservatum sit, ab eo cui reservatum est vel ejus successore aut Superiore; secus a quocumque confessario.

PUNCT. III.—DE CENSURIS NUNC VIGENTIBUS AD NORMAM CONST. *Apostolicae Sedis*

Pius IX per Constitutionem *Apostolicae Sedis*, die 11 Oct. 1869 editam, multas censuras abrogavit vel mutavit, novum censurarum *a jure latae sententiae* catalogum texens; sed nihil innovavit quoad censuras *ab homine*, nec quoad censuras *ferendae* sententiae aut alias poenas canonicas.

Censurae vero *a jure lataeque sententiae*, quae ex Const. Pii IX hodie vigent, ad quatuor capita revocantur, nimirum: 1.° Censurae, quae in dicta Const. recensentur. 2.° Censurae, quas Consilium Tridentinum tulit, non autem eae, quas allegat tantum aut innovat. 3.° Censurae latae pro Rom Pontificis electione hactenus in suo vigore perstantes. 4.° Censurae latae pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum Locorumque Piorum, cujuscumque nominis aut generis sint, quae hactenus in suo vigore perstiterunt. Sed praeter has evidens est etiam vigere, quae post dictam Const. latae sunt. Igitur distincte agemus: **A**) de censuris generalibus ad praedictam normam hodie vigentibus, et **B**) de censuris latis pro interno regimine Regularium hodie vigentibus.

A) DE CENSURIS GENERALIBUS HODIE VIGENTIBUS

I. *Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae.*

Pius IX huic excommunicationi subjacere declarat 1.° «Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet eorum defensores» (Vide tamen notata Lib. III pag. 628).

2.° «Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim

prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes». Ad nomen *libri* non refert quantae molis sit, neque utrum impressus sit, an manuscriptus; unde etiam comprehenduntur singuli fasciculi ad volumem componendum destinati. E contra, non veniunt diaria, epistula vel concio seorsim edita.

3.° «Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis, pro tempore existentis, obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt».

4.° «Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit».

5.° «Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinalis, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem».

6.° «Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes». Aliqui, uti continuatores *Act. S. Sedis.*, Lehmkuhl (Vol. II, n. 929) et Genicot (Vol. II, n. 519), ajunt recursum ad forum saeculare tunc solum excommunicationem inducere cum jurisdictionem ecclesiasticam effective impedierit.

7.° «Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae». Verbo *cogentes* non comprehenduntur nisi legislatores et aliae auctoritates, quae cogunt judices sibi subjectos ut trahant ad suum tribunal personas ecclesiasticas. Juxta declarationem S. U. Inquis. 22 Jan. 1886 iis in locis, in quibus fori privilegio per SS. Pontifices derogatum non fuit, si in eis non detur jura sua persequi nisi apud judicem laicum, tenentur singuli prius a pro-

prio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint, eamque Ordinarii numquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Contra eos, qui sine hujusmodi venia clericum, vel sine venia S. Sedis, Episcopum apud tribunal saeculare conveniunt, Ordinarius procedere potest poenis et censuris ferendae sententiae, si id expedire in Domino judicaverit.

8.° «Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes».

9.° «Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac Supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem aut S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum».

10. «Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem».

11. «Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum sut Beneficiorum pertinentes». Non incurrunt hanc censuram fures et raptores, neque illi qui praefata bona ab usurpatore emunt, vel alio titulo accipiunt.

12. «Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis, necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes». Ea tamen officia, quae mere ad bonum civium spectant, impune assumi et exerceri possunt dummodo juramentum fidelitatis usurpatori non praestetur.

13. His ex posteriore Constitutione ipsius Pontificis incipiente *Romanus Pontifex* edita die 28 Aug. a. 1873 addenda est recensita in Libro I (p. 125) sub numeris 4.° et 5.°, ubi cum *nominatis* et *praesentatis* etiam *electi* quoad hanc poenam enumerari debent, ut patet ex sequentibus verbis ipsius Constitutionis: «Canonicos ac Dignitates Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint vacantis Ecclesiae curam, regimen et administrationem concedere et transferre in electum a Capitulo Episcopum, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum, antequam hic Apostolicas institutionis Litteras exhibuerit: item electos aut nominatos et praesentatos ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione, de qua supra; necnon eos qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cujuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint».

II. *Excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatae.*

His subjacere declarat: 1.° «Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam, praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Bened. XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745; *Ubi primum* 2 Junii 1746; *Ad eradicandum* 28 Sept. 1746».

2.° «Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos vel utriusque sexus Monachos, exceptis quod reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur ut Episcopus vel alius absolvat». (Vid. notata Lib. I p. 73 n. 4.°).

3.° «Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis».

4.° «Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumque occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint». Cessat obligatio denuntiandi, si duces certo *noti* sunt; sed non ideo noti censeri possunt, quia eorum nomina in ephemeridibus, praesertim Massonicis, evulgantur, et non cessat obligatio denuntiandi ob periculum damni privati».

5.° «Immunitatem asyli ecclesiastici *ausu* temerario violare jubentes aut violantes».

6.° «Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariter eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam» (Vid. notata in Lib. I p. 339 et seqq.).

7.° «Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes» (Vide notata Lib. I p. 338).

8.° «Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque eorumque complices».

9.° «Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis».

10. «Reos simoniae realis ob ingressum in religionem».

11. «Omnes, qui quaestum facientes ex Indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur in Constitutione S. Pii V *Quam plenum* 2 Jan. 1569».

12. «Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent».

13. «Omnes, qui excommunicatione mulctantur in Const. S. Pii V *Admonet nos*, 26 Mart. 1567; Innoc. IX *Quae ab hac Sede*, 4 Nov. 1591; Clem. VIII *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Jun. 1592, et Alex. VII *Inter ceteras* 24 Oct. 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus».

14. «Religiosos praesumentes Clericis aut laicis extra

casum necessitatis Sacramentum Extremae-Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia».

15. «Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex sacris Coemeteriis, sive Catacumbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes».

16. «Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem». Non tamen comprehenduntur communicantes in crimine criminoso cum excommunicatis a RR. Congregationibus, etiamsi earum decretis accedat approbatio S. Pontificis (S. C. S. Off. 16 Jun. 1894).

17. «Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsas in Officiis recipientes».

18. «Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus speciali modo Papae reservatis, dummodo non agatur de mortis articulo». Haec excommunicatio sumpta est ex prima parte Const. *Apost. Sedis* post excomm. XII.am

Ex decreto C. S. Offic. 4 Dec. a. 1872 eidem excommunicationi subjici sequitur:

19. «Missionarios quocumque modo, sive per se sive per alios, mercaturae in Indiis Orientalibus et America operam dantes, necnon eorum Superiores, qui subditos suos hac in re delinquentes non puniverint». Ab hac censura nemo absolvi potest, praeterquam in mortis articulo, nisi lucra ex mercatura percepta Superiori Missionis prius consignaverit. Facta hac restitutione, a quovis Confessario absolvi poterit.

20. Pariter ex Concilio Tridentino (Sess. 22. c. 11 de ref.) eidem censurae subjici infertur Clericos vel laicos quacumque dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeant, qui alicujus Ecclesiae, Beneficii, Montium pietatis, aliorumque Piorum Locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserint, seu impedire ne ab eis, ad quos jure

pertinent, percipiantur; nec non eos ad quos praedicta bona quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint; item Clericos, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricatores seu consentientes fuerint».

III. *Excommunicationes Ordinariis reservatae*

1.ª «Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere *praesumentes*».

2.ª «Procurantes abortum, effectu secuto».

3.ª «Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini hac in re cooperantes».

IV. *Excommunicationes nemini reservatae*

Sunt decem, quarum quatuor primae a Const. *Apostolicae Sedis*, et sex postremae a Concilio Tridentino latae fuerunt.

1.ª «Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos».

2.ª «Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve sacri Tribunalis Scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes».

3.ª «Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, *de reb. Eccl. non alienandis*».

4.ª «Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus nostris, Greg. XV (Const. *Universi* 20 de Aug. 1622) et Bened. XV (Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Junii 1741)».

5.ª «Illos, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt».

(Ita in fine hujus sectionis Constitutio *Apost. Sedis* moderatur excommunicationem latam a Concilio Tridentino in sess. 4 *de edit. et usu sacr. libr.*). Haec censura restringenda est ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non ad earumdem adnotationes et commentarios.

6.ª «Docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumentes illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, non necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem ante sumptionem SS. Eucharistiae. Pariter, negantes clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, vera ac rata esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; nec non falso affirmantes Matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse». (Ex Conc. Trid., sess. 13, canon 11; sess. 24, cap. 1, *ref. matr.*).

7.ª «Raptores mulierum Matrimonii causa, ac omnes illis consilium, auxilium et favorem praebentes». (Ex Conc. Trid., sess. 24, c. 5, *ref. matr.*).

8.ª «Temporales dominos ac magistratus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogunt, quominus libere Matrimonia contrahant (Ex Conc. Trid., sess. 24, c. 9, *ref. matr.*).

9.ª «Omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, saeculares vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate, qui quomodocumque coëgerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Similiter eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint». (Ex Conc. Trid., sess. 25, c. 18, *de Regul.*).

10. «Magistratus, qui adversus inobedientes et contradictores clausurae Monialium ad instantiam Episcopi non praebent auxilium». (Ex Conc. Trid., sess. 25, c. 5, *de Regul.*).

V. *Suspensiones.*

Septem sunt ex Const. *Apostolicae Sedis*, omnesque R. Pontifici *simpliciter* reservatae; sex ex Concilio Tridentino, aliae reservatae, aliae non, una specialiter Papae reservata ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex*, et altera eodem modo reservata ex decr. S. C. Concilii 12 Jul. 1900. Eas hoc eodem ordine recensebimus.

1.ª «Suspensionem *ipso facto* incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione».

2.ª «Suspensionem per triennium a collatione Ordinum *ipso jure* incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta».

3.ª «Suspensionem per annum ab ordinum administratione *ipso jure* incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii illius loci litteris testimonialibus».

4ª. «Suspensionem per annum a collatione Ordinum *ipso jure* incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congr. viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo vota solemnia».

5ª. «Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum *ipso jure* incurrunt Religiosi ejecti, extra religionem degentes» (Vid. 313).

6. Suspensionem ab ordine suscepto *ipso jure* incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserint ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus».

7ª. «Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, postquam in praedicto examine rejecti fuerint; necnon Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis *ipso jure* incurrunt: Episcopi vero ordinantes, ab usu Pontificalium per annum». Clerici exteri, si ordinentur a prop. Ordin., necesse non est ut subeant examen in Urbe, nec ut exerc. peragant in d. Mis. (Decr. C. part. sub Al. VII).

8ª. Ex Conc. Trid. (sess. 6. c. 5 *de ref.*): «Suspensionem ab exercitio Pontificalium *ipso jure* incurrit Episcopus, qui in alterius dioecesi Pontificalia exercet sine Ordinarii loci expressa licentia, vel in personas eidem Ordinario non subjectas; si hoc modo ordines confert, ordinati *ipso jure* suspensi sunt ab exsequutione Ordinum». Neutra est reservata.

9.ª Ex Conc. Trid. (sess. 14, c. 2 *de ref.*): «Suspensionem ab exercitio Pontificalium per annum *ipso jure* incurrit Episcopus Titularis, qui alterius subditum, vigore cujusvis privilegii, etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad Ordines vel primam Tonsuram promovet; taliter promotus suspensionem ab executione Ordinum sic susceptorum *ipso jure* incurrit, donec suo Praelato visum fuerit». Censura ab Ordinante contracta non est reservata.

10. Ex Conc. Trid. (sess. 23, c. 8 *de ref.*): «Suspen-

sionem a collatione ordinum per annum incurrit Episcopus, qui subditum alienum, etiam cujusvis rescripti vel privilegii praetextu, ordinat absque Ordinarii sui testimonio de illius probitate et moribus; Ordinatus incurrit suspensionem a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire». Censura ab Ordinante contracta non est reservata.

11. Ex Conc. Trid. (sess. 23, c. 10. et sess. 7, c. 10 *de ref.*): «Suspensionem ab Officio et Beneficio per annum *ipso jure* incurrunt Abbates, Praelati exempti et Vicarii Capitulares, qui Clericis saecularibus litteras dimissorias concedunt ut ab alio quam a proprio Episcopo ordinentur; Ordinati cum dimissoriis Vicarii Capitularis, si in majoribus Ordinibus constituti fuerint *ipso jure* incurrunt suspensionem ab exsequutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati». Censura in concedentes dimissorias non est reservata.

12. Ex Conc. Trid. (sess. 24, c. 1, *ref. matr.*): «Parochus vel alius Sacerdos, sive Regularis sive saecularis sit, qui alterius Parochiae sponsos sine illorum Parochi vel Ordinarii licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, *ipso jure* tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur». Probabiliter haec suspensio est ab Officio tantum. Non viget ubi publicatum non est Tridentinum.

13. Ex Conc. Trid. (sess. 25, c. 14, *de ref.*): «Suspensionem *ipso facto* incurrunt Episcopi, qui, quod absit, in concubinatu versantur, si a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint». Haec suspensio est totalis, sed non reservata.

14. Ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex*: Suspensionem ab exercitio Pontificalium R. Pontifici specialiter reservatam *ipso facto* incurrunt, qui charactere episcopali insigniti intrusum regimen dioecesis vacantis suscipiunt (Vid. pag. 125 n. 6.°), concedunt, vel intrusioni cooperant.

15. Demum ex Decr. S. C. Concilii 12 Jul. 1900: «Quisquis e clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque justa causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales ve-

stes exuerit, quamvis arma non sumpserit et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen militiae dederit, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere *praesumpserit*, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat, ab Ordinum et graduum exercitio et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et *ipso facto* maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut beneficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit, sublata ad hunc effectum respectivis Dioecesium Ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant), sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi Clericos gaudeant, contrariis quibuscumque minime obstantibus».

VI. *Interdicta.*

Duo sunt ex Const. *Apost. Sedis* diverso modo reservata; duo quoque ex Concilio Tridentino, non reservata; et unum ex Const. Pii IX *Rom. Pontifex.*

1.um «Interdictum R. Pontifici speciali modo reservatum *ipso jure* incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem R. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia».

2.um «Scienter celebrantes vel celebrare facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis: aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae *ipso jure* incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint».

3.um Ex Conc. Trid. (Sess. 6, c. 1, *de ref.*): «Interdictum ab ingressu Ecclesiae *ipso jure* incurrit Metropolitanus qui suffraganeos Episcopos ultra annum a sua dioecesi absentes, vel suffraganeus Episcopus antiquior residens, qui Metropolitanum sic absentem, intra sex menses per litteras seu nuntium, Rom. Pontifici non denuntiaverint».

4.um Ex Conc. Trid. (Sess. 7, c. 10 *de ref.*): «Interdictum incurrit Capitulum, quod intra annum a die vaca-

tionis Sedis Episcopalis litteras dimissorias alicui non arctato concedit».

5.um Ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex*, interdictum ab ingressu ecclesiae specialiter reservatum *ipso facto* incurrunt qui, insigniti charactere episcopali, intrusum regimen dioecesis vacantis suscipiunt (Vid. p. 125, n. 6.°), vel concedunt, vel intrusioni cooperant.

B) DE CENSURIS LATIS PRO INTERNO REGULARIUM REGIMINE HODIE VIGENTIBUS

I. *Excommunicationes R. Pontifici reservatae.*

1.a Excommunicatio in Superiores Regulares lata, qui quovis quaesito colore vel praetextu in causis ad S. Officium pertinentibus quoquo modo se intromittere seu immiscere *praesumpserint* (Const. Pauli V *Rom. Pontifex*; Alex. VII, *Licet.*) (1).

2.a Item lata in Superiores Regulares, qui non denuntiant Inquisitoribus religiosos quoscumque haereticos, vel de haeresi quomodocumque, etiam leviter suspectos, tam sibi ipsis subditos quam non subditos cujuscumque dignitatis, gradus et conditionis existant (Cit. Const. Pauli V, et Alex. VII).

3.a Item lata in Superiores Regulares, qui subditos ad S. Officium recurrere aut accedere volentes, quovis modo, sive directe sive indirecte, avertere, retrahere, vel dissuadere *praesumpserint* (Cit. *Const.*).

4.a Lata in Religiosos subditos, qui confratres quoscumque ac Superiores ejusdem Ordinis et Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos non denuntiant; aut qui ab ipsis consilium petentes a denuntiando sub fraternae correctionis, vel alio quovis praetextu retrahunt vel retardant (Cit. Const. *Romanus Pontifex* et *Licet*).

II. *Excommunicationes nemini reservatae.*

1.a Excommunicatio lata a Bonifacio VIII (C. 2, *Ne*

(1) Prohibitio, ad quam sese refert praedicta excommunicatio, renovata fuit per decretum S. Officii 15 Maj. 1901.

clerici vel monachi in 6.°) contra regularem, qui temere habitum propriae Religionis dimittit, licet absque animo apostatandi (Cf. dicta Lib. I. pag. 335).

2.ª Excommunicatio in *monachos* (non in alios religiosos) intra septa monasterii arma tenentes sine licentia Abbatis. Ad eam incurrendam requiritur *praesumptio* (Clem. I *de Statu monachorum*).

3.ª Excommunicatio lata adversus *monachos* et *canonicos regulares*, qui principum curias adeunt, ut suis Praelatis vel suo monasterio damnum aliquod inferant. Ut incurratur requiritur *praesumptio* (Ibid.).

4.ª Excommunicatio in eos, qui recursum extra ordinem faciunt ad obtinendum quemlibet favorem vel gratiam, vel litteras obedientiales, vel ad vitandam poenam (Const. Clem. X *Ex injuncto*). Requiritur *praesumptio* ut incurratur.

Praeter has, et aliae latae sunt excommunicationes pro nonnullis tantum Ordinibus, de quibus loqui non possumus.

III. *Suspensiones.*

Praeter generales supra memoratas, quae et Regulares comprehendunt, adsunt specialiter pro ipsis:

1.ª Suspensio ab exsequutione Ordinis sacri tempore apostasiae a Regulari suscepti (C. 6 *de Apost. et reiter. baptismi*).

2.ª Suspensio a receptione quorumlibet ad professionem suae religionis, in Mendicantes qui admittere *praesumpserint* (per suum votum) ad suae Religionis professionem ante completum Novitiatus annum (C. 2 et 3 *de Regularibus* in 6.°). Haec suspensio proprie non est censura; unde ejus violatio non inducit irregularitatem.

3.ª Ex Decreto S. C. Conc. 24 Maj. 1893 suspensionem incurrunt religiosi sacerdotes, qui contra decreta S. C. C. 9 Sept. 1874 deliquerint.

4.ª Demum in locis, ubi vigent Clementina decreta quoad domorum Novitiatus designationem, suspensio in Superiores Regulares illorum decretorum violatores (Decr. *Regularis disciplinae*, § 3; *Sanctissimus*, § 7).

§ III.—DE POENIS IMPROPRIE DICTIS, ID EST, DE CESSATIONE A DIVINIS ET DE POENITENTIIS

Inter poenas improprie dictas recensere debemus: I cessationem a divinis, et II poenitentias.

I. **Cessatio a divinis.**—Videnda sunt: 1.° natura; 2.° effectus; 3.° a quo et qua forma imponi possit, et 4.° quomodo tollatur.

1.° *Natura.*—Cessatio a divinis est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis et a sepultura sacra in aliquo loco. Aliter vocatur *suspensio organorum et divinae laudis.* Differt ab interdicto; nam interdictum est censura, ferri potest a jure vel ab homine, ejusque violatio per exercitium ordinis sacri irregularitatem parit; e contra cessatio a divinis non est censura, sed mera negatio divinorum officiorum, ejus violator non fit irregularis, neque fertur nisi ab homine in signum doloris et tristitiae conceptae ob gravissimam injuriam Ecclesiae aut honori divino illatam, et ad ejus reparationem. Potest, ut interdictum, esse *generalis* vel *particularis.*

2.° *Effectus.*—Tres praecipui *cessationi a divinis* tribuuntur: **a)** privatio divinorum officiorum, ita ut nec privatim missae celebrari possint, si una in hebdomada pro Eucharistiae renovatione excipiatur, nec, privatim januis clausis divina officia celebrare; tamen, consuetudine introductum est, ut illis festivitatibus, quibus tempore interdicti divina solemniter celebrari permittuntur, etiam tempore cessationis solemniter celebrentur (C. 11 *de sponsalibus*). **b)** Privatio sacramentorum; conceduntur tamen sacramenta necessaria, ut tempore interdicti (arg. c. 11 *de spons.*, c. 4 *de feriis*). **c)** Privatio sepulturae sacrae; permissa tamen haec censetur si fiat sine officio funebri.

3.° *A quo et qua forma imponi possit.*—Cessationem a divinis imponere potest quicumque habet jurisdictionem in foro externo, sed nonnisi ob aliquod gravissimum delictum notorium notorietate facti cum scandalo, servata debita forma, ut prius moneatur delinquens de satisfactione praestanda, tum ei renuenti instrumentum ces-

sationis cum causae expressione tradatur: secus *cessatio* est invalida, et eam indicens tenetur reparare omnia damna inde consequentia, sive parti laesae, sive ministris Ecclesiae (C. 8 *de officiis Ordinar.* in 6.°). Si Capitulum saeculare aut regulare, etiam sede plena, vult indicere cessationem, id fieri debet capitulariter, vocatis omnibus, sicut ad electionem; secus decretum cessationis est invalidum (Ibid.).

4.° *Quomodo tollatur.*—Tollitur: **a)** Relaxatione ejus qui eam tulit, vel qui simili potestate praeditus est. **b)** Tacite tollitur, si partes intra mensem inter se non componant; et quidem si eam indicens per se vel per procuratorem negotium hoc intra mensem non referat ad judicium Papae, statim tollitur cessatio, ne per eam Ecclesia gravetur (C. 8. de *Offic. Ordin.* in 6.°). Si vero pars, quae causam dedit cessationi Romae non compareat, per hoc non liberatur, neque cessatio tollitur, ne ex contumacia sua commodum reportet, sed ipse tenetur relaxationem cessationis petere ab eo, qui eam indixit, oblata reparatione omnium damnorum inde consequentium, uti sunt amissio distributionum et stipendiorum missarum, quae clerici ex divinis officiis acquisivissent, etc. (C. 2 et 8 *de Off. ord.* in 6.°).

II. **De poenitentiis.**—Poenitentia hic sumitur pro satisfactione condigna pro peccatis imposita et differt a poena, nam haec in invitos etiam exercetur, dum poenitentia voluntarie acceptanda est. Poenitentia alia est *publica*, quae pro peccatis manifestis (C. 1, *de Poenit. et remiss.*), alia *privata*, quae pro occultis imponitur. Rursus *publica* est duplex, *solemnis*, quae olim imponebatur ab Episcopo initio quadragesimae pro delictis toti reipublicae noxiis et scandalosis, ratione quorum poenitentes fiebant infames, ut ordinari non potuerint (C. 5, *de Priv.*; can. 64 et seq., dist. 50). et *non solemnis*, quae etiam a presbytero imponi poterat pro delictis publicis non tamen reipublicae ita noxiis, eamque peragentes non fiebant infames.

Poenitentia *solemnis* semel in vita tantum imponebatur, et conjugatis nonnisi altero conjuge consentiente; publica vero *non solemnis* toties quoties quis delinqueret imponi poterat. Illa, *canonica* etiam appellabatur, quia moderata erat quoad speciem, quantitatem, formam et gradus per sacros canones.

A saeculo IV ad V poenitentes publici, qui poenitentiam peragebant in quatuor gradus distinguebantur: 1.° *flentes*, qui in sacco et cinere publice ad januas ecclesiae sua peccata deflebant, fidelium preces impetrantes; 2.° *audientes*, qui in atrio ecclesiae inter catechumenos et infideles Scripturarum lectionem divinique verbi praedicationem audiebant, quique ad *Offertorium* e portico ejiciebantur; 3.° *substrati* seu *genuflectentes*, sic dicti quia *genuflexi* magnasque austeritates in seipsos exercentes, in parte inferiori, quamvis interna, sacrarum aedium sistebant; et 4.° *consistentes*, qui cum aliis fidelibus in ecclesia stabant, sed ad sacram synaxim et plenam fidelium communionem ante reconciliationem non admittebantur.

Hodie poenitentiis solemnibus abolitis, etiam *publicae non solemnes* in dies rariores sunt, et prudenti Praelatorum arbitrio imponendae relinquuntur, qui hac in re caute procedere debent, ut ex una parte nimio rigore animae non periclitentur, et ex altera scandalum, quantum fieri possit, condigna satisfactione vel retractatione, reparetur.

APPENDIX I.

REGULAE JURIS

A) REGULAE IN DECRETALIBUS GREGORIANIS

1. «Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur».—*Valet* in contractibus et obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus. *Fallit*: 1.° in his quae sunt juris divini; ut sacramenta, juramenta, vota: 2.° in translatione Episcoporum et absolutione censurarum.

2. «Dubia in meliorem partem interpretari debent».—*Valet* in indifferentibus, et ex genere suo permissis et in securioribus. *Fallit* in delictis et actibus ex genere suo malis.

3. «Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur».—*Valet* de veritate bonae vitae. *Fallit* quandoque in veritate justitiae vindicativae et disciplinae, seu in puniendo.

4. «Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum».—*Valet* in lege positiva, praesertim humana; *fallit* in lege naturali, et quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiae.

5. «Quod latenter aut per vim introductum est, nulla debet stabilitate subsistere».—*Fallit* in his, quae fieri prohibentur, et facta tenent.

6. «In ipso causae initio non est a quaestionibus, seu tormentis et torturis inchoandum».—*Fallit*, si reus est suspectus de fuga; tunc enim potest ab initio incarcerari, custodiae causâ.

7. «Quidquid in sacratis Deo rebus et Episcopis injuste agitur pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt et a quoquam violari non debent».

8. «Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit».—*Valet* de timore servili: *fallit* in timore filiali, aut concepto ex motivo honesto, maxime supernaturali.

9. «Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus». *Valet* respectu finis qui tam per unum, quam per plura peccata amittitur. *Fallit* respectu malitiae et poenae.

10. «Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit et pastor nescit».—Procedit de Episcopis et curatis, quorum ignorantia est plerumque supina.

11. «Indignum est, et a Romanae Ecclesiae consuetudine alienum ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur».

B) REGULAE IN SEXTO DECRETALIUM SUNT 88

1. «Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri».—*Valet* de beneficio in titulum obtento: *fallit* in beneficio obtento jure proprietatis et administrationis, et quoad ecclesiasticos proventus certâ causâ adquisitos etiam per *praescriptionem.*

2. «Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit».

3. «Sine possessione praescriptio non procedit».—*Valet* etiam in quasi-possessione».

4. «Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum».—*Valet* de omni *laesione* reparanda, saltem in proposito seu affectu, si nequeat in effectu.

5. «Peccati venia non datur, nisi correcto».—In temporalibus poena saepe dissimulatur, ad majora mala vitanda.

6. «Nemo potest ad impossibile obligari».—*Valet* sive ex natura, sive de facto tale sit.

7. «Privilegium personale personam sequitur, et exstinguitur cum persona».—Non item *reale.*

8. «Semel malus, semper praesumitur esse malus».—Est praesumptio *juris*, et factum contrarium seu conversio in bonum debet probari; si delictum non praecessit, quilibet praesumitur bonus donec contrarium probetur.

9. «Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum».—*Valet*: 1.° in delictis; 2.° in obligationibus, praejudiciis seu rebus odiosis. *Fallit*: 1.° in novo consensu confirmante; 2.° in eo ex quo jactura rei meae sequeretur, nisi ratum haberem, maxime si id aequitas suadeat.

10. «Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari».—*Valet*: 1.° in judiciis, re adhuc quasi integra; 2.° in contractibus; 3.° in maleficiis seu delictis. *Fallit* saepe: 1.° si ea sit contra jus quaesitum vel in praejudicium tertii;

2.° si mandatum per modum formae ab initio requiratur; 3.° si principalis naturâ impeditus fuit ad dandum mandatum; 4.° in rescriptis justitiae; 5.° in plerisque delictis v. gr. de falsis, de sicariis, etc., nisi haec essent pendentia et ratificans ad ea cooperaretur.

11. «Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori».—*Fallit*, si actor prosequitur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis et testamenti.

12. «In judiciis non est acceptio personarum habenda».—*Valet* de justitia sententiae: *fallit* in accidentalibus et arbitrariis.

13. «Ignorantia facti, non juris excusat».—Ignorantia *facti* non excusat: 1.° in facto notorio apud viciniam; 2.° si ignorantia sit improbabilis et culpabilis. Ignorantia *juris* excusat: 1.° personas in quibus ea toleratur, ut milites, rusticos, pueros, feminas; his nempe prodest in dispendiis seu in amittendo suum, non in lucrando; 2.° in omnibus error juris (ignorantia) in damnis amittendae rei suae non nocet.

14. «Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiae causam censetur habere».—*Valet* pro his qui conveniuntur: *fallit* pro his qui agunt.

15. «Odia restringi, et favores convenit ampliari».—*Odia* (id est, poenae, obligationes, privilegia, dispensationes), amplianda sunt, si lex aliter non sortiretur effectum. *Favores* (id est, concessiones benevolae quae nulli nocent) restringendi sunt, si incipiant esse noxii Ecclesiae, bono communi, disciplinae ecclesiasticae et regulari.

16. «Decet concessum a principe beneficium esse mansurum».—*Valet* de gratia jam facta, et uno actu consummata: *fallit*, si pendet a causa tractum successivum habente.

17. «Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum»: puta ab inferiori, bene vero a conditore juris vel a successore.

18. «Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit».—*Valet*, si res maneat in iisdem terminis, in quibus fuit ab initio.

19. «Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet».—*Fallit*, si quis prudenter et perite aliena negotia gerenda assumit.

20. «Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur».—*Fallit* si lex id impediat.

21. «Quod semel placuit, amplius displicere non potest»:

—*Valet* in judice electo, in praelato electo, in matrimonio, professione religiosa et Sacris Ordinibus, etc. *Fallit* in his, quae mutationem admittunt ex causa superveniente vel denuo cognita, et in omnibus, in quibus jus admittit poenitentiam et mutationem, ut in appellationibus, testamentis, praesentatione patroni laici, libello judiciali, mandato, societate, deposito, etc.

22. «Non debet aliquis alterius odio praegravari».—*Fallit* interdum ob atrocitatem delicti vel aliam justam causam, item, in generali censura suspensionis et interdicti innocentes praegravantur, etc.

23. «Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus».

24. «Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse».—*Valet* solum de his, in quibus judex habet potestatem.

25. «Mora sua cuilibet est nociva».—Mora non purgatur, nisi jus id permittat.

26. «Ea quae fiunt a judice, si ad ejus non spectant judicium, viribus non subsistunt».—Valent tamen jura et facta principum laicorum recepta et canonizata a jure pontificio.

27. «Scienti et consentienti non fit injuria neque dolus».—*Valet* in rebus et juribus privatis quibus cedere quis potest: *fallit* in jure publico, v. gr. in privilegiis cleri, etc.

28. «Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda».

29. «Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari».—Si tangat ut collegium, debet capituraliter ab *omnibus*, hoc est, *regulariter*, a plerisque: si ut singulos, *a singulis* approbari.

30. «In obscuris minimum est sequendum».—Id est, non apparet nec ex consuetudine aut circumstantiis colligitur, in *quantitatibus* minimum (poenae, obligationis, mensurae, etc.); sed in *speciebus* seu corporibus mediocritas spectatur.

31. «Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet».—Nisi certus ut homo, cercioretur ut judex vel ad cautelam.

32. «Non licet actori quod reo licitum non existit».—Reo quidem plura conceduntur quam actori.

33. «Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum».

34. «Generi per speciem derogatur».

35. «Plus semper in se continet quod est minus».—*Valet* in quantitatibus seu numeris, in sententia arbitrorum. *Fallit*

in generalibus quae non semper continent omnes species, in qualitatibus disparatis et in mandatis.

36. «Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere». —In hoc casu dolus repraesentat rem possessam, sed quae jam non habetur.

37. «Utile non debet per inutile vitiari».—*Valet* in his quae divisionem, descriptionem et separationem admittunt. *Fallit*, si utile et inutile sint contraria, inseparabilia, vel errorem susbtantialem contineant.

38. «Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit oppugnare».—*Fallit*, si quis ex officio suo impugnare teneatur.

39. «Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo».—*Fallit* in his, quae fieri prohibentur; sed facta tenent et eorum effectus sunt boni. Haec regula sic ampliatur: *Antiquo prohibito, omne id prohibetur per quod pervenitur ad illud.*

40. «Pluralis locutio duorum numero est contenta».— Id est, si numerus non determinatur: in odiosis restringitur ad duo.

41. «Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum erat».—*Valet* de imputatione ad poenam vel amissione juris proprii. *Fallit* in lucris et favoribus sub conditione, si per se ab hujus eventu pendeat.

42. «Accessorium naturam sequi congruit principalis».— *Fallit* ubi adest specialis ratio, ut in juramento de usurarum solutione et fundi dotalis alienatione, etc.

43. «Qui tacet, consentire videtur».—*Valet*: 1.° in meris seu plene favorabilibus sibi; 2.° in odiosis, dum *facile* potest et debet contradicere cum *effectu*. *Fallit*: 1.° in favorabilibus onus importantibus, v. gr. in sponsalibus, contractibus, electionibus, etc.; 2.° in odiosis et sibi praejudiciosis, regulariter.

44. «Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur».—Vid. reg. 43.

45. «Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit».—Supplet regulam 30, et procedit plerumque de factis prout *communiter* fiunt.

46. «Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit».—Jura personalia et realia transeunt in successorem universalem; in particularem vero solum realia rei cohaerentia, non tamen personalia, nisi id aliunde colligatur.

47. «Praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur».

—*Valet* circa contingentia, quae quis scire non tenetur: *fallit* circa jura et leges, circa notoria, publica et quae quis scire vel indagare tenetur.

48. «Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura».—*Fallit*, si jus ex justis causis locupletationem concedat.

49. «In poenis benignior est interpretatio facienda».

50. «Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem»: secus totaliter vitiantur. Procedit de actibus, quibus natura vel jure opponitur aliqua conditio vel dies seu tempus, uti emancipatio, haereditatis acceptatio, acceptilatio, etc., etiam Sacramenta (praeter matrimonium), sacramentalia, electio, postulatio, beneficii collatio, etc.

51. «Semel Deo dicatum non est ad usus hominum ulterius transferendum».—*Fallit* ratione necessitatis vel pietatis; et respectu possessionum Ecclesiae.

52. «Non praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum»: «*nam paria sunt non fieri et fieri sine effectu*». —*Fallit* ubi sufficit sola attentatio, opere non secuto.

53. «Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus». —*Valet* pro juribus et potestatibus *subordinatis*, non vero pro *disparatis*.

54. «Qui prior est tempore, potior est jure».—Quoties in utriusque causa, lucri ratio vertitur.—*Valet* in pignoribus, et aliis contractibus, in data rescriptorum.—*Fallit*, si fortior superveniat privilegiatus, et in testamentis, legibus, statutis, hic enim posteriora potiora sunt prioribus.

55. «Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra».—*Fallit* hoc ultimum, si quis privilegio eximatur ab onere

56. «In re communi potior est conditio prohibentis».— V. g. si decem habent agrum communem in quo novem volunt servitutem constituere Titio, sed decimus opponitur, hujus conditio est potior.—*Fallit*, si nullum sit praejudicium prohibentis. Vid. reg. 29.

57. «Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda».—*Valet* in legibus seu contractibus: *fallit* in lege proprie dicta.

58. «Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum».—*Fallit*, si mores sint mali tantum *civiliter*.

59. «Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem».

60. «Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri».

61. «Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendiumr etorquendum».—*Fallit*, si princeps ad instantiam petentis aliquid concedat.

62. «Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. «Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri».—Id est, si quis v. g. excipiat dicendo: «*jam solvi*» non ideo confitetur seu concedit se mutuum accepisse. *Fallit*, si jam de puncto aliquo confessus fuit.

64. «Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi».—*Valet*, si fiant contra jus expresse irritans, vel prohibens, sed quod tacite et virtualiter est irritans, v. g. dum actui praescribit formam substantialem. *Fallit*, si fiant contra jus pure prohibens, i. e. tunc valent ipso jure, et solum quoad effectum sunt nulla, nisi ex natura sua sint insolubilia, ut matrimonium, professio; pro his tenet regula: «*multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent firmitatem*».

65. «In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis».—*Valet* in delicto pro foro externo, sed in interno, attento jure naturali, urget aliquando restitutio cum fieri potest sine damno possidentis. *Fallit*, si jus resistat possidenti, et assistat petitori.

66. «Cum non stat per eum, ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta esset».

67. «Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit».—*Valet* in maleficiis: *fallit* in delegationibus honestis, nisi delegati incapacitas obstet.

68. «Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum».—*Valet* de actibus delegabilibus: *fallit* de personalibus. Item interdum *potest quis per alium, quod non potest per seipsum*, puta ex decentia, ratione personae, rei vel causae.

69. «In malis promissis fidem non expedit observari».—Bona tamen male promissa, per se possunt servari.

70. «In alternativis, debitoris est electio et sufficit alterum adimpleri».—*Fallit* quoad 1.um, si verba ad creditorem diriguntur; quoad 2.um, si ex mente disponentis servandus sit ordo.

71. «Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus».—*Fallit*, si exceptio in diversum quid tendat.

72. «Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum». Vid. reg. 68.

73. «Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari». — *Valet* in actibus perfectis et jam consummatis: *fallit* in actibus causam successivam habentibus.

74. «Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum». — Vid. reg. 15 et 28.

75. «Frusta sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat». — Nam *frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

76. «Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare».

77. «Rationi congruit ut succedat in onere, qui substituitur in honere». — *Valet*, si onus sit reale honori adnexum: *fallit*, si sit personale honori non adnexum.

78. «In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa».

79. «Nemo potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur». — Valet quoad ea jura quae rem tangunt: *fallit* quoad alia aliunde pendentia.

80. «In toto partem non est dubium contineri».

81. «In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus». — Id est: sub genere commissionis seu delegationis non veniunt species speciali mentione dignae.

82. «Qui contra jura mercatur, bonam fidem praesumittur non habere».

83. «Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur». — *Valet* praecipue in concursu plurium actionum, quarum unâ jam res consequitur.

84. «Cum quid una via prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti». — *Valet* cum quid alicui simpliciter et in se prohibetur. *Fallit*, si tantum certus modus prohibeatur.

85. «Contractus, ex conventione legem accipere dignoscuntur». Nomine legis venit *ex privata* seu pactum contractui appositum praeter jus commune quidem, sed non contra bonos mores.

86. «Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare».

87. «Infamibus portae non pateant dignitatum». — *Valet* ob infamiam juris, perpetuo; sed ob infamiam facti, ad tempus, seu donec corrigatur.

88. «Certum est quod is committat in legem, qui legis

verba complectens, contra legis nititur voluntatem». Id est: qui legem secundum litteram observat, sed contra legislatoris voluntatem.

N. B. *Suprascriptas regulas paulo aliter quandoque notatas invenies quia ex Pandectis sunt forte desumptae.*

APPENDIX II.

CLAUSULAE USITATIORES IN JURE

A) CLAUSULAE APOSTOLICAE

(Ex Ferraris, *Prompt. Bibl. v. «Clausulae»).—Motu proprio et certa scientia et de plenitudine potestatis* tollit omnem subreptionem, non tamen in praejudicium tertii nec contra jus tertii firmat privilegium. Praeterea non tollit obstacula cohaerentia personae nec supplet personales defectus, ut irregularitatem, defectum aetatis legitimae. Aliquando huic clausulae additur haec alia, nempe *supplentes omnes et singulos tam juris quam facti defectus*: sed etiam simul sumptae hae duae clausulae non supplent defectus juris naturalis vel divini, sed tantum defectus expressos juris positivi. Immo etiam haec ultima clausula non tollit defectus cohaerentes personae impetrantis, sed tantum concernentes juris solemnia.—*Appellatione remota*, etc., non obstante particula generali *omni et quacumque*, non valet quando sententia est notorie injusta, nec contra tertium qui non litigabit, sed tantum contra litigantes. Immo hàc clausulà non censetur ablata restitutio in integrum, nec causae conditio aut processus ordinarius usque in finalem sententiam. Quare praecipuus effectus hujus clausulae est, quod in appellatione sit inserenda causa qua justificetur appellatio et probanda ab appellante.—*Ut asseris, ut asseritur.* Prima in hoc differt a secunda, quod illa censetur narrativa partis, et propterea supplicans tenetur verificare asserta ut gratia non sit subreptitia: altera vero non indiget justificatione quia non est narrativa partis, sed Pontificis.— *Ex nunc prout ex tunc*; haec clausula est retroactiva ad tempus datae, et operatur ut rescriptum retrotrahatur, veluti si actus a prin-

cipio pure factus esset. Adverte quod relata ad futurum infert actus ad tempus ad quod refertur, et facit, ut actus tunc valeat, ut nunc valeret. Cum a Papa ponitur in beneficio vacante non suspendit gratiam, contra tamen in vacaturo, et non operatur in praejudicium tertii. Si ponitur in reservatione pensionis ad favorem alicujus, qui nondum sit clericus, clausula *ex nunc prout ex tunc*, vel *ex tunc prout ex nunc*, eumdem effectum habet, et illi tribuit tantum spem pensionem exigendi, quum sit habilis.—*Si et in quantum* ponitur in decretis judicialibus, in admissione ad beneficia patronata, etc., ponit conditionem et facit actum valere tantum quantum de jure valere potest.—*Gratis ubique*, etc., solet poni in dispensationibus emanantibus a Curia, sed non derogat consuetudini legitimae praescriptae, quae in pluribus Episcopatibus viget aliquid accipiendi pro examine testium.—*Omni meliori modo* facit ut actus valeat quomodo valere potest, sed non extendit dispositionem nec valere potest circa non expressa, nisi forte adsit clausula *omni et alio meliori modo.—Anteferri*: haec clausula liberat gratiam a vitio subreptionis; facit de posteriori priorem; per eam tolluntur omnes reservationes et expectativae tam generales quam speciales; non tollit tamen jus in re, non retrotrahitur in praejudicium juris quaesiti ad rem, demum nihil operatur nisi is, in cujus favorem concessa est, voluerit anteferri. —*Arbitrio tuo vel judicio tuo* important arbitrium boni viri, quod est intelligendum quod faceret ita ac vellet fieri in rebus suis, et arbitrium regulari debet juxta juris dispositionem. Sed aliquando important etiam liberam voluntatem. Exsequutor cum hac clausula potest extrajudicialiter procedere.—*Conscientiae tuae committimus, oneramus*, etc., *discretioni tuae*, et cetera; quum ponitur haec clausula, delegatus non potest subdelegare, nam Pontifex censetur respexisse personae qualitates; judex debet judicare juxta allegata et probata atque juxta juris decreta; potest procedere extrajudicialiter in rescriptis gratiae. Demum ab illo datur appellatio devolutiva et suspensiva, quando agitur de gravi praejudicio.—*Prout juris et de jure*, est conditionalis, ac omnia quae praecedunt secundum jus sunt regulanda.—*Non obstantibus*, etc., tollit ea omnia quae gratiae exitui obstant, etiam privilegia clausa, vel non in corpore juris. Sed non tollit statuta particularia, non operatur in praejudicium tertii, non aufert obstacula personalia, nec dispositiones firmatas consensu partium, non derogat regulis Cancellariae nec Conciliis generalibus. Adverte tamen quod,

si gratia sit irrita, invalidatur etiam clausula, et quod per eam non inducitur dispensatio.—*Circa vel circiter*, si agitur de aetate, intelligitur de quinque vel sex mensibus et generatim de modico tempore; si agitur de coadjutoria sumitur pro semestri; idem intelligitur de resignationibus. (Qui plura de clausulis apostolicis cupit, videat Ferraris, *loco cit.;* Barbosa, *Tract. de clausulis usu frequent., etc.*).

B) PRAECIPUAE FORMULAE, QUAE IN RESPONSIONIBUS SS. CONGREGATIONUM APPONUNTUR, ET CLAUSULAE USITATIORES S. POENITENTIARIAE

Clausulae, quae apponuntur in responsionibus SS. Congr. et explicationem merentur, sunt praesertim sequentes: *Dilata*, id est, responsio differtur; *Dilata ad proximam infallanter*, id est, eadem causa proponenda est in proxima Congr. generali, quin concedatur ulterior dilatio; *Dilata post Aquas*; nempe, post autumnales ferias; vel *post Reges*, nempe, post Epiphaniam; aut *post Agnos*, scilicet, post Pascha; aut *post Ignem*, nempe, post Pentecosten; *et amplius*, quod apponitur generatim affirmative vel negative, id est, *affirmative et amplius*, *etc.*, et significat rem satis superque discussam fuisse, eo modo quaesitis respondendum, et causam amplius non esse proponendam; *in decretis vel in decisis* respondunt SS. Congregationes ad repropositionem alicujus causae, quando indicant standum esse priori sententiae; *lectum* significat quaesitum propositum nulla esse responsione dignum; *providebitur in casibus particularibus* dicit S. Congregationem nolle dare generalem responsionem; *reponatur*, id est, nulla data responsione, petitio reponenda est in archivo S. Congregationis; *reproponatur cum iisdem*, indicat Cardinales velle causam maturius examinare et interim decisioni supersedere, quin tamen nulla addantur *juris* aut *facti* momenta; *ad Judices suos*, vel *ad Ordinarium qui utatur jure suo*, aut *spectare ad Episcopum*, etc., indicat S. C. non visuram antequam in prima vel secunda instantia edatur sententia: *dentur decreta*, vel *detur responsum*, etc., indicat controversiam jam fuisse definitam per decreta apposita, a S. Congr. edita. *Dimittatur* est clausula qua utitur S. C. Indicis, et hoc tantum significat opus, quod dimittitur, non prohiberi. S. C. Ind. 28 jun. 1880. In rescriptis clausula *motu propio* tollit vitium subreptionis; non autem, verius, obreptionis.

Praecipuae clausulae, quas S. Poenitentiaria suis gratiis apponit, sunt sequentes: «*injuncta ei gravi poenitentia*», quae clausula intelligenda est juxta vires poenitentis; «*in foro conscientiae tantum*», id est non valitura in foro externo: «*in utroque foro absolvas*» et tunc sufficit una tantum absolutio in foro externo impertienda, quae valet etiam pro interno (S. Poen. 27 Apr. 1886); «*si ita est*» id est, si est vera causa finalis, sed ad hoc standum est attestationi poenitentis, nec ei deferendum est juramentum de veritate causae allegatae, «*audita prius sacramentali confessione*», vel «*in actu sacramentalis confessionis tantum*», ex his clausulis necessaria fit sacramentalis confessio facienda ipsi exsequutori, et sufficit absolutio sacrilege suscepta, ut S. Poenitentiaria pluries declaravit: immo, si confessarius poenitentem indispositum ex confessione cognoscat et urgens aliqua necessitas sit dispensationem concedendi, potest etiam absolutionem suspendere et dispensationem concedere. S. Poenit. 19 Maji 1834.

APPENDIX III.

PROVISIÓN DE PIEZAS ECLESIÁSTICAS

Decreto de 20 de Abril de 1903

Precedido de un breve preámbulo publicó la Gaceta un real decreto del ministerio de Gracia y Justicia, cuya parte dispositiva dice así:

«Artículo 1.° Las dignidades correspondientes á las iglesias catedrales y colegiales, y las canongías y beneficios de gracia no reservados á la oposición por el real decreto concordado de 6 de Diciembre de 1888, se conferirán necesariamente, así en el turno de la Corona como en el de los prelados y en el de éstos con sus Cabildos, á personas que reúnan, además de las condiciones exigidas por los Sagrados Cánones, las determinadas para cada cargo por el presente decreto.

Art. 2.° Para la mejor inteligencia de lo dispuesto, se clasifican los cargos del clero catedral y colegial en las siguientes categorías:—1.ª Deanes de iglesia metropolitana.—2.ª Deanes de iglesia sufragánea.—3.ª Dignidades de me-

tropolitana, canónigos de oficio de ídem, capellanes mayores de Reyes y de Muzárabes de Toledo, de Reyes Católicos de Granada y de San Fernando de Sevilla, deanes de catedral que ha de reducirse á colegiata y abades de iglesia colegial, rector de la iglesia de San Francisco el Grande de Madrid, después de cuatro años de servicios en el cargo.—4.ª Canónigos de metropolitana, dignidades de sufragánea, canónigos de oficio de ídem, capellanes primeros de San Francisco el Grande de Madrid, después de cuatro años de servicios en el cargo.—5.ª Canónigos de sufragánea, capellanes reales, capellanes de honor de la real capilla, rector de la iglesia de Santiago y Montserrat de Roma, rector del real monasterio de la Encarnación de Madrid, canónigos de la iglesia magistral del Sacro Monte de Granada, secretarios cancelarios, tendrán esta categoría después de cuatro años de servicios en el cargo: los provisores, vicarios generales, los secretarios de cámara, los fiscales eclesiásticos, los rectores de Seminario; después de cinco: los catedráticos de Seminario ó de Universidad.—6.ª Canónigos de oficio y de gracia de catedral que ha de reducirse á colegiata ó de iglesia colegial, beneficiados de metropolitana, párrocos muzárabes de Toledo; tendrán esta categoría después de dos años de servicios en el cargo: los provisores, vicarios generales, los secretarios de cámara, los fiscales eclesiásticos, los rectores de Seminario, los capellanes segundos de San Francisco el Grande de Madrid; después de tres: los catedráticos de Seminario ó de Universidad.—7.ª Beneficiados de sufragánea, capellanes del real monasterio de la Encarnación de Madrid, capellanes de altar y de música de la real capilla, beneficiados muzárabes de Toledo, capellanes de la real iglesia de Santiago y Montserrat de Roma; se incluyen en esta categoría después de cuatro años de servicios en el cargo: capellanes sacristanes de la real capilla, capellanes ayuda de oratorio de ídem.—8.ª Beneficiados de catedral que ha de reducirse á colegiata ó de iglesia colegial.

Art. 3.º Puede obtener el único cargo que comprende la primera categoría: El que haya desempeñado el de la segunda durante dos años, ó cualquiera de los cargos de la tercera por espacio de cuatro años.—El que cuente ocho años de servicios en la cuarta categoría, ó seis si ingresó en ella en virtud de oposición.

Art. 4.º Para ser nombrado en la segunda categoría se necesita haber desempeñado cualquiera de los cargos de la

tercera durante tres años, ó dos si la adquirieron por oposición.—Contar seis años de servicios en la cuarta categoría, ó cuatro los que la hayan adquirido por oposición.—Ser canónigo de sufragánea con ocho años de servicios en este cargo, ó de oposición con seis.

Art. 5.° Podrán obtener dignidad de metropolitana: Todos los que, sin serlo, estén comprendidos en la tercera categoría. El que haya desempeñado durante tres años cualquiera de los cargos comprendidos en la cuarta categoría, ó durante dos si la hubiera obtenido por oposición. El que se halle comprendido en la quinta categoría con seis años de servicios en la misma, ó con cuatro si la hubieren adquirido por oposición. Los párrocos de término con diez años de servicios en esta categoría después de haber servido curatos de ascenso, ó con doce si hubieren ingresado por aquélla en virtud de concurso general.

Art. 6.° Las capellanías de Reyes Católicos de Granada, San Fernando de Sevilla y de Reyes y Muzárabes de Toledo, serán provistas en los casos en que, con arreglo al Concordato, den lugar á turno, en la forma siguiente: las tres primeras, en el canónigo de oficio más antiguo de la respectiva iglesia, y la de Muzárabes en el más antiguo de oposición. En los demás casos se otorgarán á persona que reuna condiciones para ser nombrada dignidad de la iglesia metropolitana.

Art. 7.° Para ser nombrado deán de catedral que ha de reducirse á colegiata, será preciso estar comprendido en la cuarta categoría, con cuatro años de servicios en el cargo, ó con dos si hubieren ingresado en ella por oposición.—Hallarse comprendido en la quinta categoría, con cinco años de servicios en la misma, ó con cuatro los que la hubieren obtenido por oposición.—Contar ocho años de canónigo de catedral que ha de reducirse á colegiata ó de iglesia colegial.—O ser párroco de término, con las condiciones que se les exigen en el art. 5.°

Art. 8.° Puede ser nombrado canónigo de iglesia metropolitana el que obtenga cualquiera de los otros cargos de la cuarta categoría.—Los que desempeñen durante seis años cualquiera de los cargos de la quinta categoría, ó durante cuatro si la hubieren adquirido por oposición.—Los comprendidos en la sexta categoría con ocho años de servicios en la misma, ó con seis si la hubieren adquirido por oposición.—Los párrocos de término con ocho años de servicios en esta

categoría, habiendo servido antes curatos de ascenso, ó con diez si hubieren ingresado en aquélla en virtud de concurso general.

Art. 9.° Las dignidades de iglesia sufragánea recaerán necesariamente: En los que desempeñen cualquiera de los cargos que, á más de éste, constituyen la cuarta categoría. En todos los demás que se designan en el artículo anterior y con las mismas condiciones.

Art. 10. Además de las condiciones exigidas en los artículos precedentes, para ser nombrado dignidad de iglesia metropolitana ó sufragánea, ó deán de catedral que ha de reducirse á colegiata, será requisito indispensable tener grado mayor en Teología, Cánones ó Derecho.

Art. 11. Pueden obtener canongía de iglesia sufragánea: Los que desempeñen cualquiera de los otros cargos que, con éste, forman la quinta categoría.—Los comprendidos en la sexta, después de cuatro años de servicios en el cargo, ó de tres si hubieren ingresado en la categoría por oposición.—Los comprendidos en la séptima categoría, con seis años de servicios en el cargo, ó con cinco si lo hubieren obtenido por oposición.—Los párrocos de término con tres años de servicios en el cargo, ecónomos con cinco, coadjutores con seis. —Los párrocos de ascenso con cuatro años de servicios en el cargo, ecónomos con seis, coadjutores con ocho.—Los párrocos de entrada con seis años de servicios en el cargo, ecónomos con ocho.—Los coadjutores *in capite* tendrán los mismos derechos que los ecónomos en su categoría respectiva.—Los capellanes castrenses que hayan obtenido sus cargos por concurso serán considerados como párrocos en sus categorías respectivas.

Art. 12. Pueden ser nombrados capellán real de Reyes de Toledo, de San Fernando de Sevilla ó de Reyes Católicos de Granada, los que obtienen cualquiera de los otros cargos que forman con éste la quinta categoría y sus asimilados. Todos los demás que se designan en el artículo anterior y con las mismas condiciones.

Art. 13. Para ser nombrado canónigo de catedral que ha de reducirse á colegiata ó de iglesia colegial, se necesita tener algunas de las condiciones siguientes: Estar incluído en la sexta categoría.—Estar comprendido en la séptima con tres años de servicios, ó con dos si se hubiera obtenido el cargo por oposición.—Estar comprendido en la octava categoría

con cuatro años de servicios en el cargo, ó con tres si la hubieran obtenido por oposición.—Ser catedrático de Seminario, Instituto, Escuela Normal ó Colegio militar con tres años de servicios en el cargo.—Vicesecretario de cámara con tres años de servicios.—Familiar del Prelado con seis.—Capellán de Monasterio, Hospital, Casa de Beneficencia, Penitenciaría ú otros Institutos análogos, habiendo desempeñado su cargo durante ocho años.—Párroco de ascenso con tres años de servicios en el cargo, ecónomo con cinco, coadjutor con seis.—Párroco de entrada con cuatro años de servicios en el cargo, ecónomo con seis.—Párroco rural con ocho años de servicios en el cargo.

Art. 14. Para obtener beneficio de iglesia metropolitana se requiere desempeñar otro de los cargos de la sexta categoría.—O desempeñar algunos de los cargos á que se refiere el artículo anterior, y en las mismas condiciones.

Art. 15. Pueden ser nombrados beneficiados de iglesia sufragánea los que desempeñan cualquiera de los cargos que forman la séptima categoría.—Los comprendidos en la octava con tres años de servicios en el cargo, ó con dos si lo hubieren obtenido por oposición.—Los párrocos de ascenso con dos años de servicios en el cargo, los ecónomos con tres, los coadjutores con cuatro.—Los párrocos de entrada ó rurales con cuatro años de servicios en el cargo.—Los catedráticos de Seminario, Instituto, Escuela Normal ó Colegio militar con dos.—Los vicesecretarios de cámara con dos.—Los familiares del Prelado con cuatro.—Los capellanes de Monasterio, Hospital, Casa de Beneficencia, Penitenciaría ú otros Institutos análogos con seis años de servicios en el cargo.

Art. 16. Los nombramientos de beneficiados de gracia de catedral que ha de reducirse á colegiata, ó de iglesia colegial, recaerán en párrocos de entrada ó rurales, ecónomos ó coadjutores eclesiásticos que á ello sean acreedores, á juicio de la Corona ó de los Prelados, ó en alumnos de Seminario que hayan terminado con lucimiento su carrera.

Art. 17. Al que tuviere grado mayor en Teología, Cánones ó Derecho se les abonará, por todos los que tenga, un año en el tiempo de servicios prescrito para ingresar ó ascender en cada categoría, exceptuando los cargos que exigen indispensablemente dicho requisito.—De igual beneficio, y en las mismas condiciones, disfrutarán los que hayan sido aprobados en concurso á canongía de oficio ó de oposición.

Art. 18. El que, al ingresar ó ascender en el clero catedral ó colegial lo haga en categoría inferior á aquella á que pudiese optar, se entiende que en este caso renuncia á las categorías superiores y se somete para los ascensos sucesivos á las condiciones exigidas á aquella en que ingrese ó ascienda.

Art. 19. Cuando algún beneficiado de oficio se inutilizare por imposibilidad física para el desempeño del cargo, será nombrado beneficiado de gracia en la primera vacante de turno que ocurra en la misma iglesia, sea cualquiera la forma en que deba proveerse, después de haber sido justificada legalmente la referida imposibilidad en expediente instruído en la respectiva diócesis y elevado para su aprobación al ministerio de Gracia y Justicia.—La instrucción de estos expedientes se ajustará á lo dispuesto por la real orden de 2 de Enero de 1893.

Art. 20. En atención á las condiciones especiales de las islas Canarias, los beneficiados y prebendados de aquellas iglesias podrán optar al ascenso en las de la Península y Baleares con un año menos de servicio de los que se exigen para cada categoría.

Art. 21. Cuando algún aspirante á dignidad, canongía ó beneficio haya prestado sucesivamente diferentes servicios de los que dan aptitud para dichos cargos, pero sin haber completado en ninguno el tiempo fijado para cada cargo, se acumularán estos servicios, siempre que sean de los exigidos para cada categoría, y podrá ser nombrado en la que le corresponda cuando excedan en un año, por lo menos, al período mayor de tiempo que se exija en uno solo de los que alega.

Art. 22. Cuando algún eclesiástico haya prestado servicios extraordinarios á su Su Santidad, á la Corona ó á la Iglesia, se haya distinguido con ocasión de calamidades públicas, ó sea autor de una obra científica de reconocido mérito, podrá su Prelado instruir expediente justificativo de tales servicios, que será elevado al ministerio de Gracia y Justicia para que, de acuerdo con el muy Reverendo Nuncio Apostólico, se designe el cargo á que puede aspirar.—En ningún caso se tramitarán expedientes de méritos para mejorar la categoría que se tenga en el clero catedral cuando los que se aleguen hayan sido contraídos antes de ingresar en aquélla.

Art. 23. No se dará curso en el ministerio de Gracia y Justicia á ninguna solicitud de canongía ó beneficio que no vaya acompañada de las testimoniales del aspirante, expedidas

en forma por su Prelado, y no anteriores en más de dos meses á la fecha de la vacante.

Art. 24. De toda vacante de prebenda ó beneficio, dará inmediatamente cuenta el Prelado de la diócesis respectiva al ministerio de Gracia y Justicia, manifestando el turno á que, según su juicio, corresponda la provisión y la forma en que crea también que deba verificarse.

Art. 25. Las disposiciones de este decreto no son aplicables á las prebendas reservadas á Su Santidad por el Concordato.

Art. 26. Los nombramientos de prebendados y beneficiados de gracia de la iglesia prioral de las Ordenes militares continuarán haciéndose en la forma en que hoy se verifican, si bien con sujeción á las condiciones fijadas en este decreto.

Art. 27. Se exceptúan en sus disposiciones las colegiatas de Santa María de Roncesvalles y de San Isidoro de León, así como las iglesias magistrales del Sacro Monte de Granada y de Alcalá de Henares, todas las que se rigen por su respectiva legislación especial.

Art. 28. Las dudas que puedan suscitarse en la ejecución de este decreto y las omisiones que en él se notaren se resolverán ó suplirán de común acuerdo por el ministerio de Gracia y Justicia y el muy Reverendo Nuncio de Su Santidad.

Art. 29. Queda derogado el real decreto concordado de 26 de Noviembre de 1891, y todas las disposiciones que se opongan al presente.

APPENDIX IV.

DECRETA GENERALIA DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

TIT. I.—De prohibitione librorum

CAP. I.—*De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut concilia oecumenica damnarunt, et qui novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim

damnati fuerunt; iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum et quorumcumque scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAP. II.—*De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones sacrorum bibliorum, sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAP. III.—*De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7. Cum experimento manifestum sit, si sacra biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum ad notationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes sacrorum blibliorum quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, quum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur. Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAP. IV.—*De libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, quum non solum fidei, sed et morum, qui ejusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum, sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAP. V.—*De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis aut Catholicae Ecclesiae ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium vel divortium licite statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAP. VI.—*De sacris imaginibus et indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a

Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc. in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAP. VII.—*De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

CAP. VIII.—*De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

CAP. IX.—*De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent,

tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimine subjectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Cap. X.—*De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedis denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

Tit. II.—De censura librorum

Cap. I.—*De Praelatis librorum censurae praepositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones

et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta Sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, Sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAP. II.—*De censorum officio in praevio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praejudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciat. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant.

Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAP. III.—*De libris praeviae censurae subjiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subjicere libros qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas rescipiunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestati specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tranctant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Idem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAP. IV.—*De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendat nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti.

CAP. V.—*De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coërceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cujusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in judicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate vel pretextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostra voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.—A. CARD. MACCHI.—A. PANICI, *Subdatarius.*—Visa: *De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.*

APPENDIX V.

FACULTATES

quae per Sacras Congregationes Romanas et Regularium Superiores

OBTINERI POSSUNT

FACULTATES

quae cum Episcopi commendatitia obtineri possunt

1. Altaris portatilis erigendi ante Imagines Beatorum. libellae 12. 50.

2. Abluendi linteamina sacra pro Sanctimonialibus. lib. 16. 50.

3. Benedictionem Solemnem aquae peragendi in Vigilia Epiphaniae. lib. 12. 50.

4. Benedicendi nolas non exclusa aqua. lib. 12. 50.

5. Benedicendi, seu reconciliandi Ecclesias consecratas et Coemeteria per Sacerdotem cum aqua a Sacerdote benedicta. lib. 16 50.

6. Benedictiones Episcopo reservatas, in quibus sacra non adhibetur unctio, subdelegandi in favorem Episcopi. lib. 16. 50.

7. Consecrationem calicum, patenarum subdelegandi in favorem Episcopi. lib. 16. 50.

8. Consecrationem Altarium per formulam brevem privatim perficiendi. lib. 16. 50.

9. Comam adscititiam gerendi. lib. 16. 50.

10. Dispensandi a recitanda IX Lectione Officii simplificati favore Monialibus. lib. 16. 50.

11. Festa peculiaria extendendi ad Dioeceses et Ecclesias. lib. 12. 50.

12. Festorum ritus elevandi ad Dupl. min.

13. Festorum ritus reducendi a duplici minori ad inferiorem ritum.

14. Indumentorum usum ex lana vel gossypio confectorum permittendi, donec consumentur. lib. 12. 50.

15. Missam de Requie pluries in hebdomada pro Ecclesiis cum cantu. lib. 16. 50.

16. Missam cantatam absque Ministris cum thurificatione. lib. 16. 50.

17. Officii Divini commutandi et dispensandi. lib. 12. 50.
18. Oleum sanctum adhibendi ab anno benedictum. lib. 12. 50.
19. Oratorium privatum erigendi tum domi tum ruri pro sacerdotibus infirmis. lib. 16. 50.
20. Oratoria privata erigendi in Coemeteriis tum ad familias tum ad Communitates spectantia. lib. 16. 50.
21. SSmum. Eucharistiae Sacramentum reservandi sub consuetis clausulis in Ecclesiis non Parochialibus. lib. 12. 50.
22. Id. in Oratoriis publicis et semipublicis. lib. 16. 50.
23. Altarium consecrationem subdelegandi favore Episcopi. lib. 12. 50.
24. Basilicae minoris titulum concedendi.
25. Benedicendi novum Abbatem die feriali.
26. Consecrationem altarium fixorum et petrae arae subdelegandi favore Episcopi. lib. 12. 50
27. Consecrandi Ecclesiam sub aliquibus conditionibus.
28. Dedicationis Anniversarium una eademque die ab omnibus Ecclesiis alicujus Dioeceseos, Ordinis, Congregationis, etc., celebrandi.
29. Dispensandi a Missa feriae, vigiliae, etc., pro Capitulo.
30. Dispensandi a jejunio ante consecrationem Ecclesiarum. lib. 12. 50.
31. Festa Beatorum extendendi ab Dioeceses et Ecclesias.
32. Festorum ritus elevandi ad Duplex majus, 2^{ae} et 1as classis.
33. Festorum ritus reducendi a dupl. maj., 2^{ae} et 1.^{ae} classis ad inferiorem ritum.
34. Insigna specialia Episcopis, Canonicis, Parochis, dignitatibus, etc., indulgendi, et throni usum Episcopo coadjutori,
35. Kalendaria particularia concedendi, reformandi, etc.
36. Missas proprias concedendi et adprobandi, juxta praxim
37. Officii feriae in aliud commutandi.
38. Officia concedendi, extendendi, vel supprimendi.
39. Patroni eligendi et approbandi, etiam pro aliquo coetu vel universitate.
40. Purificationis B. M. V. festum transferendi cum benedictione candelarum.
41. Pontificalium usum concedendi Canonicis, etc.
42. Ritus et Caeremonias itemque Libros Liturgicos juxta praxim adprobandi.
43. Rocheto utendi pro Episcopo Regulari.

44. Vesperas, sine vel cum Completorio, anticipandi ante meridiem in choro.

45. Erigendi Oratorium privatum more nobilium. lib. 115.

46. Indulgentiam plenariam lucrandi occasione alicujus extraordinariae solemnitatis in aliqua Ecclesia celebranda.

47. Dispensationum matrimonialium.

48. Secularizationis aut ejusdem prorogationis favore religiosorum.

49. Missarum reductionis aut absolutionis.

50. Aetatis dispensationis favore ordinandi ad presbyteratum.

51. A sacro patrimonio dispensationis.

52. A votis dispensationis.

53. Alicujus Sancti festum posticipandi aut transferendi.

54. Absolutionis aut reductionis piorum legatorum vel aliorum onerum.

55. A concursu beneficiorum dispensationis.

56. Missionarii Apostolici tituli. lib. 15.

57. Titulorum Nobiliarium.

58. Titulorum atque insignium ecclesiasticorum.

59. Tituli Archiconfraternitae pro aliqua confraternita.

60. Binandi diebus festivis.

61. Residentiae dispensationis.

62. Adprobatas Benedictionum formulas adhibendi, quae indigent facultate Apostolica. lib. 12. 50.

FACULTATES

quae sine Ordinarii commendatitia obtineri possunt.

63. Benedicendi speciatim candelas S. Joseph. lib. 12. 50.

64. Benedicendi cingula S. Joseph. lib. 12. 50.

65. Benedicendi annulos S. Joseph. lib. 12. 50.

66. Benedicendi coronas angelicas S. Michaelis. lib. 12. 50.

67. Benedicendi aquam in honorem S. Ignatii Conf. lib. 12. 50.

68. Benedicendi numismata S. Benedicti Abb. lib. 12. 50.

69. Benedicendi lilia in honorem S. Antonii Patavini. lib. 12. 50.

70. Benedicendi quatuor scapularia sub unicaformula. lib. 12. 50.

71. Benedicendi parvam imaginem, ad instar scapularis S. Cordis Jesu. lib. 12. 50.

72. Detegendi Imagines Mariae Virginis tempore Passionis. lib. 12. 50.

73. Benedicendi sacras supellectiles, in quibus sacra unctio non adhibetur. lib. 12. 50.

74. Benedictionem impertiendi infirmis in honorem S. Annae. lib. 12. 50.

75. Consecrandi Olea sancta, minori Ministrorum numero. lib. 12. 50.

76. Dispensandi Ecclesiasticam Communitatem ab adjunctis Officio feriali, nempe a Psalmis Poenitentialibus et Gradualibus, nec non Officio parvo B. M. Virginis et Defunctorum. lib. 16. 50.

77. Functiones hebdomadae majoris peragendi in Oratorio Sanctimonialium, Religiosorum, etc. lib. 12. 50.

78. Functiones supradictas et similes celebrandi abhibito Memoriali Benedicti XIII in Ecclesiis et Oratoriis praesertim Sanctimonialium, Religiosorum, etc. lib. 12. 50.

79. Detegendi S. Joseph Imagines tempore Passionis. lib. 12. 50.

80. Privatam Matutini recitationem anticipandi. lib. 12. 50.

81. Tres missas celebrandi nocte Nativitatis Domini, et ad Sacram Sinaxim admittendi in Oratorio privato. lib. 12. 50.

82. Missas votivas omnes celebrandi pro caecutiente lib. 5.

83. Missas proprias celebrandi in Triduo alicujus Sancti. lib. 12. 50.

84. Missas proprias celebrandi in aliqua die, praesertim pro sacerdote novensili. lib. 12. 50.

85. Missam propriam celebrandi in Oratorio etiam privato. lib. 12. 50.

86. Missas aliquas celebrandi in Oratorio privato (ter in anno). lib. 12. 50.

87. Missas celebrandi in Oratorio privato die Titularis. lib. 12. 50.

88. Missas in Oratorio priv. occasione infirmitate Indultariorum. lib. 12. 50.

89. Missam in Oratorio aut in Ecclesia una hora ante auroram et post meridiem. lib. 12. 50.

90. Missam Feria V in Coena Domini pro Sacerdote et ad Sacram Sinaxim admittendi in Oratorio privato. lib. 12. 50.

91. Missam celebrandi ab alio Sacerdote in proprio Ora-

torio privato pro indultario impedito (pro sacerdote infirmo). lib. 12. 50.

92. Satisfaciendi praecepto festivo in Oratorio privato pro cohabitantibus. lib. 12. 50.

93. Satisfaciendi praecepto festivo in Oratorio privato pro Consanguinibus et affinibus. lib. 12. 50.

94. SSmum Sacramentum distribuendi in Oratorio privato, excepto Paschate. lib. 12. 50.

95. Missas in Orat. privato occasione Indultariorum onomastici. lib. 12. 50.

96. Satisfaciendi praecepto in Oratorio privato pro colonis. lib. 12. 50.

97. Satisfaciendi praecepto in Oratorio privato pro hospitibus. lib. 12. 50.

98. Missas in Oratorio privato die secunda mensis Novembris. lib. 11. 50.

99. Missam alteram in Oratorio privato post Synaxim. lib. 12. 50.

100. Missam alteram in Oratorio privato pro Sacerdote hospite. lib. 12. 50.

101. Missam celebrandi indultariis absentibus. lib. 12. 50.

102. Extensionis indulti Oratorii privati extra dioecesim. lib. 16. 50.

103. Extensionis indulti Oratorii privati pro filiis. lib. 13. 50.

104. Missam celebrandi in Oratorio privato diebus solemnioribus. lib. 12. 50.

105. Missam celebrandi in Oratorio privato diebus Solemnissimis. lib. 13. 50.

106. Vias Crucis erigendi in Oratorio privato. lib. 8. 50.

107. Altaris privilegiati ad septennium in Ecclesia aut Oratorio publico. lib. 15.

108. Altaris privilegiati in perpetuum. lib. 30.

109. Indulti personalis altaris privilegiati. lib. 10.

110. Benedicendi cruces, coronas, sacra numismata. lib. 10.

111. Concedendi benedictionem apostolicam in fine concionum. lib. 13.

112. Impertiendi fidelibus in articulo mortis absolutionem cum indulgentia plenaria. lib. 10.

113. Indulgentiae Portiunculae S. Francisci pro Ecclesia vel sacello publico. lib. 14.

114. Benedictionis papalis et indulgentia plenaria pro se suisque usque ad tertiam generationem. lib. 4. 50.

115. Missam celebrandi in navibus. lib. 12. 50.

116. Detegendi determinatam imaginem tempore Passionis. lib. 12. 50.

117. Missam Votivam B. M. V. vel alicujus Sancti, etc., Sanctuariis pro Sacerdotibus peregrinis. lib.

118. Missam Votivam Passionis in Hebdomada Majori. lib. 16. 50.

119. Missam de Requie lectam habita notitia mortis. lib. 12. 50.

120. Missam solemnem necnon Missas proprias legendi occasione festivitatis extrinsecae alicujus Sancti, vel Beati, vel Misterii juxta praxim. lib. 12. 50.

121. Missam solemnem de Communi ubi asservatur Corpus alicujus Sancti Martyris nominis proprii. lib. 12. 50.

122. Missas lectas celebrandi de Communi, ut supra. lib. 12. 50.

123. Offici recitationem anticipandi etiam in choro. lib. 12. 50.

124. Officium transferendi. lib. 12. 50.

125. Paramenta caerulei coloris permittendi in Missa de Festo aut votiva Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis pro regno Hispanico et regionis nunc vel olim eidem subjectis. lib. 12. 50.

126. Tres Missas celebrandi in Hispania et Lusitania die secunda Novembris. lib. 12.50.

127. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi cum dispensatione a quotidiana Missae celebratione, juxta praxim. lib. 12. 50.

128. SSmum Sacramentum infirmis deferendi, capite tecto galero, vel pileo, vel pileolo, extra civitatem. lib. 12. 50.

129. SSmum Sacramentum exponendi in forma XL Horarum, cum dispensatione ab horis nocturnis. lib.

130. Altare portatile erigendi sub dio. lib. 12. 50.

131. Altarium consecratorum titulum mutandi. lib. 16. 50.

132. Altarium consecratorum mutandi etiam imagines lib. 16. 50.

133. Absolutionem exequialem impertiendi post missam lectam. lib. 12. 50.

134. Benedictionum formulas proprias adprobandi. lib. 12. 50.

135. Benedictionem solemnem apostolicam impertiendi. lib. 12. 50.

136. Benedictionem solemnem impertiendi post Miss. Pontificalem. l. 12. 50.

137. Benedictionem solemnem impertiendi extra missam. lib. 12. 50.

138. Benedictionem eamdem cum dispensatione a lectura Brevis. lib. 12. 50.

139. Barbam deferendi. lib. 12. 50.

140. Beatorum imagines exponendi. lib. 12. 50.

141. Beatorum reliquias deferendi in solemni processione, servata instructione R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris. lib. 12. 50.

142. Beatis dedicandi altaria. lib. 16. 50.

143. Chori parvi construendi in Ecclesiis et Oratoriis. lib. 16. 50.

144. Candelarum numerum reducendi in expositione SS. Sacr. lib. 16. 50.

145. Habitandi super Ecclesiam. lib. 12. 50.

1 6. Missam Conventualem non legendi. lib. 12. 50.

147. Missam celebrandi cum nonnullis dispensationibus. lib. 12. 50.

148. Missam celebrandi propriam in quatriduo. lib. 12. 50.

149. Missam celebrandi propriam in octavario. lib. 12. 50.

150. Missam in interiori clausurae sacello. lib. 12. 50.

151. Missam Votivam B. M. V. in Sanctuariis pro omnibus. lib. 12. 50.

152. Missam votivam alicujus Sancti in Sanctuariis, lib. 12. 50.

153. Missam *Rorate* celebrandi in Sacro Adventu. lib. 12. 50.

154. Pileolum gestandi in Missa. lib. 12. 50.

155. Accessum privatum ad Ecclesiam habendi. lib. 12.50.

156. SSmum Eucharistiae Sacramentum asservandi ad tempus in Oratorio privato Communitatum. lib. 16. 50.

157. Erigendi altare prope cubiculum favore indultari orat. priv. lib. 12. 80.

158. Titulorum alicujus academiae.

159. Tituli advocati S. Petri. lib. 180.

160. Benedicendi coronas B. M. V., septem Dolorum et imponendi parvum habitum benedictum cum indulgentiis a RR. Pont. concessis. lib. 5.

161. Benedicendi et imponendi parva SS. Trinitatis scapularia. lib.

162. Benedicendi et imponendi scapulare nigrum Passionis. lib. 5.

163. Benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo cum omnibus indulgentiis confratribus concessis. lib. 5.

164. Benedicendi et imponendi scapulare Immaculatae Conceptionis. lib. 5.

165. Benedicendi et imponendi scapulare rubrum Passionis. lib. 5.

166. Benedicendi et imponendi scapulare S. Josephi. lib. 5.

167. Benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. a Bono Consilio. lib. 5.

168. Benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Mercede. lib. 5.

169. Benedicendi et imponendi scapulare Pretiosissimi Sanguinis J. C. lib. 5.

170. Benedicendi et imponendi scapulare Immaculati Cordis B. Mariae Virginis. lib. 5.

171. Adscribendi Societati SSmi Rosarii et benedicendi rosas, coronas, et impertiendi confratribus Indul. Plen. in *articulo Mortis*. lib. 4.

172. Benedicendi coronas Passionis Domini. lib. 5.

173. Inscriptionis alicujus confraternitatis aut adsociationis Primae Primariae. lib. 5.

174. Benedicendi coronas Immaculatae Conceptionis. lib. 5.

175. Inscriptionis Archiconfraternitati S. Petri in Vinculis (acceptis catenulis). lib. 5.

176. Benedicendi cruces eisque applicandi indulgentias Viae Crucis. lib. 6.

177. Benedicendi Sacros funiculos S. Francisci. lib. 5.

178. Benedicendi Sacros funiculos S. Thomae Aquinatis. lib. 5.

179. Benedicendi Sacros funiculos S. Francisci de Paula. lib. 5.

180. Benedicendi Sacras cincturas S. Agustini. lib. 5.

181. Adscriptionis in Tertio Ordine S. Francisci. lib. 4.

182. Legendi ac retinendi libros prohibitos. lib. 3.

183. Exponendi publicae venerationi parvam statuam ex aere confectam S. Petri Apostoli, ad modum statuae quae colitur in Basilica Vaticana, et lucrandi easdem indulgentias, quas fideles lucrantur Romae, dum osculantur ejusdem S. Petri Ap. pedem etiam pro Oratorio privato aut domo. lib. 5.

184. Sacrae Reliquiae.

N. B.—I. Hae facultates peti possunt ab expeditoribus vel agentibus et a procuratoribus Ordinum religiosorum, quos inter Procurator Missionariorum Filiorum I. Cordis Mariae (Via Giulia, 163).

II. Pro singulis petitionibus requiruntur supplicantis ejusque dioeceseos, loci et ecclesiae nomina.

III. Pro quibusdam facultatibus non adnotantur expensae, quae, obtentis facultatibus significantnr, eo quod variant juxta majorem vel minorem operam pro iisdem obtinendis impendendam.

APPENDIX VI.

Formulae ad matrimonium spectantes

A) litterae quae ad ordinarium loci mittuntur

(Ex Gasparri, de Matr. alleg. IV).

I. *Ad petendam dispensationem a publicationibus.*—Illme. ac Rme. Dñe.—Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, matrimonium in facie Ecclesiae inire quantocius cupiunt; et ideo petunt ab Excellentia Vestra dispensationem ab una publicatione.—Causae sunt...—Die... mensis... anni.—N. Parochus N.

II. *Ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagorum.*—Illme. et Rme. Dñe.—Marianna M. parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Joanne N., nato in dioecesi N., qui, quum nullibi habeat domicilium vel quasi-domicilium vagus habendus est. Parentes ejus consensum dederunt; et, diligenti facta inquisitione, nullum canonicum impedimentum inveni. Quare Excellentiae Vestrae supplico, ut quid faciendum sit significare mihi dignetur.—Die... mensis... anni...—N. Parochus N.

III. *Ad petendam dispensationem in impedimento voti.*—Illme. et Rme. Dñe.—Marianna M., nostrae dioecesis, olim votum... emisit, a quo, modo nuptias contrahere volens, dispensationem ab Excellentia Vestra petit (*vel si sit votum reservatum*: ab Excellentia Vestra humiliter petit, ut dispensationem a S. Sede obtinere dignetur).—Causae sunt...—Die.., etc...—N. Parochus N.

IV. *Ad petendam dispensationem in impedimento mixtae religionis.*—Illme. et Rme. Dñe. Catharina N., parochiana mea, matrimonium inire cupiens cum Sergio N., sectae lutheranae addicto et in ea saltem hucusque persistente, humillime petit ab Excellentia Vestra, ut dispensationem in impedimento mixtae religionis concedere (*vel:* a S. Sede procurare) dignetur.

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic petitioni addicta patet, sub fide juramenti promisit omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nascituros, in fide catholica baptizandos et educandos esse, iisque aeque ac conjugi prorsus liberum fore catholicae religionis exercitium.

Praeterea pars catholica spopondit, se pro viribus curaturam viri conversionem.

Quantum ex adjunctis mihi judicare licet, promissiones hujusmodi sincerae sunt, timendumque minime est, ne in futuro non adimpleantur. Nam...—Causae pro dispensatione sunt...—Pars catholica taxam ordinariam solvere potest (*vel:* apud me deposuit).—Die... etc.—N. Parochus N.

V. *Ad petendam dispensationem ab impedimentis dirimentibus.*—Illme. Rme. Dñe.—Joannes N. annos natus 32 et Marianna M. annos nata 28, parochiani mei, matrimonium inire desiderant. Obstat vero impedimentum: 1.° consanguinitatis tertii et quarti gradus inaequalis lineae transversae; 2.° affinitatis tertii gradus aequalis lineae transversae; 3.° publicae honestatis ex sponsalibus cum sorore Lucia initis et mutuo consensu solutis.

Quare humiliter supplicant Excellentiae Vestrae, ut super his impedimentis dispensationem ipsis, vi apostolici indulti, concedere dignetur vel a S. Sede procurare.

Causae sunt...—Testor oratorem possidere circa 5.000 lib. in re, 10.000 in spe; oratricem 2.000 in re, 6.000 in spe (*vel:* oratores pauperes esse, ita ut solum manuum labore victum sibi comparare cogantur).

Pro taxa et expensis oratores apud me deposuerunt libellas....—Die, etc....—N. Parochus N. Hic subnectantur schemata consanguinitatis et affinitatis.

VI. *Ad petendam sanationem in radice.*—Illme. et Rme. Dñe.—Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium die 21 Junii 1899 in facie Ecclesiae contraxerunt, ac deinde consummarunt, prole etiam suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto ae-

quali, ut constat ex schemate his litteris adnexo, quod impedimentum modo tantum partibus innotuit (et verisimile admodum est publicum evasurum).

Quum vero Joannes N. sectae massonicae postea adscriptus, nullo modo ad renovandum consensum coram parocho et testibus induci possit, licet de consensus perseverantia dubitari nequeat, Marianna M. humillime supplicat Excellentiae Vestrae, ut sanationem in radice praedicti matrimonii a S. Sede impetrare dignetur.—N. Parochus N.—Hic subnectitur schema.

VII. *Ad petendas litteras «Perinde valere».*—Illme. et Rme. Dñe.—Joannes N. et Marianna M. in eo sunt, ut matrimonium ineant, obtenta dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis. At bona fide in instantia reticitum fuit hunc consanguinitatis gradum esse duplicem, ut constat ex subjecto schemate.

Quare humiliter supplicant Excellentiae Vestrae, ut revalidationem obtentae dispensationis concedere vel procurare a Sede Apostolica dignetur, perinde ac si veritas in instantia expressa fuisset.—Die, etc.—N. Parochus N.—Subnectitur schema consanguinitatis.

VIII. *Ad petendam revalidationem matrimonii bona fide nulliter contracti.*—Illme. et Rme. Dñe.—Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium die 21 Junii 1899 in facie Ecclesiae contraxerunt ac deinde consummarunt, prole inde suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto aequali gradu, ut videre est in schemate subjecto. Quod quum nunc solummodo partibus et publice innotuerit, matrimonium hujusmodi convalidare cupientes, humillime supplicant Excellentiae Vestrae ut dispensationem ab hujusmodi impedimento, una cum prolis legitimatione, ipsis concedere vel a S. Sede procurare, dignetur, ita ut valeant denuo in facie Ecclesiae matrimonium contrahere.—Die, etc.—N. Parochus N. Subnectitur schema consanguinitatis.

B) LITTERAE AD SACRAM PENITENTIARIAM

I. *Ad petendam dispensationem a S. Poenitentiaria super impedimento criminis. (Ex Genicot, Theolog. mor. Vol. II. n. 526. I.).*—Eminentissime Princeps:—Titius et Caja matrimonium inire cupiunt; sed obstat impedimentum criminis ex eo quod, Titius, dum vivebat adhuc ejus uxor Sempronia, copu-

lam perfectam cum Caja habuit, et mortem Semproniae, effectu sequuto, machinatus est. Impedimentum est omnino occultum, neque ullatenus timendum videtur, ne publicis juris fiat. Adsunt gravissimae causae ad dispensationem efflagitandam, videlicet, infamia vitanda et proles jam a Caja concepta. Quare Eminentiae Vestrae humillime supplicant, ut dispensationem super impedimento praedicto, quamprimum fieri poterit, auctoritate Apostolica benigne concedere dignetur.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa, qua par est, devotione permaneo, Eminentiae Vestrae humillimus famulus.—N. Parochus N. *vel*: N. N. Confessarius.

N. B. In fine epistolae indicatur lingua regionis propria, domicilium scribentis. Litterae vero mittendae inscribuntur italice: All'Eminentissimo Cardinal Penitenziere Maggiore.—Palazzo della Cancellaria—Roma.

II. *Ad petendam dispensationem impedimenti a S. Poenitentiaria post matrimonium nulliter jam contractum* (*Ex Gury-Ballerini II 698*).—Eminentissime et Rme. Dñe.—Titius conscius (*vel* inscius) impedimenti contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere, cujus matrem (vel filiam, vel sororem) prius carnaliter cognovit; quare quum absque scandalo nequeant separari, et impedimentum sit occultum, humillime supplicant Eminentiae Vestrae, ut eis dispensationem benigne indulgeat ad valide contrahendum. Dignetur Eminentia Vestra rescriptum ad me infrascriptum dirigere.—N. N. Confessarius.

III. *Exemplar supplicis libelli mittendi ad S. Poenitentiariam pro dispensationibus matrimonialibus exposcendis, propositum ab ipsa Poenitentiaria* (*Acta S. Sedis August. 1893*). Beatissime Pater.—N. N. annos natus... et N. N. annos nata... Dioecesis N... ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti humiliter postulant dispensationem super impedimento..., ut legitimum matrimonium inter se contrahere possint.—Causae sunt...—Aetas oratricis...—Defectus dotis.—Angustia loci.—Cura prolis e superiore matrimonio suscepta, etc.—(Scilicet vera causa exponenda est vel una vel multiplex).—Oratores pauperes sunt.—Testamur vera esse exposita, et oratores pro gratia commendamus.—Datum...

IV. *Pro exequendis dispensationibus S. Poenitentiariae* (*Ex Ballerini-Palmieri Vol. VI in fine*).—Praemissa, si opus est, absolutione a censuris, etc., tum absolutione a peccatis,

dici potest: «Auctoritate Apostolica (vel per Episcopum accepta) dispenso tecum super impedimento (illud nominetur), quod incurristi, ut matrimonium inire, servata forma Tridentina, et in eo permanere valeas, et legitimam reddo prolem suscipiendam. In nomine Patris etc. Passio Dñi. Nostri Jesu Christi etc».

Si de dispensatione voti agatur: «Tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, eoque uti, in opera, quae praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris etc.»

Si matrimonium jam in facie Ecclesiae initum sit, omittuntur verba, *servata forma Tridentina*, et eorum loco dicitur *de novo inire*, et post *prolem*, additur *susceptam*, si tamen constet prolem exstare.

Verba: *Passio D.N.J.* omittuntur, si data non sit absolutio a peccatis.

Si dispensatio in radice datur, dicitur: «matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido, prolemque susceptam et suscipendam legitimam fore nuntio et declaro». —Ceterum non adest ulla forma ab Ecclesia praescripta, et dummodo sensus dispensationis exprimatur, satis est.

C) CATALOGUM

ABBREVIATIONUM QUAE IN LITTERIS S. POENITENTIARIAE REPERIUNTUR

(Ex Bouix, De Curia Romana: pag. 266).

Absoluo. vel abs.	Absolutio.
Als.	Alias.
Alr.	Aliter.
Ao.	Anno.
Archiepus.	Archiepiscopus.
Aplica.	Apostolica.
Appbatis.	Approbatis.
Autte. vel aucte.	Auctoritate.
Beneonem. vel ben.	Benedictionem.
Cartlis.	Cardinalis.
Canice.	Canonice.

Cen.	Censuris.
Circumpeoni.	Circumspectioni.
Xpus.	Christus.
Confeoni.	Confessioni.
Confeori.	Confessori.
Coioni. vel coini.	Communioni.
Constituonibus. vel constibus. .	Constitutionibus.
Consciae.	Conscientiae.
Discreoni..	Discretioni.
Dispensao.	Dispensatio.
Dnus.	Dominus.
Dudo.	Dummodo.
Ecclae. vel ecle.	Ecclesiae.
Effus.	Effectus.
Exit.	Existit.
Ecclis.	Ecclesiasticis.
Epus.	Episcopus.
Excoe..	Excommunicatione.
Fr.	Frater.
Frum.	Fratrum.
Gnali. vel Gali.	Generali.
Humoi.	Hujusmodi.
Humilr.	Humiliter.
Infraptum.	Infrascriptum.
Innoti.	Innodati.
Irregulte.	Irregularitate.
Igr.	Igitur.
Intropta.	Introscripta.
Lia..	Licentia.
Ltima.	Legitima.
Lrae.	Litterae.
Lite.	Licite.
Mrimonium. vel Matrium. . .	Matrimonium.
Magro	Magistro.
Misaone.	Miseratione.
Mir.	Misericordia.
Mir.	Misericorditer.
Nulltus.	Nullatenus.
Ordio.	Ordinario.
Ordinaoni.	Ordinationi.
Ordibus.	Ordinationibus.
Pp.	Papa.

Pr.	Pater.
Pontus.	Pontificatus.
Ptus.	Praefectus.
Pntium.	Praesentium.
Pbter.	Presbyter.
Poenia.	Poenitentia.
Poeniaria.	Poenitentiaria.
Poe.	Posse.
Pror.	Procurator.
Qtnus. vel quatus.	Quatenus.
Qmlbt.	Quomodolibet.
Qd.	Quod.
Relari.	Regulari.
Relione.	Religione.
Roma.	Romana.
Sntae. vel stae.	Sanctae.
Saluri.	Salutari.
Sentia.	Sententia.
Sen.	Sententiis.
Spealr.	Specialiter.
Supplionibus.	Supplicationibus.
Spualibus.	Spiritualibus.
Sartum.	Sacramentum.
Ten.	Tenore.
Tm.	Tantum.
Tn.	Tamen.
Thia. vel theolia.	Theologia.
Tli.	Tituli.
Venebli.	Venerabili.
Vrae.	Vestrae.

INDEX SYNOPTICUS

			Pag.
Approbationes.			4
Canonistarum atque Theologorum elenchus.			5
Prooemium.			9

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

Prolegomena.			11
Art.	I.	De natura, causis et effectibus Juris Canonici.	„
„	II.	De qualitatibus Juris Canonici. . . .	13
„	III.	De Historia litteraria Juris Canonici. .	14
„	IV.	De divisione et partibus Juris Canonici.	19
„	V.	De auctoritate Juris Canonici. . . .	20
„	VI.	De fontibus Juris Canonici.	27
„	VII.	De legum canonicarum actuali valore cognoscendo.	28
§	I.	De cessatione legis.	„
„	II.	De interpretatione legis.	31
Art.	VIII.	De iis quae ad certas legum species pertinent.	34
§	I.	De rescriptis.	„
„	II.	De privilegiis.	39
Art.	IX.	De modo citandi et discendi Jus Canonicum.	45

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

Liber I.—De Personis

Titulus	I.	De personis in genere.	50
„	II.	De personis ad hierarchiam ordinis pertinentibus.	53

Art.	I.	De modo ingrediendi hierarchiam ordinis.	53
§	I.	De modo ingrediendi in supremum gradum hierarchiae ordinis, qui est consecratio episcopalis.	"
§	II.	De modo ingrediendi in medios et infimos gradus hierarchiae ordinis, qui est ordinatio.	55
Art.	II.	De iis quae impediunt ingressum vel progressum in hierarchiam ordinis seu de irregularitatibus	62
§	I.	De irregularitatibus in genere. . . .	63
"	II.	De irregularitatibus in specie. . . .	65
Punct.	I.	De irrregularitatibus ex delicto . . .	"
"	II.	De irregularitatibus ex defectu. . . .	68
§	III.	De cessatione irregularitatum. . . .	71
Art.	III.	De clericorum communibus juribus et officiis	72
§	I.	De ipsorum juribus et privilegiis. . .	"
"	II.	De clericorum communibus officiis . .	75
Titulus	III.	De hierarchia jurisdictionis in genere .	82
Art.	I.	De natura jurisdictionis ecclesiasticae .	"
"	II.	De acquisitiones jurisdictionis ecclesiasticae	93
§	I.	De titulo in genere.	94
"	II.	De adeptione jurisdictionis delegatae. .	95
"	III.	De adeptione jurisdictionis ordinariae.	97
Punct.	I.	De constitutione officiorum ecclesiasticorum	"
"	II.	De provisione officiorum ecclesiasticorum.	99
	A)	De potestate providendi in genere. . .	"
	B)	De electione in genere.	101
	C)	De postulatione	107
Art.	III.	De cessatione et restrictione jurisdictionis ecclesiasticae	113
Art.	IV.	De juribus et obligationibus habentium jurisdictionem ecclesiasticam. . .	113
§	I.	De juribus.	"
"	II.	De obligationibus.	114
Titulus	IV.	De hierarchia jurisdictionis in specie. .	116
Sectio prima.		De jurisdictionis potestate in singulis clericis.	"
Art.	I.	De jurisdictione Romani Pontificis. . .	"
"	II.	De jurisdictione Episcopali.	121
"	III.	De jurisdictione supra-episcopali . . .	130

§ I. De jurisdictione supra-episcopali reali . 130
Punct. I. De Patriarchis 131
„ II. De Primatibus et Exarchis 135
„ III. De Metropolitis 136
„ IV. De honoribus et insignibus dignitatum supra-episcopalium 140
§ II. De jurisdictione supra-episcopali personali 144
ART. IV. De jurisdictione quasi-episcopali . . . 151
§ I. De Abbatibus . . . . . „
„ II. De Vicariis Apostolicis 154
„ III. De Episcopis Auxiliaribus 161
„ IV. Scholium de jurisdictionibus exemptis speciali jure hispano 162
Punct. I. De jurisdictione palatina, seu pro capellani Regum . . . . . „
„ II. De jurisdictione castrensi 163
„ III. De jurisdictione ordinum militarium . . 166
ART. V. De jurisdictione infra episcopali . . . 167
§ I. De Vicario Generali 168
„ II. De Vicariis foraneis 173
„ III. De Parochis 174
„ IV. De Vicariis parochorum 181
SECTIO SECUNDA.—De Jurisdictionis potestate in Collegiis clericorum 186
ART. I. De Conciliis, seu Collegiis Ordinis pastoralis . . . . . „
§ I. De Conciliis oecumenicis 187
„ II. De Conciliis plenariis 189
„ III. De Conciliis provincialibus 191
ART. II. De Collegiis ordinis senatorii 199
§ I. De Cardinalium Collegio . . . . . „
„ II. De Capitulis Canonicorum 205
ART. III. De Collegiis ordinis judiciarii et administrativi 221
§ I. De Curia dioecesana . . . . . „
„ II. De tribunalibus Curiae Romanae . . . 223
Punct. I. De Praelatis Curiae Romanae, et de curialibus inferioribus . . . . . „
„ II. Sectio Gratiae Curiae Romanae . . . 228
„ III. Sectio Justitiae Curiae Romanae . . . 238
§ III. De Familia Pontificia 240
„ IV. De SS. Congregationibus Romanis . . . 242
Punct. I. De SS. Congregationibus Romanis in genere . . . . . „
„ II. De SS. Congregationibus in specie . . . 248

Titulus	V.	De jurisdictione exempta Regularium.	262
Art.	I.	De natura, origine et varietate Status Religiosi.	„
»	II.	De Religionum et domuum religiosarum fundatione.	270
§	I.	De Religionum fundatione.	„
„	II.	De domorum religiosarum fundatione.	274
Art.	II.	De Professione religiosa.	276
§	I.	De ingressu in religionem.	„
„	II.	De Novitiatu.	287
»	III.	De Professione religiosa.	292
Art.	III.	De Religiosorum obligationibus.	304
§	I.	De obligationibus e natura Status religiosi fluentibus.	„
Punct.	I.	De egressu per indultum pontificium.	„
»	II.	De egressu per transitum ad aliam religionem.	307
»	III.	De egressu per promotionem ad episcopatum vel cardinalatum.	308
„	IV.	De egressu per apostasiam et per fugam.	310
„	V.	De egressu per ejectionem.	311
„	VI.	De egressu Regularium per legitimam dimissionem.	316
„	VII.	De egressu per legitimam dimissionem e Congregationibus Religiosis.	318
„	VIII.	De egressu per Ordinis vel Conventus suppressionem.	322
„	IX.	De obligatione tendendi ad perfectionem.	323
§	II.	De obligationibus religiosorum vi votorum.	324
Punct.	I.	De voto paupertatis.	325
„	II.	De voto castitatis.	331
„	III.	De voto obedientiae.	332
§	III.	De obligationibus religiosorum vi legum ecclesiasticarum.	335
„	IV.	De obligationibus ex Regula cujusque Ordinis fluentibus.	342
Art.	IV.	De Regularium et aliorum Religiosorum gubernatione.	345
§	I.	De Religiosorum gubernatione quoad forum poenitentiale.	„
„	II.	De regimine intrinseco Regularium.	353
Punct.	I.	De Praelatis Regularium.	„
„	II.	De officiis praecipuis, quae participant regimen Regularium.	362
„	III.	De Capitulis Religiosorum.	365

§ III. De regimine extrinseco Regularium. . . 367
ART. V. De Regularium privilegiis. 371
§ I. De Regularium privilegiis in genere. „
„ II. De privilegiis circa sacramenta. . . . 373
„ III. De privilegiis circa praedicationem. . . 379
„ IV. De privilegiis circa funera. 381
„ V. De privilegiis circa potestatem in variis dispensandi 382

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

LIBER II.—DE REBUS

TITULUS I. De Rebus sacris. 386
ART. I. De objeto cultus divini . . . . . „
„ II. De Ecclesiis 388
„ III. De Oratoriis 395
„ IV. De Altaribus. 399
„ V. De forma cultûs divini 401
„ VI. De sacra supellectili. 408
TITULUS II. De Rebus religiosis. 410
ART. I. De Institutis beneficentiae. 411
„ II. De Institutis educationis. 412
§ I. De Seminariis dioecesanis. . . . . „
„ II. De Seminariis centralibus. 415
ART. III. De Coemeteriis et sepulturis. 416
§ I. De loco sepulturae. . . . . „
„ II. De iis, qui debent sepeliri in loco sacro. 421
„ III. De iis, qui debent sepelire, seu funera peragere 422
TITULUS III. De Rebus temporalibus. 425
ART. I. De proprietate et privilegiis bonorum Ecclesiae . . . . . „
„ II. De usu juris proprietatis in Ecclesia. . 427
§ I. De acquisitione bonorum ecclesiasticorum. . . . . „
„ II. De administratione bonorum ecclesiasticorum 434
ART. III. De beneficiis. 436
§ I. De beneficiis generatim. . . . . „
Punct. I. De beneficiis proprie dictis . . . . . „
„ II. De beneficiis improprie dictis. 443
„ III. De beneficiariorum obligationibus. . . 449

§ II. De beneficiorum acquisitione. 455
Punct. I. De libera collatione. . . . . „
» II. De institutionibus et jure patronatûs. . 459
A) De jure patronatûs. . . . . „
B) De Institutionibus 463
Punct. III. De beneficiorum acquisitione in Hispania 466
§ III. De beneficiorum vacatione 470
Punct. I. De dimissione seu renuntiatione beneficii. . . . . „
„ II. De translatione 473
„ III. De remotione a beneficio ecclesiastico. . 475

INSTITUTIONES JURIS CANONICI

Liber III.—De Judiciis, Delictis et Poenis

Pars prima. De Judiciis. 479
Titulus praeliminaris.—De jure processali in genere . . . . . „
§ I. De actionibus. 480
„ II. De tribunalium constitutione. 483
„ III. De modo procedendi. 490
Titulus I. De processu communi jurisdictioni contentiosae et voluntariae. 492
Art. I. De in jure standо. . . . . „
„ II. De foro competenti. 499
„ III. De causarum cumulatione et de ordine cognitionum. 509
„ IV. De recusationibus. 511
„ V. De actis et terminis judicialibus. . . 514
„ VI. De remediis juridicis contra decisiones judicis. 521
„ VII. De nonnullis aliis dispositionibus. . . 524
Titulus II. De processu servando in judiciis civilibus ecclesiasticis. 527
Sectio prima. De judiciis civilibus ecclesiasticis in genere. . . . . „
Art. I. De judicio civili ecclesiastico ordinario „
§ I. De praeparatione judicii. . . . . „
„ II. De primo stadio judicii ordinarii, seu de stadio juridico. 529
„ III. De secundo stadio judicii, historico scilicet seu probatorio. 536

Punct. I. De probationibus in genere. . . . 536
„ II. De testibus. 539
„ III. De fide instrumentorum. 547
„ IV. De indiciis et praesumptionibus . . . 551
„ V. De juramento litis decisorio et suppletorio. 553
„ VI. De confessione judiciali. 556
„ VII. De peritorum judicio et inspectione judiciali. 558
§ IV. De stadio critico judicii. 559
„ V. De secunda instantia, seu de appellationibus et exsequutione sententiae. . 562
„ VI. De tertia instantia apud tribunal Rotae Hispanae 569
ART. II. De judicio in contumatia. 570
„ III. De judicio summario. 572
„ IV. De judicio arbitrorum et arbitratorum . 573
SECTIO SECUNDA.—De judiciis civilibus ecclesiasticis in specie 577
ART. I. De causis matrimonialibus . . . . . „
„ II. De causis beneficialibus 581
„ III. De informationibus ad perpetuam rei memoriam. . . . . „
„ IV. De causis beatificationis et canonizationis servorum Dei 582
TITULUS III. De judiciis criminalibus seu poenalibus . 585
ART. I. De processu criminali ordinario . . . „
§ I. De praeparatione judicii ordinarii. . . „
„ II. De primo stadio judicii criminalis seu de judicio summario 592
„ III. De secundo stadio judicii criminalis seu de plenario 596
„ IV. De tertio stadio judicii criminalis, seu de sententia, appellationibus est exsequutione sententiae. 600
ART. II. De processu criminali summario . . . 601
„ III. De processu criminali summarissimo. . 603
„ IV. De processu criminali oeconomico . . 604
TITULUS IV. De processu in exercitio jurisdictionis voluntariae. 610
ART. I. De processu in causis matrimonialibus. „
„ II. De processu in causis beneficialibus. . 614
„ III. De processu in ordinum susceptione servando 616
„ IV. De processu pro aedificiis aut locis sacris, religiosis vel ecclesiasticis aedificandis aut reparandis. 617

Art.	V.	De processu in rebus ecclesiasticis alienandis servando.	619
»	VI.	De processu in aliis rebus ecclesiasticis servando	»
Pars secunda.—		De delictis et poenis.	622
Titulus	I.	De delictis	»
Art.	I.	De delictis in genere.	»
»	II.	De delictis in specie.	627
Titulus	II.	De poenis	636
Art.	I.	De poenis in genere	»
»	II.	De poenis in specie.	640
§	I.	De poenis vindicativis.	»
»	II.	De poenis medicinalibus seu de censuris	645
Punct.	I.	De censuris in genere.	»
»	II.	De censuris in specie.	649
»	III.	De censuris nunc vigentibus ad normam Const. *Apostolicae Sedis* . .	656
	A)	De censuris generalibus hodie vigentibus	»
	B)	De censuris latis pro interno Regularium regimine hodie vigentibus . .	668
§	III.	De poenis improprie dictis, id est, de cessatione a divinis et de poenitentiis.	670
Appendix	I.	Regulae juris	673
	A)	Regulae in Decretalibus Gregorianis.	»
	B)	Regulae in Sexto Decretalium. . . .	674
Appendix	II.	Clausulae usitatiores in jure.	681
	A)	Clausulae Apostolicae.	»
	B)	Praecipuae clausulae, quae in responsionibus SS. Congregationum apponuntur et clausulae usitatiores S. Poenitentiariae	683
Appendix	III.	Provisión de piezas eclesiásticas . . .	684
Appendix	IV.	Decreta generalia de prohibitione et censura librorum.	690
Tit.	I.	De prohibitione librorum	»
»	II.	De censura librorum.	694
Appendix	V.	Facultates, quae per SS. CC. Romanas et Regularium Superiores obtineri possunt	698
		Facultates, quae cum Episcopi commendatitia obtineri possunt.	»
		Facultates quae sine Ordinarii commendatitia obtineri possunt . . .	700
Appendix	VI.	Formulae ad matrimonium spectantes.	706

A) Litterae, quae ad Ordinarium loci mittuntur 706
B) Litterae ad Sacram Poenitentiariam. . 708
C) Catalogum abbreviationum, quae in litteris Sacrae Poenitentiariae reperiuntur 710

INDEX ALPHABETICUS

Abbas. Natura et divisio, 151. Provisio et benedictio, 152. Jura, id. Officia, 153. Quid de ordinatione clerici saecularis vel extranei collata ab Abbate Regulari, 55.

Abbatissa. Electio et potestas, 358.

Abbreviationes Poenitentiariae, 710.

Abbreviatores de parco majori, 229.

Abortus (*crimen*), 623.

Abrogatio, 28.

Absolutio, 639.

Abusus jurisdictionis, 114. Remedia contra, 115.

Acceptatio delegationis, 97.

Accessus in electione, 103, 118. In renuntiatione beneficii, 472.

Accusatio. Natura et subjectum, 586. Modus et effectus, 587. Nonnullae quaestiones, 588.

Accusator, 486.

Accusatus. An possit admitti in religionem, 279.

Acervus pius, 430 (in nota).

Acta judicialia, 514. Expeditio eorum, 519.

Acta S. Sedis. Quid, genera, et auctoritas, 23, seq.

Actio. Natura, 480. Divisio, 481. Exercitium, 482.

Actor, 486.

Actuarius, 486 (in nota).

Actus heroicus et internus, 333, 83.

Adeptio jurisdictionis ordinariae, 97. Delegatae, 95.

Administratio bonorum Ecclesiae, 434. Seminarii, 413.

Administrator apostolicus, 157. Parochiae, 181 et 183.

Admonitiones, 516.

Adspirantes, 285.

Advocatus, 70, 486, 497. Jure patrio sive apud tribunalia ecclesiastica sive apud saecularia, 497 (in nota). Curiae Romanae, 227.

Aetas. Ad beneficia, 110. Ad religionem, 280. Ad ordines, 60 et 63.

Affectio in beneficiis, 456.

Alienato bonorum Ecclesiae, 435.

Allegatio in jure et in facto, 559 et 599.

Altare. Notiones historico-juridicae, 399. Species, consecratio, execratio, 400.

Alternatio in in provisione, 468.

Anachrisis (*careo*), 598.

Apostasia, 627. Poenae, 628.

Apostatae, 310.

Apostoli (*in judiciis*), 566.

Apparitor, 70 et 486.

Appellatio. Natura, divisio et effectus, 521. Quis, 562. A quibus actibus, 563. A quo... etc., 564. Modus, 565. Tempus intra quod, 565. In judicio criminali, 600.
Approbatio ad confessiones, 373, 374. Ad religionem, 265, 270, seqq.
Arbiter. Natura et divisio, 573. Electio, id. Potestas et officium, 575. Cessatio, 576.
Arbitrator, 573.
Archidiaconus, 168, 207, 464.
Archiepiscopus. V. *Metropolitanus.*
Archipresbyter, 168, 174, 207, 221.
Armorum delatio, 80.
Artes clericis prohibitae, 81.
Articuli, 535.
Assesor, 222.
Asylum ecclesiarum, 394.
Attentata, 568.
Attestatio, 545.
Audientia. Tribunal Collegiatum Hispaniae, 487 (in nota). Beneficium novae audientiae apud tribunalia romana, 246, 247.
Auditor sacrae Rotae, 238. Rotae Hispanae, 240.
Authenticitas reliquiarum, 387. Actorum S. Sedis, 25. Rescriptorum papalium, 37.
Banna. *(proclamas)*, 610. Processus pro eorum dispensatione, 611.
Baptismus. Iteratio, 65.
Beatificatio, 387. Modus procedendi in causis beatificationis, 582, seqq.
Benedictio Ecclesiae, 390. Abbatum, 152.
Beneficia affecta. V. *Affectio beneficii.*
Beneficiariorum obligationes. Professio fidei. 449. Juramentum fidelitatis et obedientiae. Divinum officium, ibid. Residentia, 450.
Beneficium. Natura. 456. Species, 437. Erectio, 438. Immutatio, 440. Acquisitio, 455, seqq. Vacatio, 470, seqq. In Hispania, 466, seqq. et 684, seqq.
Beneplacitum apostolicum. Pro erectione Conventuum, 274. Pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, 435.
Bigamia, 69.
Bona ecclesiastica. Subjectum juris proprietatis quoad, 425. Immunitas, ibid. Poenae contra hanc violantes, 427. Immunitates in Hispania vigentes, ibid. Acquisitio, 427. Administratio, 434, seqq.
Breve apostolicum, 230. V. *Secretaria Brevium.*
Bulla Cruciatae. Quid circa oratoria, 398.
Bulla pontificia. Stylus, 229, Origo ibid. (in nota). Discrimen a Brevibus, 230. Species, 231. Partes, 232.
Cadaver. V. *Sepultura.* Processus pro exhumatione et translatione cadaverum, 618.
Caelibatus, 77.
Caeremoniae sacrae, 407.
Calix, 408.
Camera Apostolica, 238.
Camerarius Curiae *(Camarlengo)*, 238.
Campanae, 409.
Cancellaria Apostolica, 228. Regulae, 22.
Canon. Privilegium canonis, 73. Amissio, 75.

Canones apostolici, 16. Poenitentiales, 21.
Canonia, 436.
Canonica. V. *Quarta*.
Canonicus. Natura et species, 206. Dotes, 208. Jura et officia, 209. Residentia, 453.
Canonizatio, 387.
Cantus ecclesiasticus. V. *Musica sacra*.
Capella Regia Hispaniae, 163. Pontificia (*Ordo in ea servandus*), 226 (in nota).
Capellania, 443. In Hispania, ibid. seqq. Processus pro erectione, 614. Processus pro commutatione reddituum et redemptione onerum, 615.
Capellanus. Papae, 238, 240. Castrensis, 164, 165. Major, 162.
Capitulum. Natura, 205. Species, 206. Constitutio, 207. Jura interna, 210. Officia interna, 211. Jura uti senatus Episcoporum, 213. In Hispania, 219.
Capitulum Regularium, 365. Congregationum, 366.
Cardinales de Corona, 205. Nati, 204. Protectores, ibid. Regulares, 308.
Cardinalis. Natura, origo, ordo et numerus, 199. Electio seu creatio, 200. Jura, privilegia, insignia et honores, 202. Jura utilia, 203. Officia, 204. Residentia, 452. Urbis. V. *Vicarius*. Species, 204.
Castitas clericorum, 77. Religiosorum, 331.
Casus reservati. Praelato regulari, 347. Episcopo, S. Pontifici; quid circa eos Confessarius Regularis, 375.
Cathedralis ecclesiae reparatio, 391.
Cathedraticum (jus), 432.
Causa (*in judicio*), 484. Beneficialis, 581. Processus in hujusmodi causis, 614. Matrimonialis, 577. Processus in hujusmodi causis, 610.
Censura. Natura, 645. Divisio et auctor, 646. Forma et subjectum, 647. Effectus, excusatio et absolutio, 648. Censurae hodie vigentes, 656 et seqq.
Census, 435. Jus imponendi id. Ibid.
Cessatio jurisdictionis sive ordinariae sive delegatae, 113. Legis, 28. Irregularitatis, 71. A divinis, 670.
Chorepiscopus, 168.
Chorus. Servitium chori pro canonicis, 209, 453. Pro Regularibus, 335.
Citatio, 516, 530.
Clausulae apostolicae, 681. Id. Congregationum RR. et Poenitentiariae, 633, seqq.
Clausura. Virorum, 337. Monialium, 339. Sororum, 341.
Clementinae, 19.
Clerici. Jura, 72, seqq. Praerogativae, id. Immunitates, 73. Privilegia, id. Horum amissio, id. Officia et vita, 75, seqq. Eis prohibita, 77, seqq. Habitus. 76.
Clerus romanus antiquus, 223.
Coadjutor parochi, 181 et 182. In Hispania, 185.
Coadjutores Episcopi, 157, seqq.
Coemeterium, 418. Execratio, pollutio et reconciliatio, 420. Processus in aedificatione et reparatione coemeterio-

rum, 617. V. *Sepultura.*
Cohabitatio. V. *Habitatio.*
Collatio libera. Natura, 455. Cui competat, 456. Servanda in ea, 457. Forma, 458.
Collectio authentica Decretorum S. C. R., 23.
Collectiones juris, 16.
Collegiata. Reparatio, 392.
Collegium clericorum, 186, seqq.
Coma, 76.
Commenda, 443.
Commendatitiae litterae, 57. 271.
Commissarius, 354.
Commissiones cardinalitiae, 261.
Communicatio cum haereticis, 632. Privilegiorum inter regulares, 371.
Communio religiosorum, 352.
Commutatio. V. *Permutatio.*
Comparitio in judicio, 492, seqq.
Competentia. Quaestiones competentiae inter diversa tribunalia, 504. SS. Congregationum, 243. Beneficium competentiae, 74.
Compurgatores, 598.
Concilium (in genere). Notio et divisio, 186. Oecumenicum: Natura et convocatio, 187. Celebratio, 188. Confirmatio, 189. Plenarium: Natura, 189. Convocatio, celebratio et confirmatio, 190. Hispaniae, id. Provinciale: Natura et convocatio, 191. Celebratio, 192. Confirmatio, 193. Hispaniae, id.
Dioecesanum. V. *Synodus.*
Conclavis, 118.
Conclusio in causa, 559.
Concubinatus clericorum, 77.
Concursus. Forma acquirendi beneficia curata, 458.
Condictiones, 482.
Conferentiae pastorales, 198.
Confessarius proprius Regularium, 345. Aliorum constitutio, 346. Horum potestas, id. monialium et sororum ordinarius, 349. Extraordinarius, id. Confessarius aliorum religiosorum, 351.
Confessio judicialis. Natura et divisio, 556. Effectus, id. Processus, 557.
Confirmatio praelatorum. 106.
Confraternitates. Jura parochorum quoad, 178. Potestas Regularium quoad, 369.
Congregationes religiosae. Regimen, 359.
Consiliarii Generales, 362. Capitula, 366.
Congregationes Romanae (in genere). Natura, Divisio, Constitutio, 242. Competentia, 243. Forma procedendi, 244, seqq. Fundatores, 248. (In specie) Consistorialis, id. S. Officii et pro eligendis Episcopis, 249. Indicis, 251. Concilii cum adnexis, 252. Super negotiis Episcoporum et Regularium cum adnexis, 254. Rituum, Caeremonialis, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, 256 et 257. De Propaganda Fide cum similari pro Ritu Orientali, 257. Super negotiis extraordinariis ecclesiasticis, 258. Studiorum, 259. Fabricae S. Petri, id. Lauretana, 260. Visitationis Apostolicae, 260.
Congrua coadjutoris parochi, 183. In Hispania, 185.
Consecratio episcopalis. Na-

tura, 53. Cui competat, id. Circumstantiae, 54. Effectus, ibid.
Consensus. Quando Episcopus tenetur consensum capituli expetere, 213.
Consilium. Quando Episcopus tenetur adhibere consilium capituli, 214.
Consistorium, 120.
Constitutio *Officiorum ac munerum*, 690.
Constitutiones Apostolicae, 16. Pontificiae. Diversa nomina et divisiones, 24 (in nota). Religiosorum, 342.
Consuetudo, 30.
Consultores, 362.
Contentiosa jurisdictio, 85.
Contestatio litis, 533.
Contumacia, 794.
Conventus. Notio, 274 (in nota). Requisita pro erectione. Regularium, 274. Monialium, 275. Suppressio legitima, 322. Violenta, 323.
Conventualis Missa regularium, 336.
Cooperator parochi, 181.
Corpus juris, 19.
Correctio. V. *Denuntiatio*.
Crimen. V. *Delictum*.
Cubicularius, 241.
Cultus divinus, 386. Corporis in clericis, 75.
Cumulatio, 482, 509.
Curata beneficia. V. *Beneficium*.
Curia dioecesana gratiae, 221. Justitiae, 222. Romana, 223, seqq.
Curiales, 227.
Cursor, 486.
Dataria Apostolica, 232.
Debitum conjugale, 383.
Decanus, 207. Ruralis, 173.
Decimae, 428.
Decisio, 484.
Declarationes Congregationum, 22.
Decretales Gregorii IX, 19.
Decretum Gratiani, 17, 19, 20.
Dedicatio Ecclesiae, 390.
Defectus. Correptio, 345.
Defensor professionis, 299. Matrimonii, 578, 222.
Definitores, 362.
Degradatio, 642.
Delatio. V. *Denuntiatio*. Juramenti, 554.
Delegatio, 96.
Delegatus apostolicus, 146. In locis Missionum, 154. V. *Jurisdictio delegata*.
Delictum. Natura et divisio, 622. Circumstantiae, 624. Praescriptio, 626.
Denuntiatio. Natura et divisio, 589. Modus. ibid. Subjectum et obligatio, 590.
Depositio, 641.
Derogatio, 29.
Diffamatio, 590.
Dignitates, 206.
Dilationes judiciales, 518.
Dimissio Regularium, 316. Conditio juridica dimissorum, 317. In Congregationibus virorum, 318; sororum, 320; dimissorum juridica conditio, 321.
Dimissoriae, 57, 61, 218.
Disjunctio beneficii, 442.
Dismembratio beneficii, 442.
Dispensatio legis. 29. Votorum, 304. poenae, 639.
Distributiones quotidianae. 454.
Divortium, 577.
Doctoralis, 220.
Domicilium, 57.
Dominium Ecclesiae, 425.

Domus religiosae erectio, 274.
Donationes, 428.
Dos Ecclesiae, 389. Id. monialium, 283.
Ecclesia. Natura et Divisio, 388. Ædificatio, 389. Benedictio, 390. Reparatio, 391. Reconciliatio, 392. Immunitas, 394.
Ecclesiae receptitiae, 437.
Edictum 34. Edictales litterae, 517.
Effectus devolutivus et suspensivus, 521.
Egressus a Religione, 304, seqq.
Ejectio a Religione, 311. Ejectorum juridica conditio, 316. Monialium ejectio, id. Religionis ejicientis conditio, 316.
Electio. Natura, 101. Subjectum, id. Formae. 103. Qualitates, 105. Intimatio, id. Confirmatio, 106.
Electio Papae, 117. Praelatorum Regularium, 354. Monialium, 358. Superiorum Congregationum, 361. Digni, digniore praetermisso, et indigni, 112.
Eligendi. Qualitates, 110.
Encyclicae, 24.
Episcopatus. Quo jure ei annectatur jurisdictio, 97.
Episcopus. Quid, 121. Nominatio sive in Ecclesia occidentali sive orientali, 122. seqq. Dispositiones Pii IX, 124. Insignia, 125. Jura, 126, 432. Officia, 129. Obligatio residendi, 451. Congregatio pro eligendis Episcopis, 251.
Episcopi auxiliares. Natura, 161. Jura et officia, id. Hispaniae, id. (in nota) coadjutores, 157. Regulares, 308. Suffraganei, 161 (in nota). Titulares, 121.
Erectio conventus domus religiosae, oratorii. V. *haec verba.*
Error in rescriptis, 35. In titulo, 94.
Eucharistia. Privilegia Regularium circa, 376.
Exactio, 435. Jus imponendi, id.
Examen. Ad ordinationem saecularium, 60. Regularium, 62. Ad ingressum in religionem, 281. Ad professionem monialium, 295. Rei, 595. Testium, 542.
Examinator sinhodalis, 197.
Exarchae, 135.
Exceptiones, 531. Contra testes, 546.
Excessus Praelatorum, 114. Remedia canonica contra, 115.
Excommunicatio, 649. Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae, 656, seqq. Id. simpliciter reservatae, 659, seqq. Id. Ordinariis reservatae, 662. Id. nemini reservatae, 662, seqq. Id. pro interno regimine. Regularium, 668, seqq.
Execratio Ecclesiae, 392. Altaris, 400. Calicis, 408.
Exemptio a jurisdictione ordinaria, 92. A lege, 29. Regularium, 367. Praecipui casus in quibus hi Episcopo subduntur, id. Institutorum votorum simplicium, 370. Privilegium exemptionis clericorum, 74.

Exequiae, V. *Funus*.
Exsequutio rescriptorum, 37. Sententiae, 568, 600.
Exercitia spiritualia praemittenda professioni, 302.
Exhortum, 517.
Expectativae, 456.
Expensae judicii, 525.
Expulsio, 311 (in nota). V. *Ejectio*.
Extravagantes, 20.
Facultates. Nuntii Hispani, 149, 150 (in nota). Poenitentiarii Majoris, 235, 236; quae a S. Sede peti possunt, 698.
Falsificatio litterarum apostolicarum, 623.
Familia pontificia, 240.
Fatalia, 565.
Festi dies. An episcopi novos dies festos praescribere possint, 127.
Fidei professio, 449, 630.
Fiscalis, 222.
Fontes juris, 27.
Formulae. In responsionibus SS. CC., 683. Ad matrimonium spectantes, 706.
Forum. Natura et divisio, 499. Quodnam sit competens, ibid. et seqq.
Fugitivus a religione, 310.
Funus, 422. Emolumenta Parochi, 423.
Glossa, 21.
Gradus academici, 517, 261.
Graeci. Quoad caelibatum, 77.
Gratiae seu facultates, quae a S. Sede concedi solent, 706.
Gravatus aere alieno, 74, 286.
Habitatio cum mulieribus suspectis, 78.
Habitus clericorum, 76. Religiosi delatio, 335.
Haeresis, 628. Poenae, 629. Suspecti de ea, 630. Cautelae adversus haereticos, ibid.
Heroicus (*actus*), 333, 83.
Hierarchia. Ordinis, 53, seqq. Jurisdictionis, 82, seqq.
Historia Juris Canonici, 14.
Homicidium, 67.
Honorarius (*canonicus*), 208.
Hospitalia, 410.
Ignorantia irregularitatis, 65. Delicti, 624.
Illegitimus. Ad ordines, 69. Ad religionem, 279.
Imagines, 388.
Immunitas clericorum, 73. bonorum Ecclesiae, 425. ejus violatio, 427. Vigentes in Hispania, ibid.
Impotentia, 580.
Impressio librorum, 127. V. *Libri*.
Incardinatio, 112, 218.
Incompatibilitas beneficiorum, 438.
Indicium. Natura et divisio, 551. Efficacia, 552.
Indictiones, 516, 530.
Industria. Quandonam praesumatur electa industria personae delegatae, 95.
Infamia, 66, 644.
Ingressus in religionem, 276. Quinam impediantur, 277 et seqq. Requisita sive postulantis sive superioris admittentis, 276 et seqq. In Congregationes religiosas, 285.
Infirmitas. Quoad dimissionem, 317, 321.
Informatio ad perpetuam rei memoriam 581.
Inhabilitas ad beneficia, 641.
Inhumatio. V. *Sepultura, Exequiae, Coemeterium*.
Inquisitio. Natura et divisio,

590. Quandonam instituenda, 591. Modus procedendi, 592.
Inspectio judicialis, 558.
Instantia, 484. Caducitas ejus, 524.
Instituta votorum simplicium, 370. Beneficentiae. Natura et divisio, 410. Administratio, jura et privilegia, 411.
Institutio canonica. Natura et divisio, 463. Subjectum activum, 463. Passivum, 464. Forma et tempus, 465. Effectus, ibid.
Instrumentum. Natura et divisio, 547. Probatio, ibid. Productio, 549. Impugnatio, 550. Musicum, 405.
Interdictum. Natura et divisio, 653. Effectus, 654. Cessatio, 655. Interdicta hodie vigentia, 667.
Interlocutoria sententia, 520.
Internuntius, 146.
Interpretatio. Natura et divisio, 31. A quo facienda, 32. Regulae, id.
Interstitia, 58. 62.
Irregularitas. Natura, 63. Divisio, 64. Subjectum, id. Dubia, ibid. Ignorantia, 65. Ex delicto, 65, seqq. Ex defectu, 68, seqq. Cessatio, 71. Dispensatio, ibid.
Isidorus Mercator, 17.
Jubilatio, 473.
Judex synodalis et prosynodalis, 197.
Judices ordinarii, 88.
» delegati, 89. Classes, 90.
» Conservatores, 93.
Judicium. Natura et divisio, 484. Personae quibus constat, 485. Civile eccles: Praeparatio, 527. Peritorum, 558. Summarium, 572. Criminale, 585.
Juramentum. Natura et divisio, 554. Litis decisorium, ibid. Suppletorium, 555. Fidelitatis et obedientiae, 449.
Jurisdictio ecclesiastica. Notio, 82. Discrimina a potestate ordinis, ibid. Objectum, 83. Divisio, 84. Subjectum passivum et activum, 86, seqq. Acquisitio, 93. Cessatio et restrictio, 113.
Jurisdictio castrensis in Hispania, 163. Origo, ibid. Exercitium, 164. Subjectum, ibid. Jura, 165.
Jurisdictio delegata. Divisio, 89. Adeptio, 95. Quis possit delegare, ibid. Cui facienda, ibid. Quaenam, 96. Delegationis qualitates, ibid. Cessatio, 113.
Jurisdictio ordinaria. Adeptio, 97. Cessatio, 113.
» Ordinum Militarium Hispaniae, 166.
» palatina Hispaniae, 162.
» Praelatorum regularium, 356.
» supra-episcopalis, 130, seqq. Quasi-episcopalis, 551. Infra-episcopalis, 167.
Jus Canonicum. Natura, 11. Causae et effectus, 12. Qualitates, 13. Historia litteraria, 14, seqq. Evolutio scientiae canonicae, 17 (in nota). Divisio et partes, 19. Auctoritas, 20. Fontes, 27. Modus argumentandi, ibid. Citandi, 45. Discendi, 46.
Jus processale, 490.
Juspatronatus. Natura, 459.

Divisio, ibid. Acquisitio, 460. Amissio, 463.
Laicus. 50, 51.
Laudum, 575.
Legati. Natura, 144. Divisio, 145. Jura, 146. A latere, 147. Missi, 148. Cessatio suae jurisdictionis, 148.
Legitimatio, 71.
Lenitas. Quinam sint irregulares ex defectu lenitatis, 70.
Lex. Cessatio, 28. Interpretatio, 31.
Libellus, 529.
Libertas. Quinam irregulares ex defectu libertatis, 70. Quinam impediantur ingredi in Religionem, 272.
Libri. Damnatio, 601. Correctio, 619. Censura, 620. Prohibiti, 631.
Licentia. Ad libros edendos, 127. Ad possidendum, 330.
Linguae sacrae, 401.
Lis. 484. Contestatio litis, 533.
Litterae. Ad ordines, 57. ad religionem, 282. Supplicatoriae et hortatoriae, 517.
Magister novitiorum, 288.
Magistalis, 220.
Mandatum judiciale, 517. Quad rescripta, 35.
Matrimonium, 577. Nullitas, 578. Processus, 610. Formulae ad matrimonium spectantes, 706.
Mendicantes, 269.
Mensa communis, 59.
Metropolitanus. Notio et divisio, 136. Jura (in genere), 137. Jura abrogata, ibid. In suffraganeos et in subditos suffraganeorum, 138. In exemptos, 139. Honores et insignia, 140, seqq.
Minister ordinationis, 52.
Missa. Conventualis, 336, 209. In oratorio privato, 398. Regularium, 376. Parochi, 179. Episcopi, 129.
Monasterium. Accessus ad illud, 79. Vid. *Conventus*.
Monialium electio et potestas, 358. Confessarius, 348. Communio, 352. Exploratio 282.
Motus proprius, 24 (in nota). Efficacia clausulae *motu proprio* in rescriptis, 36.
Musica sacra, 402, seqq.
Mutatio beneficii. 473.
Mutilatio, 67.
Negotiatio clericis prohibita, 80.
Nominatio ad beneficia, 461. In quo differat a praesentatione, 461. Beneficia Hispaniae pro quibus nominat Regia Corona, 466.
Nomo-Canon, 16, 17.
Normae S. Congr. EE. et RR. in approbandis novis Institutis votorum sinplicium, 271, (in nota).
Notarius, 486, (in nota). Curiae Romanae, 227. Curiae diocesanae, 222.
Notificatio, 515.
Notorietas, 604.
Novitiatus. Natura, 287. Necessitas et duratio, ibid. Locus, 287. Disciplina, 288. Renuntatio bonorum, 290. Congregationum Religiosarum, 231.
Nullitas. Querela nullitatis, 521. Causa nullitatis matrimoni, 578.
Nuntius. V. *Legati*. Hispanus, 149 (in nota).
Obedientiae votum. Natura, 332. Obligatio, 333. Ex-

tensio, ibid. Infractio, 334.
Oblationes, 428.
Obligatio regulae, 343.
Obreptio, 36.
Oeconomus, 183, 185. Mitrae, 217, 221.
Officiales Curiae dioecesanae, 221, 222. Curiae Romanae, 227. Legatorum, 146.
Officia (*species canonicorum*), 207.
Officium ecclesiasticum, 88. Quo jure jurisdictio ei annectatur, 97. Constitutio eorum, 98. Provisio, 99. Potestas providendi, ibid. Historia provisionis officiorum, 100. Qualitates candidatorum, 110. Divinum, 337.
Oppositio. Forma conferendi nonnulla beneficia in Hispania, 467.
Oratorium. Quid, 395. Species, 396. Quinam jure oratorii gaudeant, ibid. Statuta in jure circa unumquodque, 367. Bulla cruciatae circa oratoria, 398.
Ordinatio. Natura, 55. Minister, ibid. Servanda ab Episcopo, 57. Regularium, 61.
Ordinandi. Qualitates, 60. Scrutinia, 61. Processus ad ordines, 616.
Ordinarius. Quinam hoc nomine veniant, 89.
Ordines Militares. Horum jurisdictionis origo, vicissitudines et exercitium, 166.
Ordo regularis, 266 (in nota). Cognitionum, 510.
Pallium. Natura, 141. Origo, ibid. Benedictio, 142. Concessio et receptio, ibid. Auctoritas, 143. Usus, ibid.
Papa. Jurisdictio, 116. Electio, 117. Est supremus collator beneficiorum et officiorum, 416. Modi quibus hoc jus exercet, ibid. An dominium directum bonorum ecclesiasticorum resideat penes, 425. Ejus jura circa concilia oecumenica, 187, seqq. Jura in genere, 119.
Paramenta sacra, 409.
Parochia, 439. Forma collationis, 458.
Parochus. Natura, 174. Species, 175. Potestas, ibid. Jura, 176. Officia, 179. Cessatio, 180. Residentia, 452. In Hispania, 180 (in nota).
Patena, 408.
Patriarcha. Notio, divisio, 139. Sedes patriarchales, 132. Provisio, ibid. Jura, 133. Officia, 135. Indiarum Occidentalium, 134 (in nota).
Patrimonium. V. *Titulus ordinationis*. Processus pro constitutione patrimonii, 616.
Patronatus. V. *Juspatronatus*.
Patronus. Jura, 461. Officia, 462.
Paupertas. Quinam stare possunt in judicio cum beneficio paupertatis, 498.
Paupertatis votum. Solemne, 325. Simplex, 326. Infractio, 329. Materia gravis, ibid. Licentia, 330. Poenae in infractores, ibid.
Peculium, 331.
Pensio ecclesiastica, 445, seqq.
Percussio clericorum, 73.
Peremptoria citatio, 516. Exceptio, 532.
Perfectio. Obligatio religiosorum tendendi ad perfectionem, 323.

Peritorum judicium, 558.
Permutatio beneficii 472.
Persona. Natura et divisio, 50. Quoad Ecclesiam, 51.
Personatus, 206.
Pixides, 408.
Plenarium judicium, 596, seqq.
Poena, 636. Divisio, ibid. Subjectum et circumstantiae, 637. Incursio, 638. Cessatio, 639. Vindicativa, 640. Temporalis, 644. Medicinalis, 645, seqq.
Poenitentiae, 671.
Poenitentiaria, 235.
Poenitentiarius, 208. Major. 235.
Pontifex. V. *Papa.*
Postulantes, 287.
Positiones, 535.
Possessio triennalis, 465.
Postulatio. Natura, 107. Regulae, 109. Effectus, ibid.
Potestas ordinis et potestas jurisdictionis, 52. Discrimina inter se, 82.
Praecedentia. Regulae generales, 114. Quoad canonicos, 209. Quoad regulares, 640.
Praeconizatio, 107.
Praedicatio. Quoad parochum, 176. Quoad regulares, 379.
Praefectus Apostolicus, 156.
Praelati. Natura, 224. Curiae romanae, 223. Distinctio, 224. Jura et privilegia honorifica, 226. V. *Superiores ecclesiastici, Episcopus.*
Praelati regulares, 353. Divisio, 354. Electio, ibid. Potestas, 356. Obligationes, 357.
Praelati exempti, 92.
Praelatura, 225.
Praesentatio. Quid sit, 461. Differentia a nominatione, ibid.
Praestimonium, 445.
Praesumptio. Natura et divisio, 552. Efficacia et regulae, 553.
Praeventio. Jus praeventionis, 456,
Primates. Notio, divisio, jura, 135. Hispaniae primatus, 136 (in nota).
Prior, 354.
Privatio beneficii, 475, 641.
Primitiae, 427.
Privilegium. Natura, 39. Divisio, 40. Acquisitio, 42. Confirmatio, ibid. Effectus, 43. Interpretatio, 44. Amissio, ibid. Privilegia regularium, 371, seqq.
Probatio. Natura et species, 536. Terminus, 537.
Processus. Civilis (in genere), 527, seqq. In specie, 577. Criminalis ordinarius, 585. Summarius, 601. Summarissimus, 605. Oeconomicus, 604. Ex informata conscientia, 605.
Procurationes, 433.
Procurator. Generalis, 363. In judicio, 494. In tribunalibus romanis, 227.
Professio fidei. V. *Fides.*
Professio religiosa. Natura et divisio, 292. Praescripta a Pio IX et Leone XIII circa, 293. Requisita ad validam et licitam regularium, 295. Quid de tacita, 297. Revalidatio, 298. Reclamatio contra, ibid. Effectus temporaneae, 300. Solemnis, 301. In Congregationibus religiosis, 302.
Promotor, 222.
Prorogatio jurisdictionis, 504.
Protocollum, 548.

Protonotarii apostolici, 241.
Provicarius Generalis castrensis, 164.
Purgatio canonica, 597.
Quarta. Funeraria, 424.
Quasi-domicilium. Quodnam forum quis sortitur ratione quasi-domicilii, 501.
Quasi-episcopalis jurisdictio, 151.
Querela nullitatis, 521.
Reconventio, 534.
Recusatio. Natura et causae, 511. Subjectum et modus procedendi, 512.
Regula. Natura et obligatio, 343. Hujus causae, 344. Correctio transgressionis, 345.
Regulares. Exemptio, 367. Gubernatio: quoad forum poenitentiale, 345, seqq. Quoad regimen intrinsecum, 353. Quoad praecipua officia, 362, seqq. Quoad regimen extrinsecum, 367, seqq. Privilegia, 371, seqq. Circa sacramenta, 373, seqq. Circa praedicationem, 379, seqq. Circa funera, 381. Circa potestatem in variis dispensandi, 382, seqq. Ordinatio, 61 et 378.
Religiosus, 266 (in nota). Obligationes: e natura status fluentes, 304, seqq. Vi votorum, 324, seqq. Vi legum ecclesiasticarum, 335. seqq.
Religio, 266 (in nota). Fundatio, 270, seqq. Ingressus in 276. seqq. Egressus a, 304, seqq. V. *Status religiosus*.
Reliquiae sanctorum, 387.
Remotio a beneficio, 475.
Renuntiatio beneficii. Natura et divisio, 470. Qualitates, 471. Conditiones prohibitae, ibid.
Reparationes. Quibus incumbat reparatio Ecclesiae Cathedralis, Collegiatae, parochialis, domus parochi et simplicis ecclesiae, 391. Processus, 617.
Res sacrae, 386, seqq. Religiosae, 410, seqq. Temporales, 425, seqq.
Rescriptum. Natura et divisio, 34. A quo, cui et super qua re concedatur, ibid. Forma, 35. Vitia, ibid. Exsecutio, 37. Duratio, 38.
Res integra, 38 (in nota).
Reservatio beneficii, 456.
Residentia, 450, seqq.
Resignatio beneficii, 471.
Resolutiones judiciales, 520.
Restitutio in integrum, 523.
Reus, 486. Citatio et interrogatio, 594. Exceptiones, 595. Accusatio et responsio, 598.
Romanus Pontifex. V. *Papa*.
Rota Romana, 238. Hispana, 239. Modus procedendi in tertia instantia, 569.
Saecularizatio Regularium, 305
Salaria (*honorarios*), 525.
Schisma, 633.
Scholastici S. J., 264
Scriba, 486 (in nota).
Scrutinium. Modus electionis, 104. Ordinandorum, 61. Postulantium in Italia. 284.
Secretariae palatinae, 233, seqq.
Secretarius, 486 (in nota).
Seminarium: Dioecesanum. Natura et origo, 412. Erectio, dotatio et administratio, 413 Regimen internum, 414. Centrale seu pontificium. Facultates seu disciplinae et earum regimen

415. Ratio studiorum, 416. Examina, 417.
Sententia (in genere), 520. In judicio civili eccles.: definitiva, 560. Probatio, 561 (in nota). Exsecutio, 568. In judicio criminali: natura et exsecutio, 600.
Sepultura sacra. Natura, 418. Species, 419. Privatio et interdictio, 421. Nonnullae dispositiones in Hispania circa, 422 (in nota). Processus pro sepultura ecclesiastica deneganda, 618. Regularium, 381.
Signatura. Gratiae, 237. Justitiae, 238.
Simonia. Natura, 633. Divisio, 634. Poenae, ibid.
Sollicitans. Processus contra sollicitantes in confessione, 602.
Sors. In electione, 103.
Spolia, 429. In Hispania, 430 (in nota).
Status religiosus. Notio, 262. Finis, 263. Elementa substantialia in genere et in specie, ibid., seqq. Praecipuae significationes verborum in hoc tractatu usurpatorum, 266 (in nota).
Stolae jura, 432.
Subreptio, 36.
Suffragium. V. *Electio.*
Summarium judicii criminalis, 592, seqq.
Summarium (judicium) civile, 572. Criminale, 601, seqq.
Superiores ecclesiastici sive collegiales sive singulares, 87. Jura, 113. Regulae praecendentiae, 114. Obligationes, ibid.
Superiores Congregationum, 360.
„ regulares. V. *Praelati.*
Supplicatoria, 517.
Suppressio. Conventus, 322. Beneficii, 442.
Suspensio. Natura, divisio et effectus, 651. seqq.
Suspensiones hodie vigentes, 664. seqq. Pro interno regimine Regularium, 669.
Synodus dioecesana. Natura et convocatio, 194. Celebratio, 196. Confirmatio, 197. Hispaniae, 198. Aliae congregationes clericorum, 198.
Taxa innocentiana, 431.
Terminus probatorius, 537.
Testamenta, 429
Testimoniales, 57, 282.
Testis. Natura, divisio et qualitates, 539. Productio, 541. Juramentum et examen, 542. Probatio, 543.
Titulus ordinationis, 59. jurisdictionis, 94.
Transitus ad aliam religionem, 307.
Translatio beneficiorum. Quid, 473. An invitus, 474. Vacatio primi beneficii per, ibid.
Tribunal. Natura et jurisdictio, 483. Compositio ecclesiasticorum, 486. Saecularium in Hispania, 487 (in nota). Jura et officia, 481. Vacatio, 489.
Tribunalia Gratiae (*in curia romana*, 228.
Unio parochiarum et aliorum beneficiorum, 440.
Universitates. V. *Seminarium Pontificium.*

Vacatio. Beneficiorum, 470, 303. Tribunalium, 489.
Vasa sacra, 408.
Vestes sacrae, 409.
Velum, 118.
Vicarius (in genere), 91.
Vicarius Apostolicus. Natura et divisio, 154. In locis Missionum. ibid et 155. Sede plena, 157. Sede vacante, 159. Castrenses, 160.
Vicarius capitularis, 215, seqq.
» foraneus. Natura et origo, 173. Jura, munia et cessatio, 174.
Vicarius generalis. Origo, 168. Natura, ibid. Nominatio, ibid. et seqq. Potestas, 170. Honores, 171. Cessatio, 172. Generalis Urbis, 172.
Vicarius parochorum. Notio, 181. Species, ibid. Constitutio singulorum, 182. In Hispania, 185.
Vice cancellarius, 228.
Vita communis, 265, 331.
Visitatio dioecesis, 129. Liminum Apostolorum, ibid.
Visitator regularis. 364.
Vocatio religiosa, 276.
Vota Religiosa, 263 et seqq. dispensatio in.., 304.
Vox activa et passiva, 641.

CORRIGENDA

Pag.	Lin.	LEGITUR	LEGATUR
20	30	iis	eos
71	21	cesset	cessent
74	31	possit	possint
78	3	alii	aliis
112	19	ait	aut
133	42	Romae degunt	degunt Romae
134	14	*Ubi alias*	inter alias
135	17	*Patriarchas*	*Patriarchis*
144	10	Delegatio	Delegati
145	34	Praesid.	Resid.
146	9	Columbia,	Columbia, in Costarica,
152	21-22	dativam...	dativa...
152	34	XII	XIII
154	33	eadem	eadem pendent.
170	not. 1.	*Decretum*	*Decet*
172	20	quod	qui
173	20	camellarii	cancellarii
185	30	1895	1851
203	4	fiat.	fiat, non subsunt.
203	23	quia	quin
208	21	191	110
225	27	vicissim	qui vicissim
227	17	His	Hos
230	35	ditio	ditis
246	15	An	At
246	21	illi	ille
249	32	sit	esset
253	30	*expedire*	non expedire
254	1	munitates	munitatis
255	2	ordinariae	ordinarie
255	18	cato	cato. Cfr. tamen decr. 20 Jul. 1900.
256	4	neque enim	vix enim
264	28	Episcopus	poterat Episcopus
268	39	majoribus	majoribus et localibus
285	29	coepti sunt	incoeperunt
286	32	decretum	per decretum
291	26	qua	quae
293	14	consensu	consensum
299	31	dissentiat	dissentiant

Pag.	Lin.	LEGITUR	LEGATUR
301	42	voluntas	voluntatem
314	28	aut	ait
315	21	accidentalia	accidentalia et
336	40	habeant	habeat
347	15	incautationes	incantationes
369	32	et	ut
458	22	Constitutionis	Constitutionibus
482	19	actis	actio
499	4	solvendis	solvendis expensis
501	21	*jus*	habet *jus*
503	40	comparationem	comparitionem (1)
507	14	Rotae	Rota
509	36	breve	brevem
538	ult.	dictio	dicto
540	19	obtinere	obtineri
547	14	*authentico*	*authenticum*
551	7	alia	talia
574	4	advocato	advocati
577	8	matrimonialis	matrimonialibus
588	39	unam... alteram	una... altera
619	9	patronam	patronatam

(1) In pag. 505, lin. 4, ubi dicit «incompetens creditur», post verbum *incompetens* addatur: «aestimatur, ad hoc, ut se inhibeat a causae cognitione atque acta ad aliud tribunal, quod competens»...

Biblioteca de La Rioja
10000510830

AGUILAR.

INSTITUTIONES

IURIS CANONICI

R
17325